

M.PFAFFII
SYNTAGMA
DISSERT.
THEOLOGIC.



. F . H . P . S . N .

[illegible]

# CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII,

S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PUBL. ORD. IN ACAD. TUBING. ECCLESIÆ DECANI ET ILLUSTRIS STIPENDII THEOL. SUPERATTENDENTIS

# SYNTAGMA DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM

I. *De* GENUINIS NOVI TESTAMENTI LECTIONIBUS,

II. *De* OBLATIONE ET

III. *De* CONSECRATIONE VETERUM EUCHARISTICA.

*ADSPERGUNTUR*

LITURGIA GRABIANA ET FRAGMENTA IRENÆI ANECDOTA CUM ADJUNCTIS IN EDITIONE BELGICA ANNOTATIONIBUS

*ITEMQUE*

ORATIO IN NATIVITATEM DOMINI A. MDCCXVIII. AB AUCTORE TUBINGÆ RECITATA.

---

*STUTGARDIÆ,*
Sumptibus JO. BENEDICTI MEZLERI,
A. MDCC XX.

# VIRO
## ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOque
# DOMINO,
# FRIDERICO GULIELMO,
## COMITI
# DE GRÆVENIZ,

Hæreditario in Schilde, Waſchau & Dodau, Domino in Marſchallszimmern, Aquilæ nigræ Boruſſicæ Equiti, *Sereniſſimo Wirtembergiæ Duci* à Conſiliis ſecretioribus & penitiore admiſſione, Aulæ Wirtembergicæ Mareſchallo primario, Cohortis pedeſtris Præfecto & Satrapæ Uracenſi atque Pfullingenſi,

*Domino ſuo Gratioſiſſimo*

HOC DISSERTATIONUM SYNTAGMA
ea, quâ par eſt, animi ſubmiſſione
dicat offertque
*AUTOR.*

*VIR ILLUSTRISSIM*
*EXCELLENTISSIMEque,*

*Domine Gratiosissime,*

EA fuit hactenus TU erga me benevolen tia, is favor, ea, qu me complexus es humanitas, ut, ni gratitudinem, qu TIBI devinctus sum summam publice testatam faciam plurimum me peccaturum esse o mnino existimem. Qui enim altior apud nos loco positus es, VI EXCELLENTISSIME ade subinde haud dedignaris, erudito quo

quoque Academicosque Viros in conſpectium Tuum inque benevoli affectûs TUI communionem admittere,ut inter alia, queis plurimum fulges, merita id quoque ſit,quòd literis,quòd earum doctoribus & promotoribus enixè faveas. Jam verò inter illos Academicos,qui luce TUA gaviſi hactenus fuere,cùm inſignem & ego locum mihi vendicare audeam, non male utique me facturum eſſe ſpero, ſi hoc gratitudinis meæ documento publico, quod TIBI, VIR EXCELLENTISSIME, jam ſubmiſſe offero, continuaturi favoris TUI beneficium mihi modeſtâ devotâque mente expetam. Quamdiu certè in hâc Academiâ, in hâc Eberhardinâ meâ, quam tantoperè exoſculor atque deamo, vivere mihi licebit,quamdiu Muſis Tubingenſibus inhiare easque deperire & complecti mihi dabitur, omnem

collo-

collocabo operam, ut indefeſſâ diligentia egregium publicum illuſtris & celeberrimæ hujus ſcholæ promoveam & deſideria TUA, VIR SUMME, (ſalus enim Univerſitatis hujus vel maximè TIBI cordi eſt, utpote à quâ & patriæ ſalus inſignem quendam vigorem accipit) ut, inquam, & deſideria TUA, VIR SUMME tantiſper ſaltem, quoad per virium mearum infantiam & tenuitatem licebit, adimpleam. Quod reſtat, DEUM precor, uti omnem felicitatis præſtantiſſimæ copiam in TE, ILLUSTRISSIMF EXCELLENTISSIMEque DOMINE COMES, largiſſimè effundat TEque diu ſalvum ſoſpitemque & Patriæ & Academiæ noſtræ & bonis omnibus ſervet. Scripſi Tubingæ die feſto Paſchatis A. MDCCXX.

# PRÆFATIO.

NOn morabimur te diu, Lector benevole. *Scilicet, ut novam Dissertationum harum editionem daremus, effecit Studiosorum ardor, qui, ubi editiones Belgicas tantâ in copiâ comparare haud valuere, rogarunt, ut earundem editionem hîc loci curarem. Et addere sanè heic volebamus lectiones in Matthæum exegeticas & compendium historiæ ecclesiasticæ, nisi nundinæ instantes rem pressissent eique festinatio-*

*nem*

*nem induxissent. Itaque ad aliud tempus aliamque occasionem hæc reservamus. Mutationes, quæ in nova hâc libellorum istorum editione occurrunt, perpaucæ sunt. Addidissemus & supplementa, si tempus, quo multum coarctamur & & in angustias redigimur, id permisisset. Et verò, quæ nobis circa argumenta heic evoluta subnatæ fuere, novæ observationes sparsim alibi à nobis insperguntur. Tu interea,* Lector benevole, *hâc opellâ fruere, si placet, & vale.*

MONITUM.

In fragmentis Irenæi anecdotis subinde veteres paginæ adnotantur; eo fine, ut, quæ ex iis alibi citata reperiuntur, eò felicius evolvi possint.

# DISSERTATIO CRITICA
## DE GENUINIS
## LIBRORUM NOVI TESTAMENTI
# LECTIONIBUS

OPE

CANONUM QUORUNDAM
CRITICORUM

feliciter indagandis & à ſpuriis ſecernendis,

*ubi & inter alia de* JOANNIS MILLII *collectione variarum Novi Teſtam. lectionum diſſeritur.*

Editio ſecunda, amplior & emendatior.

CVM DEO

# PRÆFATIO.

QUam publicæ luci expono, BENEVOLE LECTOR, dissertatio critica non aliam ób rationem à me conscripta est, quàm ut communia, quæ hoc argumentum occupant, præjudicia ipsa hujus rei penitiore consideratione refellerem. Etenim frequens hæc hominum aliâs satis eruditorum vox est, quærentium, in quem finem tot variæ Novi Testamenti lectiones congerantur, quùm satius sit, vel saltem eas diminuere, vel nullas planè esse demonstrare. Ita quippe frigidam

ſuffundi *Deiſtis* (*a*) aliiſque veritatem

(*a*) Nec diffitendum, noſtrâ hâc ætate plurimùm variantibus hiſce lectionibus abuſum eſſe ANTONIUM COLLINUM, Anglum, de libertate cogitandi, ſect. 2. haud procul à fine, ubi demonſtrare conatus eſt, lectiones N. T. eſſe incertas, quia ſint variæ & ope artis criticæ dijudicandæ, quia & tantus ſit earum numerus, ut ad 30000. aſcendant. Sed præterquàm quòd lectiones N. T. maximam partem nullum planè momentum ſecum ferant & circa minutias verſentur, præterquàm & quòd ars critica regulis incertis haud nitatur, ſed iis & ſubinde, quas, qui haud admiſerit, in delirorum ordinem ſit referendus, præterquàm denique, quòd ipſe ille magnus lectionum variarum numerus, quem produxit MILLIUS, integritatis N. T. præſtantiſſimum ſit argumentum, cùm vel vera lectio ſtatim heic ſapienti pateat, vel, ubi, quænam lectio vera ſit, decidi haud poteſt, parum quoad ſenſum referat, quomodocunque legas, ſatis oſtenderunt viri præſtantiſſimi, numerum illum magnum nullum planè rebus nocumentum heic afferre, (1) quia N. T. innumera ferè ἀντίγραφα ſunt facta, quorum multitudine ſanè libri alicujus variationes non poſſunt non plurimùm augeri, (2) quia optandum eſſet, ut adhuc numerus variantium lectionum eſſet major & ut etiam haberemus collationes ex aliis adhuc codicibus antiquioribus, qui nobis ad manus ſunt. Certè enim ita adhuc major lux nobis accenderetur. (3) quia variæ iſtæ lectiones Millianæ non ſaltem ex codicibus ſed & vel maximè ex verſionibus deſumtæ ſunt, (4) quia non bonum eſt, ad genuinam lectionem libri ſciendam, ſi nullæ adſint variæ lectiones ex codicibus depromtæ. Ita e. g. Vellejus Paterculus & Heſychius erroribus ſcatent, nec corrigi ferè poſſunt, quia, cùm unicus ſaltem utriusque codex habeatur, nullæ eorum variæ lectiones dantur,

tatem Religionis Christianæ negantibus, qui ex variis hisce lectionibus demonstrare sint conaturi, No-



dantur, (5) quia numerus iste 30000. variarum lectionum pro multitudine codicum N. T. admodùm parvus est. Clariss. BENTLEJUS in Terentio solo 20000. lectiones varias invenit & arbitratur, si omnes ejus codices conferantur, numerum ad 50000. ascensurum. Vide omninò RICH. BENTLEJI, Viri præstantissimi librum, quem Londini 1713. edidit sub titulo: Remarks upon a late discourse of freethinking p. 63. 64. Quæ cùm ita sint, vix utique concipi potest, quî tanta in rerum luce adhùc sint, qui cæcutiant, & præjudiciorum suorum nebulis circumscripti clamitent, *intempestivè* prorsus textum N. T. à MILLIO & KUSTERO *tantis variarum lectionum plaustris prægravatum fuisse*, cùm *Erasmiana editio* proscriptis omnibus lectionibus variantibus sufficere possit. Jam enim (1) quæ oculis hominum exposita sunt, ineptè dissimulantur. Codices illi, ex quibus variæ lectiones hauriuntur, prostant utique in Bibliothecis. Jam cùm Deistæ causentur, variationibus istis integritatem N. T. subrui, omninò necessarium erat, eas producere, ut ostenderetur, maximam harum variationum partem non circa sensum sed circa minutias versari. (2) Itane ergò editionem Erasmianam infallibilem esse putat Vir præstantissimu? Jam enim, ut hoc probetur, opus est, ostendere, Erasmum inter omnes N. T. editores & præstantissimis ante alios sufficientibusque codicibus instructum fuisse, & ubi variæ ipsi lectiones occurrerint, semper optimam elegisse. Quod ipsum si facere quis voluerit, certè lectiones variantes nosse & in rem præsentem sic venire debet. Sed vix comprehendi potest, Viros, qui ingenio & eruditione pollent, ista efferre posse.

vi Teſtamenti codices eſſe corruptos, neminemque adeò de placitis Chriſtianiſmi & fide in codice Novi Teſtamenti traditis certum eſſe poſſe, cùm ſemper ſubſit ſuſpicio, locum hunc vel illum à librariis falſariiſque corruptum eſſe. Forſan vix crediderit iſta homo rei criticæ gnarus & humanioribus litteris innutritus, quùm contrarium vel ipſa MSS. codicum doceat inſpectio, nec de genuina lectione certus eſſe poſſit, qui cæteras variantes non inquiſiverit, neque egomet etiam, tales apud quoſdam foveri opiniones, perſuaderi mihi unquam paſſus eſſem, niſi cum ipſis illis ſermones ſerere contigiſſet, qui ſimiles querelas mihi enarrare ſuſtinuerunt. Unde optimis hiſce Viris veritas *primùm*

erat

erat demonſtranda, varias lectiones codicum Novi Teſtamenti MSS. non dari ſolùm ſed & recenſitu omninò eſſe neceſſarias, tùm, ut genuina lectio inveniri queat, tùm, ut ii, qui ſpurias lectiones ſequuntur, queant refutari, tùm, ut *Deiſtis* demonſtretur, eas propemodùm omnes parvi momenti eſſe atque ad cauſſam ipſorum defendendam planè nihil facere, tùm, ut, qua ratione codices Novi Teſtamenti conſtituti eſſent, non diſſimularetur, id quod eſſet mala fide agere. *Porrò* oſtendendum erat, adeò non favere *Deiſtis* varias Novi Teſtamenti lectiones, ut potius cauſſam iſtorum deſtruant, cùm ſufficientes regulas *Ars Critica* nobis præſcribat, quibus genuinæ lectiones à ſpuriis queant

ſeparari & diſtingui. Neque etiam ſi iſti canones omnibus locis, quæ manum falſarii paſſa ſunt, eam, qua par erat, medelam non eſſent adhibituri, (*b*) cum ratione quis dixerit, Novum Teſtamentum eſſe corruptum, nec supereſſe ſpem genuinam lectionem inveniendi. Quod enim præcipuum eſt, deliteſcere arbitror in Oriente plures adhuc codices MSS. vetuſtiſſimos, (*c*) quos ſi haberemus, forſan non foret ulla lectio genuina, quæ non ope iſtorum codicum poſſet produci. Quinimò, ſi conceſſerint etiam aliqui, Novum Teſtamentum

(*b*) At verò, ubi dubiæ reſtant lectiones, id quod ſæpè fit, eæ nullum locum præcipuum ferè tangunt, neque & ſenſum ferè tangunt adeoque parvi admodùm momenti ſunt. Solum ferè locum 1. Joh. V. 7. exceperimus.

(*c*) Conjectura eſt hæc, quam olim poſuimus. Aſt, ſi & heic fallimur, tamen jam nunc quoque integro N. T. fruimur. Semper enim hoc nobis repetendum eſt, lectionum illam, quæ datur, varietatem magnum ſecum momentum haud vehere & ſenſum ferè haud mutare.

tum iis ſæpius in locis eſſe corruptum, ubi nec doctrina religionis Chriſtianæ neque etiam hiſtoria ad veritatem illius demonſtrandam pertinens ſit recenſita, non tamen ex hoc conſequitur, totum Novum Teſtamentum eſſe corruptum, vel nihil certi ex eodem proferri poſſe. Utrumque hoc, ut arbitror, in præſenti diſſertatione demonſtratum dedimus, quæ etſi parvi omninò momenti primuſque ferè fœtus ſit, quem in lucem publicam prodire jubemus, ſufficiet tamen ad falſitatem præjudicatæ iſtius opinionis penitius oſtendendam. Unde & methodus noſtra omnino diverſa eſt ab eorum ſcribendi ratione, qui hactenus hoc de argumento quædam ſunt commentati. In Germania ante plu-

res annos de variis Novi Testamenti lectionibus disseruere Viri summmi JO. SAUBERTUS (*d*)& ADAMUS RECHENBERGIUS (*e*) iste olim Helmstadiensis, hic verò Lipsiensis nostro hoc tempore Academiæ insigne decus. Postea, cum prodiret elegantissima JOANNIS MILLII editio, quâ Novum Testamentum & varias illius lectiones expressit, plures argumentum hoc penitius enarrandum adgressi sunt. Fuere inter hos, ut recensiones novæ hujus editionis, quas Ephemeredibus suis inseruere Viri doctissimi, taceamus, primi Reverendus Vir JAC. LENFANT, Ecclesiæ Gallicæ Reform. Berolin. Minister &

(*d*) Vide ejus varias lectiones textus Græci Evangelii S. Matth. Helmstad. 1672. 4.

(*e*) Conscripsit is hoc de argumento dissertationem academicam, qualem & dedit JO. GUIL. BAJERUS, Theologus Altorffinus præstantissimus.

Vir doctissimus JOANNES CLERICUS, quorum prior scripsit bigam observationum Gallicarum in editionem *Millianam* itemque duas epistolas, unam ad Jo. Clericum, alteram ad Alphonsum des Vignoles, posterior litteras ad *C. Junium Optimianum*, ubi plurima habet hanc ad rem spectantia. Vid. *Clerici Bibl. Sel. A. 1708. Tom. XVI. Art. V. p. 275.* usque ad *342. T. XVIII. Art. V. p. 209. sqq. & T. XXI. P. 1. Art. 2. p. 96. sqq.* Edidit quoque Vir Reverendus DANIEL WHITBY examen var. lectionum Jo. Millii in N. T. ubi Virum hunc præstantissimum nimio subinde sale perfricat & eruditissima tamen quævis itidem hîc cumulat. Quicquid vero dicat, nihilominus vel eapropter variis à MIL-

MILLIO adductis lectionibus magnum ſemper ponetur pretium, quod ex iis, uti jam dicere cœpimus, patet, inſulſam eſſe *Deiſtarum* contra integritatem librorum Novi Fœderis objectionem hinc petitam, cum variæ, quotquot inveniuntur, lectiones ſenſus variationem ferè non inferant. Denique promiſit & Vir clariſſimus JO. CLERICUS opuſculum *de citandis veteribus ad teſtimonium dicendum* in *Biblioth. Sel. T. XVI. p. 342.* penes quem diſſertatio quoque Anglicana eſt, ubi maximè de variis lectionibus *1. Tim. III. 16.* & *1. Joh. V. 7.* occurrentibus diſſeritur, à *Joanne Lockio* ipſi transmiſſa. Vid. *Bibl. Sel. T. XVI. p. 319. 320.* Quæ ſi, quod optamus, edantur, non dubi-

lubitandum est, quin lucem huic ar-
gumento majorem allatura sint. (*f*)
Atque hæc, *Benevole Lector*, in
imine dissertationis nostræ vide-
bantur esse præmonenda. Tu
verò vale & nostris cona-
tibus fave.

(*f*) Velim autem omnino ut hîc conferas primitias nostras Tubingenses P. 1. p. 81. Nolumus enim jam, quæ ibidem scripsimus, & hûc transferre.

# DISSERTATIO CRITICA
## DE
## GENUINIS LIBRORUM
# NOVI TESTAMENTI
## LECTIONIBUS
rite inveſtigandis.

## CAPUT PRIMUM.

*Præjudicatæ circa integritatem Novi Teſtamenti opiniones examinantur. Rationes Deiſtarum pro ſuppoſitione & corruptione librorum Novi Teſtam. recenſentur & refutantur. Integritatem Novi Teſt. oſtendunt continua Eccleſiæ traditio & canon eccleſiaſticus, ſive citius ſive ſerius confectus.*

§. 1.

ARgumentum, quod aggredimur, etſi nulla quidem difficultate laboret, ſi à præjudicatis opinionibus liber ſit, qui id ſibi ſumſerit explicandum, arduum tamen reddidere ii, quibus in extrema ruere atque ad ſemel conceptas animo ideas omnia exigere, ſive ad rem theologicam ſive criticam ea pertineant, familiare eſt. Sunt, qui exiſtiment, Deum, qui peculiari quadam provi-

providentia actorum S. Jesu ejusque Apostolorum recensiones, eorundemque vaticinia & literas in nostram usque ætatem conservaverit, ita quoque per tot seculorum decursus singula, quibus omnia ea conscripta exstant, verba tradi nobis voluisse, ut nulla hæreticorum fraude, nulla temporum ætatisque injuria, nulla librariorum vel incuria vel ignorantia vel etiam corrigendi atque interpolandi insolentia, vel minimum in singulis codicibus vitiatum exstaret. Alii omnia vel plane supposititia vel saltem interpolata & in pluribus corrupta esse asserunt, &, ubi ne quidem MSS. codicum reperitur auctoritas, ingenii sui & conjecturarum vi quævis, quæ primo intuitu non statim arrident, mutare adgrediuntur. Priorum opinio, etsi bono quodam fundamento niti censenda sit, ne quippe *Deistis* vel quibusvis aliis à saniori fide dissentientibus causa detur id, quod suis obesse doctrinis arbitrantur, corruptum existimandi, cum quadam tamen *artis criticæ* ignorantia conjuncta esse videtur. Exstat MSS. codicum Novi Test. quos quidem Europa tenet, insignis numerus, exstant Versiones Novi Testamenti antiquissimæ, exstant SS. Patrum allegationes dictorum Nov. Test. ferè infinitæ. Ast, qui hæc omnia in singulis locis, uti posita hac opinione fieri oportebat, amice conspirare asseruerit, is ignarus rerum, nec ulla lectionum in MSS. codicibus, versionibus & allegationibus variantium, quarum grande corpus post varios doctissimorum Virorum labores publicæ luci dedere JO. MILLIUS, Theologus Anglus & Vir clarissimus LUD. KUSTERUS, qui ea, quæ *Millius* collegerat, postea

ſtea auxit, notitia tinctus eſſe mihi videbitur. Quod ſi autem, uti ponimus, exſtant diverſæ in N. T. libris lectiones, una ſolum vera eſſe poteſt, cæteræ autem ſunt ſuppoſititiæ & rejiciendæ, niſi eam quorundam opinionem approbare malimus, qui, dum in Codice Ebræo utramque lectionem variantem in ſymbolo τῦ כתיב, uti Vir ſagaciſſimi ingenii *Matthæus Hillerus* de *Arcano* τῶν קריין & כתיבן, approbante hanc ſententiam *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilio*, exiſtimavit, comprehenſam, ita, ut altera τῷ קרי punctisque τῷ כתיב ſubjacentibus deſignetur, à Spiritu diviniore profectam eſſe ajunt, eandem, ſed in dubio hactenus ab eruditis poſitam ſententiam ad Novum quoque Teſtamentum applicare ſatagunt. (*a*) Ut, quod præcipuum eſt, taceamus, non ſine miraculo fieri potuiſſe, ut communis librariorum incuria & ignorantia nulla in MSS. codicibus menda relinquerent, niſi credamus, Spiritum S. librarios Novi Teſtamenti libros deſcribentes ita direxiſſe, ut ne errare quidem in deſcribendis codicibus potuerint. Id quod nemo, ut arbitror, ſanæ mentis qui eſt, exiſtimaverit.

§. 2.

(*a*) Rectè verò omninò hîc ſe habet, quod mihi hoc loco oppoſuit Vir præſtantiſſimus, TIBERIUS HEMSTERHUSIUS, qui ait, utique N. T. Scriptores ſua & bis vel ter deſcribere & exarare potuiſſe, ita, ut quævis dein lectio ſit θεόπνευστος. Sed ſi & ejusmodi lectiones in N. T. occurrant, pauciſſimæ eæ ſunt nulloque criterio à cæteris diſtinguendæ. Adde omninò PETRI COUSTANTII Monachi Bened. è Congr. S. Mauri vindicias Cod. MSS. confirm. C. 13. p. 711. ſqq.

§. 2. Quod verò eos attinet, qui vel planè suppositititium censent esse Nov. Test. aut saltem maximam illius partem, quod Veteres Hæretici magno numero arbitrati sunt, *nova Evangelia*, *Acta*, *literas*, *Apocalypses* aliosque libellos orbi Christiano obtrudentes, quorum præter summos Viros *Jo. Alb. Fabricium* in *Codice Apocrypho Novi Testamenti*, *Jo. Ern. Grabium* in *Spicilegio Patrum*, itemque *Jo. Millium* in *Prolegom. P. II. ad Novum Test.* &, quos primum nominare debebam, *Jo. Dallaum*, *Rich. Simonium*, *Th. Ittigium* aliosque insignem dedit catalogum *Jo. Tolandus* in *Amyntore* sive *defensione vitæ Miltonianæ P. I. p. 20. sqq.* à *Stephano Nyæo* in *Recensione Historica & defensione Canonis Nov. Test. contra Tolandi objectiones* Anglice scripta *p. 22. sqq.* postea auctum, ut de Scriptorum veritatem religionis Christianæ impugnantium, quos & vetus & recentior tulit ætas, calumniis nunc taceamus, vel saltem ita interpolatum atque corruptum, ut pro cujusvis genio atque conjiciendi arte queat debeatque emendari, quod existimant & conantur quoque summi quidam ævi hujus critici, sed, qui fulciendis *Deismi* fundamentis magnam heic præstare quibusdam videntur operam, falsissimam priorum sententiam, nullisque rationibus subnixam omniumque ætatum scriptoribus & traditioni à primis novi Test. temporibus ad hoc usque in seculum conservatæ contrariam, horum verò periculosum nimis existimamus esse institutum. Ita enim, ut de posteriori loquamur, conjiciendi nunquam foret finis, & si quivis hanc sibi facultatem sumturus esset, denique ipsæ genuinæ lectiones MSS. codicum auctoritate nixæ sua sponte essent perituræ,

§. 3. Proinde ſic exiſtimandum, nullam conjecturam ſive emendationem in pretio ponendam, niſi quam codex MS. probi commatis vel hujus generis plures vel verſiones antiquiſſimæ vel Patrum allegationes *genuinæ* admittendam ſuaſerint. Quæ omnia tamen ſi adhibere media neceſſe ſit, certe, judicante etiam ita Viro doctiſſimo *Jo. Clerico*, ad ea loca non pertinere videntur, in quibus ſingularis quædam fidei Chriſtianæ pars vel magni momenti res enarratur; heic enim ſummus invenitur veterum codicum conſenſus; ſed ad ea, quibus nihil ſingulare continetur, & ubi librariorum incuria diverſitatem quandam facile parere potuit. Neque enim libri N. T. in tota ſua compage corrumpi unquam potuere. Etenim, quæ, quæſo, Dei fuiſſet in conſervanda Eccleſia ſua providentia, ſi ea monumenta, ex quibus ſolis certam rerum credendarum & faciendarum notitiam haurire licet, permiſiſſet corruptioni, à qua profani quoque libri ſæpius immunes fuere? Nec credere eam ſinit Κανὼν primæ Eccleſiæ, ſive regula illa Eccleſiaſtica, quâ αὐθεντίαν codicum N. T. firmare primi Chriſtiani voluere. Ut taceam, ampliſſima apud Patres loca eſſe, quibus ea, quæ ab hæreticis corrupta erant, obelo notant & rejicienda eſſe oſtendunt. Supereſt itaque, ut exiſtimemus, etſi forſan ſingula novi Teſt. exempla manu exarata librariorum errores vix effugerint, uti nec ulla impreſſa eſt editio, quæ à mendis typographicis ex omni parte libera ſit; ex omnium tamen, qui inveniuntur, &, quos poſterior forſan ætas revelabit, MSS. codicum novi Teſt. collatione aliisque mediis veram lectionem, rejectis ſuppoſititiis, feliciter indagari

dagari posse, paucissimis hactenus lectionibus relictis, quæ dubiæ sunt, & in utramque partem ventilari possunt. Id quod in sequentibus luculenter demonstrare conabimur.

§. 4. Antequam tamen ad alia transeamus, libet examinare argumenta, quibus recentiores quidam, quos appellant, *Deistæ* probare conantur, novi Test. libros esse supposititios. Primum est, eam fuisse ætatis, qua primi Christiani vixere, posteriorumque etiam seculorum perversam indolem eamque credulitatem, ut quivis, qui *piis fraudibus* operam dare licitum sibi esse existimaverit, pro genuinis omnia alia potuerit cum applausu hominum illius temporis, Artis criticæ utique imperitorum, supponere, vel etiam confingere. Docere id *Carmina Sibyllina* eaque, quæ *Hermeti Trismegisto* adscribantur, docere id porrò tot acta Veterum à Christianis priscis agnita, ostendere id *Literas Christi ad Abgarum* datas infinitaque alia ψευδεπίγραφα sed pro genuinis isto tempore habita. Ita *Clementem Romanum*, Virum Apostolicum *Evangelium secundum Ægyptios* eo honore dignatum esse, ut verba ex eodem citaverit ut divina in *Epist. II. ad Corinth.* §. *12.* etsi nostrates probe norint, *Evangelium hoc* esse supposititium, & quoque conjecerit *Grabius* in *Spicilegio Patrum Sec. I. p. 32. 33.* conscriptum esse D. Lucæ Evangelium ad emendandum post alia id, quod *secundum Ægyptios* nuncupatur. Inter veteres hoc in *Clemente Romano* animadvertit *Clemens Alexandrinus L. III. Stromatum f. 465.* qui tamen ipse eundem commisit errorem, ex *Evangelio ad Ægyptios* supposititia loca, ut

genuina, in medium adferens. Bis hoc ab eo factum notat Vir Reverendus *D. Grabius* in *Spicil. Patr. Sec. I. p. 35. 36.* Ita & *Jo. Millius Clementem Romanum* locum *Epist. II. ad Cor.* §. 4. citatum ex *Evangelio secundum Ægyptios* desumsisse putat in *notâ ad Luc. XIII. 27. f. 199. b. S. Ignatius* in *Epistola ad Smyrnæos* §. 3. locum ex *Evangelio secundum Ebræos* ut genuinum adfert, ipsius vestigia pluribus veteris Ecclesiæ Patribus prementibus. Vid. *Grabii Spicil. P. I. Sec. I. p. 25. sq.* Nec veretur Vir doctissimus *Henricus Dodwellus* adserere, dum §. 8. *Epistolæ Ignatianæ ad Philadelphenses* illustrat, *non satis caute distinxisse S. Martyrem inter S. Matthæi Evangelium sincerum & quale usurpaverint Ebionæi, jam in Asia grassantes, interpolatum.* Vide *parænesin ad exteros de nupero schismate Anglicano* §. 23. p. 98. *Justinus* etiam *Martyr* ex *Evangelio Ebionitarum*, quod exceptis quibusdam interpolationibus ab *Ebionitis* textui additis, idem cum *Evangelio ad Ebræos* & *Nazaræorum* esse ajunt Viri doctissimi, refert, *quum Christus baptizaretur, ignem in Jordane apparuisse.* Quod & in *Syrorum Liturgiâ* legitur. Addiderant enim *Ebionitæ* ad Matth. III. 16. post verba ἐπ' αὐτὸν· καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα. Quinimo omnia vel saltem pleraque illa loca ex *N. T.* à *Patribus* citata sed in hoc non exstantia ex Evangeliis spuriis prognata esse probabile est. Ita certè *Jo. Millius*, ut unicum tantum hujus rei demus specimen, putat, *Origenem* in libro περὶ εὐχῆς passim & *L. VII. contra Celsum*, itemque *Clementem Alexandrinum L. I. Strom.* citantes verba ad *Matth. VI. 33.* inserenda αἰτεῖτε τὰ μεγάλα

καὶ τὰ μικρὰ ὑμῖν προστεθήσεται, καὶ αἰτεῖτε τὰ ἐπουράνια καὶ ἐπίγεια ὑμῖν προστεθήσεται, ea ex *Evangelio Nazaraeorum* desumsisse, quâ de re inferius quoque sermo recurret. Sed non opus est probare, varia Apostolis supposita fuisse, ad quae ipsi nunquam manus admovere. Certè D. Paulo suppositae fuere literae ab ipso nunquam scriptae. Hortatur enim Thessalonicenses, *ne turbari se patiantur per literas quasi à se scriptas 2. Thess. II. 2.* Unde & literis *suis* certum quoddam *signum* addidit postea, ut colligere est ex *2. Thess. III. 17.* ubi: *Salutatio* propriâ *meâ* nempe Pauli *manu, quod est signum in omni Epistola. Ita scribo.* Quae loca, etsi aliter explicare conetur *Joannes Millius* in *Prolegom. N. T. P. II. f. 30. 31.* scilicet, ut sententiam suam de codicibus N. Test. ab haereticis nunquam corruptis defendat, hanc in rem clara tamen atque perspicua esse arbitramur.

§. 5. Secunda *Deistarum* ratio contra librorum novi Testam. auctoritatem haec est: non esse ullum in eodem librum, cui non contradictum fuerit aliquando. Non arbitror, fore quenquam, qui hoc negaverit; nec exempla haereticorum auctoritatem diversarum N. T. scripturarum negantium adducere necesse esse putamus. Consulenda heic sunt scripta Patrum, *Irenaei, Tertulliani, Hieronymi, Epiphanii, Augustini* aliorumque, quotquot de haereticis aut adversus haereticos scripserunt, quorum certe luculenta hanc in rem sunt testimonia. Tertium argumentum *Deistarum* depromitur ex defectu Historicorum profanorum easdem cum Evangelistis historias recensentium, qui sanè, juxta eorum sententiam, veritatem scriptionis Evangelicae destruere videatur. Ita

resurrectionem Christi, ajunt, neminem referre nisi Evangelistas; eodem modo & ascensionem, multaque alia miracula, quibus taman Religio Christiana sit superstructa, *sola* scilicet *re facti*, quæ, si testimoniis ab utraque parte desumtis & eorum, qui Christianismum rejiciunt, & horum, qui profitentur, probari nequeat, semper, judicante ita *Hug. Grotio*, de *J. B. & P. L. 2. C. 20. §. 48. n. 1.* dubia sit existimanda. Fidem enim Historicam nulli parti addictam esse, sed ea demum ut certa adprehendere, quæ ab utraque adferantur. Quarta ratio, quam haud minimi momenti existimant, qui librorum sacrorum N. Test. auctoritatem negare conantur, est, allegari à Patribus loca ex novo Test. in eodem non exstantia, certè nostris in codicibus non invenienda. Ita ipsum *Paulum* Apostolum *Act. XX. 25.* referre, dixisse Dominum μακάριόν ἐςι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν. Adde *Constitutiones Apostol. L. IV. C. 3.* Memorabile item esse dictum à tot Patribus vel Christo vel Apostolorum cuidam tributum & primum in *Constit. Apostol. L. II. C. 36.* recensitum: γίνεσθε τραπεζῖται δόκιμοι. *Estote nummularii probi.* Imò horum dictorum magnam dedisse farraginem *Jo. Bapt. Coteler.* ad *L. II. Const. Apost. C. 36.* itemque in *Monumentis Ecclesiæ Græcæ T. I.* ad *vitam Syncleticæ*, *Suicerum* in *Thesauro Ecclesiastico* ad vocem τραπεζίτης & in *Observationibus Sacris ad dictum de Trapezitis*, *maximè autem Jo. Crojum* in *Observationibus Sacris & Historicis in novum fœdus P. I. C. XXVIII. p. 204. seqq. Jo. Clericum in Arte Critica Vol. II. p. 494. sq. Rich. Simon.* in *Diss. de Cod. MSS. N. T. p. 26. J. E. Grabe* in *Spicil. Patr. Sec. I. p. 12. 13. 14. Sec. II. p. 30. 31.*

230. 231. & in *Annotatis ad D. Bulli Defens. fid. Nic.* *p.* 139. *Jo. Alb. Fabricium* in *Codice Apocrypho Nov. Test.* & in *Bibl. Gr. L. 5. C. 1. p. 107.* itemque *Jo. Millium* in *Prolegomenis & notis ad Nov. Test.* passim. Nec sanè hac de re dubitaverit quispiam Patrum scriptis legendis assuetus, quin potius existimaverit, largum aliis hoc in argumento spicilegium relictum esse. Neque enim crediderim vel unicum esse Patrem, qui dicta ex novo Test. non citet, ibidem haud exstantia, certè iisdem verbis non exscripta. Hoc tamen in studio omnes alios vinci à *Clemente Alexandrino* arbitramur; etsi id negandum non sit, Patres, ut supra posuimus, sæpè ex Evangeliis suppositiis dicta ut genuina desumsisse, vel memoriæ fallacia deceptos fuisse, ad quod ultimum referendum utique est illud *Athenagoræ* ad dictum Christi *Matth. V. 28.* additamentum in *legatione pro Christianis* exstans §. XXVIII. *p. 128. 129.* editionis elegantissimæ, quam *A. 1706. Oxonii* edidit *Eduardus Dechairius*.

§. 6. Quod si autem Novi Test. libri non penitus corrupti sint, licet, judicio *Deistarum*, haud exigua hujus rei exstent documenta, id tamen certum indubitatumque ii existimant, eosdem libros ita interpolatos corruptosque fuisse, ut inter genuina & spuria distinguere nunc nemo valeat. Atque hujus sententiæ rationem proferre arbitrantur esse supervacaneum, quum ex infinita variantium, desideratarum, intrusarum aliarumque, quæ sensum nullum fundere videntur, lectionum in MSS. tamen codicibus occurrentium multitudine id satis pateat. Accedere, ipsos Græcos, eosque, qui sua ætate *orthodoxiæ* laudem propriam fere sibi vendicaverint, codicum *Novi Testamenti* varia loca corrupisse. Habere

bere certè hanc in rem aliqua *Origenem*, Patrem Ecclesiæ antiquissimum, in *commentario in Matthæum f. 439.* edit. Huetianæ, ita disserentem: δοκεῖ μοι ὑπὸ ἑλλήνων συνεχῶς γραφόμενα τὰ εὐαγγέλια, μὴ εἰδότων τὴν διάλεκτον, συγκεχύσθαι ἐν τοῖς κατὰ τὸν τόπον ἔχουσιν αὐτὰ ἀπὸ τοῦ προειρημένου Ψαλμοῦ. *Evangelia à Græcis dialecti* (Hebraicæ quippe; quæstio enim est, ut ex superioribus patet, de *Psalmo CXVII.*) *ignaris frequenter exscripta, corrupta esse mihi videntur in hoc loco in iis, quæ habebantur ex memorato Psalmo.* Et in *Commentar. in Johannem f. 131. exstat*: οὐ καταφρονητέον οὖν τῆς περὶ τὰ ὀνόματα ἀκριβείας τῷ ἀπαραλείπτως βουλομένῳ συνιέναι τὰ ἅγια γράμματα. τὸ μέντοιγε ἡμαρτῆσθαι ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις τὰ περὶ τῶν ὀνομάτων πολλαχοῦ καὶ ἀπὸ τούτων ἄν τις πεισθείη ἐν τοῖς εὐαγγελίοις, *contemnenda non est accurata circa nomina diligentia ei, qui voluerit probe intelligere sanctas literas. Peccatum quidem frequenter fuisse in Evangeliis ad nomina quod attinet, in Græcorum exemplaribus, facile quis hinc persuadeatur.* Atque hisce locis scatere Patrum *rei criticæ* peritorum libros, uti vel ex solius *Hieronymi* Commentariis, maximè autem ex ejus *Prologis* satis & luculenter constet. Probare hanc corruptionem maximè dictum illud πολυθρύλλητον *1. Joh. c. 5. v. 7.* quod in antiquissimis codicibus MSS. non inveniatur. Vid. *Rich. Simonis Histor. Crit. Textus novi Test.* ejusdemque *Dissertatio de MSS. Nov. Test. Codicibus. C. C. Sandii Appendix Interpret. paradoxarum in Nov. Test. p. 376. seqq. Gilb. Burneti Itiner.*

p. 54.

*p. 54. usque ad p. 57.* edit. 1689. *Jo. Clerici Vol. II. de Arte Critica p. 393. 394. 307.* & *Notæ ad Nov. Test.* Eandem porrò hypothesin adstruere frequentes ab hæreticis factas corruptiones & interpolationes, quarum farraginem inter recentiores *Jo. Crojus, Rich. Simon.* & *Jo. Millius* nobis dederint. Constare porrò, ipsos Ecclesiæ Veteris Patres loca novi Test. interpolâsse, ut ex allegationibus ipsorum à *Dan. Heinsio, Jo. Crojo* & *Jo. Millio* collectis aliorumque scriptis pateat. Ita, ut ad magis specialia deveniamus, *Jo. Crojum* in *Observationibus sacris & historicis in Novum Fœdus* demonstrare c. XVI. *Patres ad conjecturas sæpius confugisse & pro libitu textum contra MSS. Codicum auctoritatem vitiâsse*, c. XVIII. *Patres in recensione locorum novi Test. sæpius alias voces substituere, alias addere*, c. XX. *eosdem plura novi Test. loca sæpius jungere, acsi idem ibidem exstaret contextus*, c. XXI. *utriusque fœderis loca eos sæpius miscere*, atque, ut ex c. XXII. pateat, *Interpretum aliquando partes agere*, porrò secundum c. XXIII. *quædam sæpius omittere*, &, uti c. XXIX. ostendat, *voces, numeros, casus tempora & modos mutare.* Accedere insuper hoc, *quod ipsi Patres vel librariorum vel Interpretum lapsum vel etiam hæreticorum lectionem aliquando sequantur;* cujus rei exempla afferat *Crojus l. c.* c. XXVI. Certum quoque esse, optimos etiam Patres hæreticorum aliquando perversas textus Nov. Test. interpunctiones secutos fuisse. Ita enim, exempli gratia, *Chrysostomum* animadvertere in *Homilia ad Joh. I. 3. 4.* hæreticos post voces οὐδὲ ἕν posuisse punctum. Hos autem hæreticos fuisse *Valentinianos, Arianos, Macedonianos, Manichæos* aliosque te-

stari

ſtari *Epiphanium in Valentinianorum hæreſi Sect.* *XXVIII.* & *in Arianorum hæreſi Sect. LVI.* itemque *in Ancorato Sect. LXXV.* cum quo conſentiant *Theophylactus* & *Euthymius.* Aſt eandem interpunctionem tenuiſſe *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium Gregorium Nyſſenum*, *Cyrillum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Tertullianum*, *Hilarium*, *Auguſtinum*, *Ambroſium*, & forſan alios. Vide *Jo. Croji Obſervat.* citatas c. xxv. & Dion. Petav. *Theol. dogm. T. II. L. II. C. 6.* §. *6.* Atque hæc ſunt argumenta, quibus probari putant *Deiſtæ*, textum Novi Fœderis eſſe interpolatum atque corruptum.

§. 7. Aſt facilis eſt, ut arbitror, ad haſce objectiones reſponſio. Quod enim primam pro ſuppoſitione Novi Teſt. adductam rationem concernit, concedimus equidem, fuiſſe eam primorum N. T. temporum indolem, ut facile quævis ſupponi potuerint, & ſuppoſita quoque ſint. Aſt de novi Teſt. libris non eſt, quod ita cogitemus. Horum enim auctoritatem authenticam continua per xvi. hactenus ſecula traditio canonque Eccleſiaſticus probavit, cui contradicere, aut indocti hominis & ſenſu communi orivati, aut malitioſæ mentis de meliori ſatis convictæ eſt. Alterum argumentum ex contradictionibus hæreticorum adverſus canonem novi Teſt. factis petitum eſt. Sed quærendum heic: *num juſtæ illæ ſuisque nixæ fundamentis fuerint?* Quod ſane pernegandum eſt, cum nullam vel doctrinæ vel officiorum ſucceſſionem ab Apoſtolis, qui hos Eccleſiæ libros tradidere, habuerint hæretici, ſed ſuo indulgentes genio quævis ſtatuere, corrumpere, interpolare, ſupponere ſuſtinuerint. Nec defuit ſanctis Eccleſiæ Patribus facultas ex MSS. atque authenticis novi Teſt. codicibus hæreticos refutandi, quod luculen-

ter

ter ex ipsorum in novum Test. Commentariis cæterisque scriptis patet. Vid. *Jo. Croji Observ. in Novum Fœdus* c. XIV. Terita ratio desumta est ex defectu Scriptorum profanorum easdem cum Evangelistis historias recensentium. Hanc refutare omnes arbitror, quotquot unquam de Veritate Relig. Christianæ scripsere, maximè *Hug. Grotium*, quo nemo melius hoc de argumento unquam scripsit, item *Pet. Dan. Huetium* in *Demonstratione Evangelica*, *Joannem* item *Eduardi* in libro Anglicano *de veritate & auctoritate sacrarum scripturarum*, &, quem primo nominare debebam, *Sam. Parkerum*, *Episcopum* olim *Oxoniensem* in *Demonstratione Divinæ Auctoritatis Christianæ Religionis* Anglice scripta §. XI. *sqq. p. 112. sqq.* Et quamvis de resurrectione Domini & ascensione itemque transfiguratione in monte nulla forsan apud profanos historicos exstet mentio, vera tamen est, quam nobis Evangelistæ narrant, historia. Non enim ea omnia publice & in conspectu totius populi facta sunt; sed præsentibus solùm Apostolis discipulisque Domini, qui, quod soli ea posteris tradiderint, falsitatis sanè accusandi non sunt, cùm soli id facere potuerint, utpote vel rerum à se traditarum αὐτόπται vel horum saltem amanuenses. Quod quartò dicitur, multa Patres loca ex Nov. Test. libris citasse, quæ in nostris non exstent codicibus, id verum quidem est. Ast nihil ex hoc ipso confici posse nos arbitramur. Neque enim ex hoc consequitur, codices nostros alios esse, quam S. Patres habuerint, nec suppositos eos esse, quibus nos utimur, cum diversæ illius Patrum allegationis innumeræ aliæ possint dari rationes.

§. 8.

§. 8. Etenim sunt dicta, quæ ex traditione à Veteribus facta Christo adscribi videas. Ita *Paulus Act. XV. 25.* dictum quoddam Christi non ex Evangeliis, sed ex traditione eorum, qui id audiverant, aut si malis, ex immediata Spiritus S. illuminatione citat. Ita *Constitutiones Apostolicas L. II. c. 36.* cum magno Patrum choro dictum hoc: γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, *estote probi nummularii*, itidem ex traditione recensuisse, verisimillimum est. Ita de *Papia* expressum habemus *Eusebii* testimonium, quod per traditionem varias Domini Parabolas doctrinasque acceperit. Sic enim in ipsius *Historia Eccles. L. III. c. 39.* legitur: καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ Σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ. Quale quid è *Papiæ* traditionibus exstat apud *Irenæum L. V. adv. hær. c. 33.* cujus verba adduxit *Jo. Ern. Grabe* in *Spicil. Patr. Sec. I. p. 30. 31.* à se illustrata in *notis p. 230. 231.* Ast alia quoque dicta in codicibus nostris non exstantia citant Patres ex Evangeliis Pseudonymis aliisque Pseudepigraphis, uti patet ex iis, quæ supra §. 4. dicta fuere. Atque ex his allegationibus nostros codices esse vel suppositities vel mutilatos, concludere velle, inane est, cum si hujus commatis dicta in nostris codicibus exstarent, dicendum potius foret, eos fuisse interpolatos. Denique nemo dubitat, Patres dicta sæpius ex memoria citasse, quæ sæpius eos fefellit. Prius luculenter probat *Crojus* in *Observ. in Nov. Test. c. XXVII. p. 199. sqq.* idem Auctor ostendit. Ita *Gregor. Nyssenus scribit Orat. II. contra Eunomium*: οὕτως καὶ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προσφυσή-

ιυϛήματος δεδωκότος τοῖς μαθηταῖς τὸ πνεῦμα
γιον, φησὶν ὁ Ἰωάννης, ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ
μεῖς πάντες ἐλάβομεν. In quibus verbis ἁμάρτη-
α μνημονικὸν reperiri facile patet, si *Joh. 1. 16.* cum
*oh. XX. 22.* contulerimus. Eodem modo errat *Epi-
hanius*, cum scribit in *hæresi Marcionistarum*:
περὶ ὧν αἱ αὐταὶ ἀμφέβαλλον Μάρθα καὶ Μαρία,
λέγουσαι, ἤδη ὄζει, τεταρταῖος ἐστί. Sola quippe
Martha id dixit, uti patet ex *Joh. XI. 39.* Quod si
utem sæpius Patres ita fefellerit memoria, quæ
ertè labilis est, facile fieri potuit, ut in eorum scri-
tis invenirentur dicta ex N. T. citata, sed in eodem
on exstantia. Accedit, Patres N. Test. dicta alle-
antes sæpius non ad verba Scriptorum sacrorum sed
d res solùm respexisse. Quæ allegationes sanè adeò
on probant, nostros codices esse mutilatos, ut po-
ius dici debeant Patres heic vestigia Scriptorum novi
Test. pressisse, qui, ut constat, ex Vet. Test. sæpius
non verba, sed res sensumque solùm adducunt. Imò
xtant in Novo Fœdere loca ex Vet. Test. citata,
quæ in hoc planè non inveniuntur, auctoritatem ta-
nen Vet. T. eam ob rem non destruentia. Ita
*Matthæus c. 11. v. 23.* allegat ex Vet. Test. verba:
ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, quæ nullibi exstant.
ta *Paulus Eph. V. 14.* verba ex Vet. Test. citat, quæ
ex *Apocrypho Jeremiæ codice* desumta esse veteres
putant. *Ebr. IX. 19.* refert *Paulus* ex V. T. *Sacer-
dotem sanguine librum aspersisse*, quod nullibi in
V. T. exstat. *Luc. III. 36.* scribitur τοῦ Καϊνὰν,
quod non reperitur in vet. Test. & in versionem
LXX. viralem, indeque in *Evangelium Lucæ* in-
trusum

trusum à quibusdam esse existimatur. *Ebr. XII. 1.* narratur, Mosen, dum lex è monte Sinai daretur dixisse: ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομ@. Ast nullil in Vet. Test. libris dictum hoc inveniri non potes Add. *Jud. v. 9, 14. 15. & 2, Tim. III. 8.* Quod itaque hoc contigit, ut in libris novi Test. dic ex Vet. Test. citarentur, quæ in hujus tamen libr non exstant, salva nihilominus V. T. auctoritate argumentum *Deistarum* sua sponte corruit, nec si perest, quod porrò ab iis regeratur. Confer quo que, quæ hanc in rem egregiè scripsere *Hugo Gro tius de Veritate Relig. Christ. L. III. §. IX. & XV.* ul duas affert rationes, queis Novi Testamenti libro genuinos esse probat, & quibus contradicere insan ferè hominis foret, maximè verò *Richardus Si mon in Hist. Crit. Textus Novi Test.* capitibus pri mis.

§. 9. Quæ pro interpolatione & corruptione li brorum N. T. adduntur rationes, ejusdem fere mo menti sunt. Sunt quidem in N. T. variis exempl MSS. sunt in Versionibus ejusdem & allegationibu variæ lectiones. Sed suppeditat, ut arbitror, A critica sufficientia media, quibus genuina lectio suppostitia distingui queat. Id quod in sequentibu data opera ostendemus. Quod vero corruptione Græcorum codicum ab *Origene* aliisque Patribus me moratas attinet, tanti eæ momenti non sunt, ut a probandam totius Novi Testamenti corruptionem aliquâ cum veritatis specie queant adduci, quipp quæ ex collatione codicum aliorum cæterisque medii hanc in rem adhibendis facili negotio dignosci queun & ab ipsis Patribus satis sufficienterque sunt obser vatæ. Ubi & id quoque notandum, affirmare *Jo*

*annem*

annem *Millium*, Codices Novi Teſtamenti nunquam ab hæreticis fuiſſe corruptos. Vid. *Prolegom. P. I. f. 30. 31. P. II. f. 139. 140.* & alibi, id quod tamen vix quiſquam conceſſerit. Dictum vero *1. Joh. V. 7.* quod attinet, deſideraſſe hactenus Virum doctiſſimum *Jo. Clericum* video reſponſionem ad *Richardi Simonis* rationes, quibus intruſum hunc locum eſſe probare conatur. Aſt plurimam iis refutandis operam dedit Vir Reverendus *D. Thomas Smithus* in *Miſcellaneis*, quæ vocat, & quibus *p. 120. ſqq. Diſſertationem de integritate hujus loci*, itemque *p. 150. Defenſionem hujus Diſſertationis contra Simonem*, denique *p. 325. ſeqq. Appendicem ad hanc Defenſionem* inſeruit, etſi, quod de *Prologo Hieronymi in Epiſtolas Canonicas* ait Vir doctiſſimus, haud adprobemus, de quo *Simonius*, *Martianæus*, *Clericus* in *Arte Critica* & *Quæſtion. Hieronym.* itemque *Jo. Millius* videantur, qui poſterior, ut ea, quæ inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos *Jo. Georgius Dorſcheus* & *Jo. Henricus Majus* egregie hanc in rem ſcripſere, taceamus, inſtar omnium eſſe poteſt in probanda hujus loci auctoritate. Certè id arbitror, doctiſſimorum Virorum, qui contrarium ſentiunt, hoc πρῶτον eſſe ψεῦδος, quod exiſtiment, in omnibus codicibus MSS. bonæ notæ abeſſe hæc *Johannis* verba; ſed rem aliter ſe habere ſatis demonſtravere Duumviri illi, quos nominavimus, *Millius* & *Smithus*. Hæreticorum verò interpolationes & corruptiones, quas porrò *Deiſtæ* ad probandam ſententiam ſuam adferunt, non moramur, quum à Patribus ſatis detectæ ſint, & ſua ſponte corruant. Ipſos autem Patres

textum ſacrum interpolaſſe induſtriâ, vix crediderim. Α᾽μαρτήματα quidem μνημονικὰ, quibus obnoxii fuerunt, concedimus, nec negamus, eos in recenſendo textu Græco haud ubique accuratos fuiſſe, etſi pauca afferri queant loca, quibus corruptam ab hæreticis lectionem ſequantur. Recurrentibus enim ad codices MSS. genuina lectio nunquam rejecta eſt, ſed approbata atque defenſa. Accedit, eos non tam ad verba, quam ad res ipſas, uti §. 8, diximus, reſpexiſſe, maximè, quum populus de moribus Chriſtianiſmo dignis informandus eſſet, ubi disquiſitionibus criticis non relinquebatur locus. Ex quibus omnibus id patere arbitror, Deiſtas nec ex librariorum erroribus nec hæreticorum corruptionibus, nec Patrum allegationibus, neque aliis ex argumentis quicquam pro ſententia ſua adferre poſſe, cum omnibus iis depravationibus ſufficientia remedia adhiberi poſſint.

§. 10. Quæ cùm ita ſint, hoc certum indubiumque eſſe exiſtimamus, N. T. libros ab omni ſuppoſitione & corruptione liberos eſſe. Provocavimus ſupra ad continuam Eccleſiæ traditionem, quæ, prout ſanctiſſima hæc monumenta è manu Apoſtolorum accepit, ita ea conſervavit quoque poſteriſque incorrupta tradidit, addito quoque Canone, quo genuini libri à ſpuriis dignoſci, &, quinam ab Eccleſia Chriſtiana recepti eſſent, dijudicari poſſent. Quod argumentum ſanè validiſſimum ut infringerent quidam recentiſſimorum Scriptorum, commenti ſunt, nullum canonem librorum novi Teſt. tribus prioribus poſt C. N. ſeculis confectum eſſe. Ita olim *Thomas Hobbes* aſſeruit, conditum canonem N. T. eſſe primum vel

vel in *Canon. Apoſtol.* vel, quia hi dubii ſint, in *Conc. Laodiceno.* Vid. *Leviathan c. XXXIII. Henr.* quoque *Dodwellus* Canonem ſerius confectum eſſe aſſerit in *Diſſert. I. in Irenæum* §. *38. 39. 40. p 66. ſeqq.* quem, etſi refutare conatus fuerit *Jac. Baſnagius* in *Hiſtoria Eccleſiæ* Gallicè conſcripta *T. I. L. VIII. C. IV. f. 426. 427. 428.* aſſerit tamen ipſe, *tribus prioribus ſeculis canonem non eſſe conflatum propter αὐτόγραφα adhuc præſentia*, addens, *quamvis Eccleſiam eo tempore libertatem habuiſſe, canonem proprium conficiendi T. I. L. VIII. C. V.* Maximè autem defendere hanc ſententiam conatus eſt *Jo. Tolandus* in Libro Anglicano, qui ſub titulo *defenſionis vitæ Miltonianæ* vel *Amyntoris* prodiit, *p. 57. ſqq.* Aſt *Jo. Tolando* duo doctiſſimi Viri ſeſe oppoſuere, *Jo.* nempe *Richardſonus* in Libro Anglico *de Canone N. T. vindicato*, ubi in *præfatione* quoque novæ editionis *Jac. Basnagium* refutat, quamvis ejus opinionem non ubique aſſecutus eſſe videatur, itemque Auctor anonymus ſed haud indoctus, quem ſupra §. *2. Stephanum Nyæum* eſſe diximus, in *hiſtorica recenſione & defenſione Canonis novi Teſt. contra Tolandum* Anglicè conſcripta & A. 1700. Londini edita. Quamvis enim id negari nequeat, expreſſam canonis per Concilium quoddam conſtitutionem primùm *Laodiceæ* factam, quam in tribus prioribus ſeculis injuri temporum fieri prohibuit; id tamen certum indubiumque eſt, veteres Chriſtianos ante *Concilium Laodicenum* viventes ea, quæ poſtea Canone quodam Eccleſiaſtico definita fuere, benè ſciviſſe, traditionibus quippe Apoſtolicis propiores, licet externæ iſtæ Concilii eapropter congregandi cærimoniæ non ac-

cesserint. Vid. *Jo. Cosini*, *Episcopi* quondam *Dunelmensis Historia Scholastica Canonis S. Scripturæ*, *Lud. El. Dupin Historia Canonis & Scriptorum V. & N. T. Nehemiæ Grew Cosmologia Sacra*, eo loco, ubi *de Canone novi Test.* agit, *Jo. Millii Prolegomena in novum Test. P. I.* itemque *Rob. Jenkini P. II.* Libri Anglicani *de rationabilitate & certitudine Religionis Christianæ*, ubi rationes pro probanda Canonis novi Test. vetustate satis elegantes affert, quas, quoniam hoc argumentum nunc tractare instituti nostri non est, lubentes prætermittimus.

## CAPUT SECUNDUM.

*Patres prisci Autographorum Apostolicorum tam anxiam curam haud curam gessere. Locus Ignatii ad Philadelphenses. De eo controversiæ Is. Vossii & Rich. Simonis. Explicatio hujus loci à Dodwello data. De literis Apostolorum authenticis apud Tertullianum. Quasnam Apostoli ipsimet scripserint & quas dictaverint? De Evangeliorum Marci & Lucæ primariis Auctoribus Petro & Paulo ex veteri traditione & collatione horum Evangeliorum cum literis Petri & Pauli disseritur. Rationes, cur deperdita fuerint Autographa Apostolica. Adducitur singularis Jo. Morini observatio. Autographum Evangelii Johannæi permansit usque ad seculi quarti initium in Ecclesia Ephesina, testante Petro*

*Alex.*

*Alex. Recensentur deperditæ Petri, Pauli & Johannis Epistolæ. Communicatio Scriptorum Apostolicorum cum aliis causa quoque fuit, cur perierint, & quoad quasdam Epistolas, quod tam sero fuerint in Canonem receptæ & de earum Auctoribus dubitatum. De codice Evangelii Matthæi Autographo itemque de S. Marci codice latino authentico. De Apographorum Apostolicorum origine. Deperditis Autographis primarium nobis deest medium, genuinas Nov. Test. lectiones à spuriis distinguendi.*

§. I.

QUamvis autem omnes Novi Testamenti libri genuini ad nos pervenerint, atque ab omni aliorum suppositione securos nos esse jusserit Canon Ecclesiasticus, id tamen ei, qui veterum scripta paulo evolvit diligentius, clarum perspicuumque esse arbitramur, veteres primorum post C. N. sæculorum Christianos, continuis persecutionibus impetitos & pro conservanda in istis fide maximè sollicitos, haud adeo magnam Scriptorum Sacrorum à spuriis supposititiisque distinguendorum imo nec *Autographorum Apostolicorum* ipsa sanctissimorum Virorum manu signatorum, singularem curam gessisse. Quod vel solum id probat, quod in *S. Ignatii ad Philadelphenses literis* §. *VII.* legimus: μηδὲν κατ' ἐρίθειαν πράσσετε, ἀλλὰ κατὰ χριστομάθειαν. ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων, ὅτι, ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω. καὶ λέγοντός μου αὐ-

τοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται. Ἐμοὶ δὲ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς, τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ, ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. Non aliud ſanè hoc eſt, quam dicere: *Quid tam ſolliciti eſtis in inſpiciendis autographis & perquirendis archivis, ubi Scripta Apoſtolica reponimus? Archiva hæc corroduntur & demùm vetuſtate detrita in pulverem abeunt. At mea archiva ſunt ipſe Jeſus, mors ipſius & reſurrectio fidesque in eum, nullam corruptionem exſpectaturæ.* Quæ Apoſtolico ſane ſtylo ſed difficili effatus eſt *Ignatius.* Memorat heic ἀρχεῖα ſive tabularia & inſtrumenta, in quibus aliâs acta publica conſervabantur, atque ita innuit, veteres Chriſtianos tabularia qudam condidiſſe, quibus, quæ ipſis tradita erant, εὐαγγέλια conſerverint, ne, ſi multorum manibus tererentur, ipſi denique authentici codices perirent. Atque hanc τῶν ἀρχείων lectionem heic cenſemus genuinam, id quod ex ſequentibus patet, ubi vox ἀρχεῖα repetitur, etſi MS. codex Mediceus ἐν τοῖς ἀρχαίοις habeat. Hæc enim lectio obſcura eſt, nec ſenſum aliquem fundit, niſi vocem βιβλίοις ſuppleveris atque τὰ ἀρχαῖα per τὰ ἐξ ἀρχῆς παραδεδομένα, præeunte *Heſychio*, explicaveris. Evangelia autem MSS. hîc intelligi ipſe contextus docet, qui de Evangeliorum fide agit, ut mirari ſatis nequeamus, *Iſaacum Voſſium*, Virum doctiſſimum, ex hoc *Ignatii* loco, corruptionem codicum Hebræorum vet. Teſt. eo jam, quo *Ignatius* vivebat, ſeculo contigiſſe, probare conatum eſſe.

Qua

Qua ratione itidem permotus, cum in *notis* ad *Ignatium* ἐν τοῖς ἀρχείοις genuinam esse lectionem affirmasset, in *Responsione ad objectiones nuperæ criticæ sacræ* libello *de Oraculis Sibyllinis* addita loco ad p. 19. inserendo & sub initium libri exstante sententiam suam mutavit, ἐν τοῖς ἀρχαίοις legens, & quamvis *Richardus Simon* in *Opusculis criticis adversus Isaacum Vossium p. 6. 7.* non de vet. Test. deque codicibus Hebræis sed de Evangeliis hîc agi ad oculum demonstrasset, priorem tamen sententiam omnibus viribus denuo in *Responsione ad iteratas Simonis objectiones p. 363. 364. 365.* defendit, quo in loco &, quid per vocem πρόκειται intelligendum sit, explicat. Designari quippe eâ idem, quod voce παράκειται aliâs designetur, nempe *adjacentem textui versionem*, non *ipsum textum*, quam significationem ex usu veterum communi probare conatur. Denique sensum verborum Ignatii ita tradit: *Rogat Philadelphenses, ne quid agant per contentionem sed in omnibus Christi doctrinam sequantur. Audivisse enim se quosdam dicentes: nisi ea, quæ in Evangelio posita sunt, inveniantur etiam in antiquis h. e. Hebræis exemplaribus, sese nolle credere Evangelio. Respondet Ignatius, scripta esse, eademque, quæ in Evangelio exstent, inveniri quoque in antiquis exemplaribus. Negabant Judæi, dicentes, in Hebræis non legi, sed tantum in adjacente versione.* Aut ita addit *Vossius*, si juxta communem sententiam πρόκειται heic *expositum esse* significet, respondisse *Ignatio* eosdem, *vulgo quidem ita legi, sed non in antiquis exemplaribus.*

§. 2. At facilè patet, hæc omnia defendendæ

*Isaaci Vossii* sententiæ non sufficere. Id quod luculenter idem *Simon* sub personato nomine *Hieronymi le Camus* vel *à S. Fide* in *judicio de nupera Is. Vossii ad iteratas Simonis objectiones responsione p. 24.* ostendit, hoc maximè demonstrans, non ἀρχάιοις sed ἀρχέιοις hîc legendum esse. Queis quod reponat, *Is. Vossius* nil habet, nisi verba quædam indignatione plena in *Responsione ad tertias Simonis objectiones Appendici observationum ad Pomponium Melam* addita p. 39. 94. ubi cum nausea, quæ jam antea dixerat, repetit. Nec tamen diffitendum, vocem πρόκειται difficultatem quandam in explicando *Ignatii* textu parere. Si enim illa, uti hèic jacet, intelligenda sit, & quod in antiquis exemplaribus quærebant scioli isti, juxta propriam eorum confessionem in iis exstiterit, nec dissentire ii ab *Ignatio* potuissent, nec superfutura fuisset *Ignatio* eos reprehendendi occasio. In interpolata hujus Epistolæ editione verba hæc non reperiuntur, forsan, quod, judicante *Vossio*, Interpolator ea non intellexit. *Is. Vossius* in *notis ad h. l.* legendum putat, ὅτι ȣ̓ παράκειται. Ast, uti, quæ modo diximus, monstrant, postea sententiam suam mutavit. *Jo. Pearsonius*, *Episcopus* olim *Cestriensis*, ὅτι legendum esse existimavit vocemque πρόκειται retinuit. *Th. Smithus*, cujus *Epistolarum Ignatii genuinarum* editio *Oxoniensis* in *notis p. 84. 85.* videri potest, duplicem proponit horum verborum sententiam. Prima est: *Exemplar istud originale propositum esse & in publicis tabulariis custoditum & consulentibus exponendum, ut lites enatæ tollerentur, hujus solius auctoritate standum esse*; altera verò: *hoc a nobis proponitur & in medium objicitur*

*citur tanquam cardo controversiæ.* Ex hisce interpretationibus, quænam sit eligenda, difficile utique est judicatu, eam maximè ob causam, quod D. *Ignatius* pleniorem colloquii & controversiæ hujus recensionem nobis non dedit. Id certum est, eos, de quibus heic scribit *Beatus Martyr*, authentica Evangeliorum exemplaria ab ipso postulasse, ut, num hæc vel illa in iis exstarent, videre possent, ast *Ignatium* ea ipsis denegasse. Denique quando Christum τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα, *archiva illibata, intacta & nulla vetustate deterenda* vocat *Ignatius*, neque, ut quidem MS. codex Mediceus habet, ἄθηκτα, *non acuta*, quod nullum heic sensum fundit, & ex errore librarii η cum ι propter eandem *dictantis* pronunciationem, quod in MSS. cod. Græcis passim factum, confundentis pro ἄθικτα positum est, nec ἄσηπτα *non putrefacta* cum *Guilielmo Nichols* in *collatione cum Theista* Anglice scripta *P. IV. p. 83.* legendum esse arbitramur. Hæc enim posterior lectio nec in codice quodam MS. nec versionibus vel allegatione quadam ex *Ignatio* facta fundamentum habet, sed nuda conjectura, qua heic opus non est, nititur.

§. 3. Cæterum egregia oppidò sunt, quæ hunc in locum commentatus est vastissimæ eruditionis Vir, *Henricus Dodwellus*, cujus hæc sunt verba: *In* Δοκητὰς, *hæreticos locum protulerat Ignatius ex Evangelio S. Matthæi, quo negavisse dicebatur Christus, se dæmonium esse incorporeum.* Ign. ad Smyrn. *N. 3. Non satis caute distinxit S. Martyr inter S. Matthæi Evangelium sincerum, &, quale usurpabant Ebionæi, jam in Asia grassantes, interpolatum. Hic ergo negant hæretici & quidem recte, verba illa*

*in Evangelio fuisse, quale prodiit à S. Matthæo. Et ad archiva provocant, in quibus authenticum S. Matthæi exemplar prostabat, ut ab omnibus consuleretur. Proinde se negant credituros verbis Evangelii vulgi manibus teri soliti, quà quidem discrepabant ab exemplari authentico fide archivorum publicâ custodito. Urgente nihilominus Ignatio ita legi in suo, quod ipse usurpaverat, exemplari (hoc vult, ni fallor, verbis illis, ὅτι γέγραπται,) reponunt hæretici, prostare tamen authenticum exemplar, quod appellaverant, ut ab ipso quoque possit consuli, rectene verba illa Evangelistæ essent imputanda. Hoc volebant voce πρόκειται. Respondet enim voci προτιθέναι receptissima in Principum edictis promulgandis. Sic πρόκεινται δεῖγμα S. Jud. vs. 7. factæ sunt exemplum, in vulgato Interprete, ut nempe in omnium notitiam venirent. Sic προκειμένη proposita in glossis antiquis. Quæ vox ipsa sæpe usurpatur de edictis Principum Latinis. Et κειμήλια, quæ reponebantur in conditoriis, præcipuè in scriptis monumentis. Ita κείμενον Auctoris textum adpellant critici, & κεῖσθαι tantundem valet, quod legi in probatæ fidei auctoribus. Inde Ulpiano nomen κειτέκειτος apud Athenæum. Quod scilicet de voce quacunque, quæ occurrerit, quæstionem illam importunam solitus sit interponere, κεῖται, ἢ οὐ κεῖται, num scilicet mentio illius fuisset in classicis Auctoribus? Rectè ergo scripta authentica Archivis recondita προκεῖσθαι dicuntur, cum eo fine ibi reponuntur, ut ad illa fieri possit appellatio. Proinde erant in Asia archiva de veris Evangelii secundum S. Matthæum*

theum

*thæum verbis consulenda. Et ab his, ni fallor, Archivis Ephesinis emanavit codicis Evangeliorum hodierni fides. Tanto enim Ephesini Collegii testimonio comprobata exemplaria ab Ecclesiis omnibus recepta fuisse consentaneum est, quæ tum supremam collegii illius auctoritatem agnoscebant, quamprimum innotescerent. Inde nec plura Evangelia nec pauciora quatuor agnoscit Asianus Irenæus L. III, c. 2. quod illo numero Evangelia in Archivis repererat Ephesinis. Et numerum eundem agnoscit, qui ante eum scripsit, ipso tamen junior, S. Justinus Martyr. Cæterum eodem, quo Ignatius Syrus, errore lapsi sunt, tam S. Justinus ipse Samaritanus, quam Hegesippus Judæus, quibus non erant ad manum Archiva Ephesina, ut interpolationes Ebionæorum à veris S. Matthæi verbis internoscerent. Necdum, tam brevi spatio, emanaverant in publicos omnium usus Apographa genuina. Ea autem, ubi magna copia emanassent, paucos admodum deinde Catholicorum reperimus, qui Ebionæorum interpolationes in testimonium advocaverint. Non certe, ut olim, pro veris S. Matthæi verbis. Qui ante vixerint, nec Evangeliorum, quos adpellant, Auctores edunt; nec ut in nostris leguntur Evangeliis, testimonia advocant, etiam, cum res habent cum nostris communes; & ex aliis postea improbatis Evangeliis frequentius verba proferunt. Unde, quæso, illa, nisi quia ab hoc demum Collegio Ephesino canon Evangeliorum fuisset stabilitus, quem deinceps avide, tanta autoritate præeunte, omnes acceperint Ecclesiæ? Crediderim, eo spectasse ipsum Archivorum usum, ut legum deinceps vim obtinerent in Ecclesia Christiana. Si legum vim habebant Athenien-*

*sium* ψηφίσματα, *cum referentur in* Μητρῷον, *& Romanorum senatusconsulta, cum in Ærarium Saturni. Inde* προκείμενος νόμος *Esth.I.8. sensu vocis* προκειμένε *supradicto. Ita post hæc tempora vixerit oportet, S. Bartholomæus, si quidem Hebræum S. Matthæi textum Indis intulerit, non autem Ebionæum. Ex his Marcione antiquioribus Archivis evicta credideeim, quæ ipse S. Lucæ Evangelio inferserit, ut nos docent Tertullianus atque Epiphanius. Uti & alia quoque* ῥαδιεργήματα *sequacium Artemonis, non minus ipsa invicem diversa, quam à textibus Archivorum authenticis. Euseb.Hist.Eccl. V.28. Gr. Vix potuit alioqui in illos tanta Catholicorum fuisse concordia in textibus adeò serò in Orthodoxorum usum receptis.* Hactenus *Dodwellus* in *Parænesi ad exteros de nupero schismate Anglicano §.XXIII.p. 98. sqq.* Quæ verba eo prolixius recensenda esse existimavimus, quoniam de Archivis Scriptorum sacrorum Novi Testamenti, integritatem auctoritatemque eorundem utique demonstrantibus, luculentius agunt. Addi verò jam possunt *Jac. Basnagius* in Hist. Eccl. L. VIII. C. 5. f. 429.430. *Humphr. Hody* de Bibl. text. orig. L.3. P. 1. C. 3. §. 5. f. 278.sqq. & *Jo. Clericus* in Hist. Eccl. Sec. II. p. 567. 568.

§. 4. Atque hæc de verbis *Ignatii*, qui sua ἀρχεῖα, ipse divini Spiritus plenus, in pectore gessit, sufficiant. Ast intererat sanè Ecclesiæ, ut externorum quoque ἀρχείων cura gereretur, à veteribus sanè non omninò neglecta, qui surgentibus sensim hæreticis, necessarium esse videbant, perversis illorum ausibus obicem ponere. *S. Joannes* id agit maledictione ad finem *Apocalypseos* positâ c. XXII. 18, 19. Eodem ferè

modo,

modo, uti *S. Irenæus* obtestationem addit Libro *de Ogdoade* à se composito, quam refert *Eusebius* in *Histor. Ecclesiastica L. V. c. XX.* itemque in *Chronico*, quod *Hieronymus* vertit, & uti *Ruffinus* in *præfatione* librorum *Origenis* à se translatorum, itemque uti *Valens Antiochenus*, & *Aristeas* in *Historia Versionis LXX. Interpretum*, quorum exempla hanc in rem collegit *Jo. Clericus* in *Art. Crit. vol. II. P. III. Sect. 1. c. 12. §. 14. p. 188. 189. 190.* Taceo Dionysium Corinthium, Eusebium sub initium Chronici, alios. Confer J. A. Fabricii Observ. sacr. L. 3. ad Apoc. XXII. 18. & Bibl. Gr. L. V. C. 1. p. 74. sqq. 337. atque selecta historica & literaria Lilienthaliana T. 1. diss. 1. ubi de exorcismis doctorum agitur. *S. Paulus* quoque eam ob rem peculiare signum literis suis addidit. Vide *2. Thess. III. 17.* Denique Patres primi ad authentica Apostolorum scripta provocarunt. Ita *Tertullianus de præscriptione hæreticorum c. XXXVI.* expressis verbis: *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ AUTHENTICÆ LITERÆ EORUM recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque.* Eadem ferè habet *de Monogamia c. XI.* ubi iterum de *Græco Authentico* loquitur. Sed observandum, authenticum codicem non semper eundem esse cum Autographo, uti viri doctissimi *Pamelius*, *Grotius*, *Waltonus*, *Huetius*, *Simon* aliique dudum hìc observaverunt. Certè alio modo vocem hanc sumsit *Marcus Ephesinus* in *Conc. Florent. Sess. XX. fol. 290.* Tomo Concil. XXXII. edit. Reg. Paris. ubi:

τὰ αὐθεντικὰ τ8τέςι τὰ πρωτότυπα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδ8. Quibus verbis per τὰ αὐθεντικὰ nil nisi Græcum Actorum Synodi Nicænæ textum intelligi, clarum est. Conf. *Simon. Hist. Crit. Text. N. T. C. IV. p. 39. 40.* Significat itaque *Græcus* isque *authenticus codex* Græcam originem vel veritatem. Ita apud Jurisconsultos *authentica instrumenta & scripta* dicuntur, quæ certam & justam habent auctoritatem, quod luculenter videre est ex illo *Juliani de fide instrumentorum*: *Quicunque à fisco convenitur, non ex indice & exemplo alicujus scripturæ, sed ex authentico conveniendus est.* Ast sufficiat, habuisse codicem Authenticum ab omnibus approbatum & cujus auctoritas nunquam in dubium sit vocata. Neque enim existimamus, omnia, quæ Viri sancti scripsere, propria eorum manu exarata esse. Sanè *D. Paulum* aliis literas suas dictâsse clarum est ex *2. Thessal. II. 2.* ubi hortatur Thessalonicenses, ne se turbari patiantur à literis suppostitiis atque suum nomen falso præferentibus, δι᾽ ἐπιςολῆς ὡς δι᾽ ἡμῶν. Neque enim potuisset imponi Thessalonicensibus, si *Paulus* propria manu literas suas scripsisset. Hanc enim ii facile cognoscere atque ita alienos Scripturæ ductus rejicere poterant. Imo ex *2. Thess. III. 17.* omnino patet, *Paulum* ipsum *secundas* hasce *ad Thessalonicenses literas* non exarasse sed amanuensem ejus. Prout enim sæpius fieri solet, ut, qui, dictitavit literas, iis ab amanuensi scriptis propriam suæ manus scriptionem addat, ad eo majorem scriptis auctoritatem conciliandam; ita *D. Paulus*, postquam ab amanuensi literæ hæ ad finem perductæ essent, ipse sua manu ultimum pondus addit, scribens:

ὁ ἀσ-

ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, ΟΥΤΩ ΓΡΑΦΩ. Quæ ſanè ſcribere non poterat *Paulus*, ſi priora ipſemet exaraſſet. Idem de *1. Epiſt. ad Cor.* ex *c. XVI. 21.* & *Epiſt. ad Coloſſ.* ex *c. IV. 18.* dixerim, ubi eadem ferè verba repeti videas. Nec de Epiſt. *Pauli ad Romanos* id negari poteſt. Hanc enim dictavit *Paulus Tertio.* Vide *Rom. XVI. 22.* ubi: Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν ἐν Κυρίῳ. Accedit, quod plures Epiſtolas non ſolus *Paulus* ſcripſerit, ſed cum ipſo vel *Soſthenes*, ut *1. Epiſt. ad Corinth.* ex *C. I. 1.* vel *Timotheus*, uti *2. Epiſt. ad Corinth.* ex *C. I. vſ. 1.* & *Epiſt. ad Coloſs.* ex *C. I. 1.* vel *Silvanus* & *Timotheus*, uti 1. & 2. *ad Theſſalon.* ex utriusque *C. I. vſ. 1.* *Epiſtolam* tamen *ad Corinthios ſecundam*, eamque, quæ ad *Galatas* eſt, ſolus ſua manu conſcripſit *Paulus*, uti videre eſt ex *2. Cor. XIII. 2. Gal. VI. 11.* nec non *literas ad Philemonem*; id quod ex *vſ. 19.* patet, ubi ita Vir divinus: ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα ΤΗι ΕΜΗι ΧΕΙΡΙ, ad quem locum benè *Hieronymus*: *Quod dicit, tale eſt: Quod Oneſimus furto rapuit, id me ſpondeo redditurum; cujus ſponſionis Epiſtola hæc & manus teſtis eſt propria, quam non ſolito more dictavi, ſed meâ manu ipſe conſcripſi.* Certè neceſſarium heic erat, ut Paulus hæc verba propria manu ſcriberet; ſtitit enim ſe heic expromiſſorem pro *Oneſimo* verbis ἐγὼ ἀποτίσω, quod alienâ manu fieri utique non potuit. Ita & *S. Petrus* & *S. Johannes Epiſtolas* ſuas ipſimet ſcripſere. V. *2. Pet. III. 1. 1. Joh. II. 12. 13. 14. 2. Joh. vſ. 5. 3 Joh. vſ. 13.* qui *Johannes* ipſemet quoque *Evangelium* ſuum propria manu exaravit. c. XXI. 24.

§. 5. Nec

§. 5. Nec ſanè crediderim ego, cæteros novi Teſtamenti libros, quotquot præter *Epiſtolas Paulinas* exſtant, propria Virorum ſauctorum manu ſcriptos eſſe. Exſtant apud *S. Irenæum* traditio ſequentibus verbis concepta: Μετὰ δὲ τὴν τούτων (*Petri* & *Pauli*) ἔξοδον (ex Roma) Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Καὶ Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. *adv. Hæreſ. L. III. c. 1.* Citarunt verba hæc *Irenæi* Græca Euſeb. in Hiſtor. Eccles. L. v. c. 8. & Auctor *Catenæ Patrum Græcæ in Evangelium S. Marci* à *Petro Poſſino* editæ *f. 5*, licet poſterior paulò aliter ponat. Hæc *Irenæi* traditio ſi vera ſit & genuina, duo hæc *Evangelia*, etſi quoad res iis conceptas Auctores habuerint *Petrum* & *Paulum*, ab iis tamen non conſcripta eſſe patet, adeoque nulla heic haberi poſſe ipſorum Auctorum αὐτόγραφα. Verò haud prorſus abſimilem autem eam eſſe, ex eo forſan quis dixerit, quoniam *Evangelia* conficere labor erat iis maximè dignus, qui αὐτόπται rerum geſtarum erant, qui, innuente *Johanne 1. Epiſt. I. 1. 2. 3. 4. 5. Verbum vitæ*, ipſum Jeſum Chriſtum *audiverant, oculis ſuis viderant atque conſpexerant manibusque ſuis palpaverant*, ut eo certius de rebus geſtis convicti eas cum πληροφορίᾳ quadam enarrare poſſent, quemadmodum *S. Johannes* in *Evang. c. XIX. 53.* huc provocat, qui denique in feſto Pentecoſtes à Spiritu Sancto illuminati infallibiles in tradenda doctrina Chriſtiana redditi fuerant. Accedunt indicia hujus rei ſpecialia. Quæ ad exaggerandam *D. Petri* auctoritatem ſpectare poterant, in prædicationibus ſuis

Romæ

Romæ habitis omisisse ex modestiâ *Petrum* credibile est. Idem in *Evangelio S. Marci* observare licet. Quod *Matthæus* de *Petro in mari ambulante Evang. c. XIV. 28. 29.* & *ædificanda in hac petra Ecclesia c. XVI. 18.* refert, quod idem scribit *de statere à Petro in pisce, quem capturus erat, inveniendo, & pro Christo & se*, illius jussu, *dando c. XV. II. 27.* quod denique apud eundem de *acerbis Petri* pœnitentis *lachrymis c.* XXVI. itemque apud *Lucam Evang. c. XXII. 62.* exstat id omne in *Marci Evangelio* non recensetur, nisi quod c. XIV. 72. de Petro pœnitente scribitur: ἔκλαιε, non autem, uti *Lucas & Matthæus* ἔκλαυσε ΠΙΚΡΩΣ.

§. 6. Ast, quod *Lucæ* attinet *Evangelium* nîl ferè est, quod ad juvandam Irenæi traditionem dici possit. Id constat, S. *Paulum* scripsisse *Evangelium*, si literame premas. *Rom. II. 16.* Quod sanè si scriptum fuerit, inter deperdita non est, dignum, quod posteritati reservetur, nec inter *apocrypha*, in quorum numero nullum est Evangelium *Pauli* nomen præferens. Inter ea autem, quæ nunc extant, id non aliud, quam quod *B. Lucæ* nomen præfert, esse sic posset. Adde *2. Tim. IV. 11.* Certe prxut *S. Paulus Rom. II. Evangelium* suum citavit, ita maximè *1. Tim. V. 18.* allegat *Luc. X. 7.* Nullibi enim, nisi his in duobus locis legitur: ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι. Ubi quod heic μισθοῦ dicitur, *Matth. X. 10.* τῆς τροφῆς invenias. Porrò, quod *Paulus 1. Cor. XI. 24. 25.* scripsit εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, nemo Evangelistarum habet nisi *Lucas c. XXII. 19.* quæ παράδοσις scripta erat à *Paulo* Corinthiis tradita. Huc enim respice-

ſpicere videntur verba *1. Cor. XI. 23.* At verò quæ refert *Irenæus*, confirmari videmus teſtimoniis *Papiæ & Clementis Alexandrini* apud *Euſebium* in *Hiſtor. eccleſ. L. III. c. 39. L. II. c. 15. & L. VI. c. 14.* itemque *Hieronymum de Scriptor. eccleſ.* in *Marco*, denique *Athanaſium* in *Synopſi ſacræ ſcripturæ*, quæ collegit *Simon.* in *Hiſt. crit. Textus novi Teſt. c. X.* ubi id tamen notandum, voecm ὑπηγορεύθη in *Synopſi* hâc occurrentem perperam à *Simone* verſam eſſe per *a été prêché*, cùm ὑπογορεύειν *dictare* ſignificet, quod bene obſervatam eſt in *Biblioth. Univerſ. T. XII. p. 429. ſeqq.* Denique confirmat hanc *Irenæi* traditionem codex Evangeliorum à *Jo. Seldeno* Bibliothecæ Bodleianæ donatus, numero, quem *Jo. Millius* ponit, primus. Exſtat enim in *Evangeliorum S. Marci & S. Lucæ* ὑπογραφαῖς, prius à *S. Petro* traditum fuiſſe *Marco*, atque ab hoc prædicatum in Alexandria & locis undique circumjacentibus; poſterius verò prædicatum fuiſſe à *Petro* & *Paulo*, Apoſtolis poſt annos XV. à Chriſti aſcenſione. Vide *Millii Prolegomena in Nov. Teſt.* C. III. *fol. 158. a.* Quibus ſanè non contradicunt ea, quæ ſcribit *Origenes* in *Præfat. Commentarii Græco-lat. ſuper Johannem f. 6.* ubi: *Inter ſcripta Pauli nullus exſtat liber, qui vocari Evangelium conſueverit, ſed, quicquid vel prædicavit vel dixit, eſt Evangelium.* Inter ſcripta tamen novi Teſt. dubia *prædicatio Pauli* allegatur à *Clemente Alex. Stromatum L. VI. Lactantio inſtit. divin. L. IV. C. 21.* itemque ab *Auctore Anonymo de non iterando baptiſmo* à *Rigaltio Obſervationibus ad Cyprianum* inſerto. Quod autem hîc de *literis Paulinis* pleriſque & de *Evangeliis*

*geliis Marci & Lucæ* affirmavimus, nunquam exstitisse eorundem αὐτόγραφα ab ipsis Auctoribus conscripta, id forsan ad alios quoque novi Testamenti libros pertinet, quamvis hâc de re certi nihil pronunciare possimus. Cæterùm de autographis Biblicis peculiarem libellum dedit *Jo. Frid. Mayerus*, qui in diss. selectis Kilon. & Hamburg. p. 545. sqq. exstat.

§. 7. Quicquid autem de *autographis Apostolicis* dici queat, certum est, dudum ea deperdita esse, nec forsan in toto terrarum orbe istorum quoddam reperiri posse, aut dignosci. Nec aliter sanè id fieri potuit, nisi miraculo quodam heic, ut arbitramur, non necessario, ea præservare voluisset Deus. Si enim vetustatem temporis, ex quo exarata fuere, si frequentes Veterum Christianorum persecutiones, si totarum Ecclesiarum, quæ Evangelia & scripta Apostolica in suis conservabant tabulariis, destructiones, si *communicationem* eorundem cum aliis, forsan sæpius haud optimæ fidei hominibus, saltem incuriis, factam consideraverimus; certe non mirabimur, quod Autographorum sacrorum nullum amplius exstet. Communis hæc sors horum fuit cum Autographis vet. Test. cumque omnibus forsan hujus vetustatis librorum primis codicibus. Non tamen inter autographa novi Test. ullum est, quod tam diu servatum fuerit, quam *D. Johannis Evangelium*, si quidem Petrus Alexandrinus Episcopus Martyr, qui sub initium Sec. IV. vixit, Autor sit fragmenti illius Paschalis, ubi verbis Joh. XIX. 14. hæc adduntur: *ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι θεοῦ ἐν τῇ Ἐφε-*

σίων ἁγιωτάτη ἐκκλησίᾳ καὶ ὑπὸ τῶν πιςῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. Titulus hujus fragmenti eſt : ὅτι ἀπλανῶς ἔταξαν οἱ Ἑβραῖοι τὴν ιδ' τοῦ ἁ μηνὸς τῆς σελήνης ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων. Vide *Dionyſii Petavii Uranologium* ſive *Syſtema variorum Auctorum, qui de ſphæra ac ſideribus eorumque motibus Græcè commentati ſunt*, ubi extremum occupat & legitur *f. 397.* Jam verò conſtat, Auctorem ejus non eſſe *Petrum Alexandrinum*, uti ipſe *Petavius* in *Præfat. Uranologii*, & *de doctrinâ temporum P. II. L. XII. c. 19. f. 454.* habet, ubi & hanc lectionem ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη refutare conatur, cujus veſtigia & premit heic *Jo. Millius* ad *Marc. XV. 25.* & *Joh. XIX. 14.* Eandem ſententiam tenent R. Simon. Hiſt. crit. N. T. C. 4. Boiſ. collat. vet. Interp. cum Beza p. 333. & Cave ad A. 301. Certè in *Chronico Alexandrino*, cui *Faſtorum Siculorum* nomen dedit *Carolus Sigonius*, à *Matthæo Radero Monachii A. 1615.* edito, quod ſequioris longè ævi eſſe conſtat, p. 518. 519. 520. 521. eadem verba reperiuntur. Vide & alteram editionem ſub titulo Πασχαλίου ſive *Chronici Paſchalis à Carolo du Fresne Domino du Cange* publicatam p. 5. Et ſanè idem præter *Petavium* ſupra laudatum nullius eſſe auctoritatis olim credidere *Joſephus Scaliger* & *Jo. Harduinus de ſupremo Chriſti Paſchate C. II. Operum ſelect. f. 373. 2.* Imò ab impoſtore Acœmeta hoc Chronicon, quod Georgio Piſidæ, alii Coſmæ Monacho, Georgio Alexandrino alii tribuunt, conſarcinatum fuiſſe ait *Michaël Lequien.* Adde *Bened. Bacchinii diſſ. de Eccleſ. Hierarch. Orig. P. I. p. 209. ſqq. J. A. Fabricii Bibl. Gr.*

*vol. 6.*

*vol. 6. p. 242. 243.* & *H. L. Schurzfleiſchii notit. Bibl. Vinar.* in actis erud. Lipſ. 1712. p. 403.

§. 8. Nec ſanè hoc mirandum, Autographa Apoſtolica periiſſe, cum inter ipſamet ſcripta Apoſtolica ſint, quorum omnia quoque perierint apographa. *Quis negaverit, D. Petrum Paulumque plures ſcripſiſſe Epiſtolas, quæ deperditæ ſunt, adeoq; in Canonem recipi haud potuere?* Certe de prima Pauli ad Corinthios Epiſtola hoc patet clariſſimè, ſi, quæ ipſemet *1. Cor. V. 9.* ſcribit, probè conſideraverimus. Ibi enim: ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιςολῇ, μὴ συναναμίγνυσθαι τοῖς πόρνοις. Conf. *vſ. 11.* Ex quibus verbis hoc concludo, ante hanc ad Corinthios Epiſtolam aliam adhuc exſtitiſſe, ubi *Paulus* à converſatione cum fornicatoribus eos dehortatus fuerit. Si dixeris, hanc, quam citat, Epiſtolam eandem eſſe, quam tunc ſcripſerit, uti quidam objiciunt, reſponderi facile poteſt, in prioribus hujus Epiſtolæ capitibus hoc de argumento nihil reperiri. Porrò exſtat *2. Theſſ. III. 17.* locus bis jam à nobis adductus: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐςι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιςολῇ, *in omnibus meis Epiſtolis.* Aſt *2. Theſſ.* eſt inter primas Pauli, quæ exſtant, literas. Itaque, quum clarum ſit, eum ante 2. Epiſt. ad Theſſ. plures numero jam ſcripſiſſe, exſtat enim πάσῃ, utique inter deperditas eæ ſunt numerandæ. Vide *Jo. Millium* in *Prolegom. ad Nov. Teſt. Jo. Cleric.* ad *Hammond. not. 1. Cor. V. 9.* & *Steph. le Moyne in Variis Sacris T. II. p. 341. 342.* Memorat quoque *Polycarpus* in *litteris ad Philippenſes, S. Paulum* non unam ſed plures ad eos ἐπιςολὰς ſcripſiſſe. Quæ verba cum clara ſatis ſint, non

est, quod sentiamus cum *Moynio loc. cit. p. 332. 343.* Denique *S. Petrus 2. Ep. III. 15. 16.* plures *Pauli* literas ad dispersos Hebræos allegat, quæ jam dudum periere. Neque enim, uti *Millius* putavit *Prolegom. f. X. col. 2.* heic citatur *Epistola ad Hebræos*, quæ exstat, cum *Domini longanimitatem esse salutem* in ea non reperiatur scriptum, quæ verba tamen disertè allegavit *Petrus*, qui *ipsemet* quoque dederat *Epistolam ad dispersos ex Judæa sanctos & ad fidem Christianam conversos per Silvanum*, nunc deperditam, *1. Petr. V. 12.* Eodem modo & *literæ S. Joannis ad Ecclesiam*, in qua *Diotrephes ὁ φιλοπρωτεύων* erat, scriptæ & *3 Joh. vs. 9.* memoratæ nunc periere. Cur autem deperditæ eæ omnes fuerint, eædem sunt rationes, quas supra allegavimus, cùm de Autographorum deperditorum causis ageremus. Queis vide quid addat *Jo. Morinus*, Vir doctissimus, in *Exercitat. Bibl. L. I. Exerc. II. C. 2. §. 1. f. 40. b.* ubi: *sed antiquissimorum Patrum nemo αὐτόγραφα epistolica se legisse commemorat, ubinam locorum conservarentur, nulla fama divulgavit, sapientia Dei sic, ut opinor, providente, ne literæ occidenti nimium attendentes, Spiritum S. in Ecclesia & per Ecclesiam nos Christi mysteria docentem minoris, quam decet, faceremus.* Hactenus *Jo. Morinus.*

§. 9. Cæterum, quod modo diximus, communicationem literarum Apostolicarum cum aliis causam fuisse, cur eæ fuerint deperditæ, id maximè ad *Catholicas*, quas vocant, *Epistolas* pertinet. Fuisse talem isto tempore scriptorum sacrorum communicationem patet vel ex solo *Pauli* mandato *Colos. IV. 16.*

Inde

Inde & Epiſtolas Καθολικὰς nomen ſortitas arbitror, quòd ad plures Eccleſias ſcriptæ eſſent, cum iis eapropter communicandæ; quanquam hanc communicationem *Epiſtolarum Catholicarum* ſed nulla ratione adducta negare videatur *Millius Prolegom. P. II. p. 28. 29.* Non ſanè, ut *Henricus Dodwellus* arbitratur, *quod ſcripta fuerint Apoſtolica & Eccleſiæ Archetypæ atque cœleſtis.* Vid. *Parænes. de nupero ſchiſmate Anglicano* §. *34. 162. 163. 164.* Quod certè creditu admodum difficile eſt, uti & allata *Dodwelli* ſententia, quam §. 33. 34. *l. c.* proponit, *Eccleſiam Catholicam eſſe illam, quæ triumphat in cœlis.* Sed ad noſtra redeamus. Scriptæ ſunt *Epiſtolæ Catholicæ* ad *Judæos duodecim tribuum* converſos ad Religionem Chriſtianam, *diſperſoſque per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam, Jac. I. 1. 1. Petr. I. 1.* Hinc opus erat, ut Autographa Apoſtolica per varias regiones mitterentur, & cum fratribus communicarentur. Atque ita ſine dubio contigit, ut perirent, atque etiam eo tempore, quum *Canon epiſtolicus* conficeretur, non exſtarent. Cujus rei manifeſtum de *primâ S. Joh. Epiſtola* exemplum adferre ſe putat *Joannes Millius* in *not. Critic.* ad *1. Joh. V. 7. fol. 747.* ubi adfirmat, Archetypum Johannis exemplar apud Parthos longè diſſitos vel ſaltem in privatis latuiſſe *neſcio quibus* manibus Aſianorum, atque ita fuiſſe deperditum, in qua tamen opinione non arbitror, plures eſſe, qui cum ipſo ſentiant. Unde de fide harum Epiſtolarum aliquandiu dubitatum, deficientibus Sanctorum Virorum Autographis ſcriptiſque authenticis. Neque diffiteor, futuros & hac ætate, qui fidem ipſis denegaturi eſſent,

 niſi,

nisi, quod singulari Dei providentia factum, in antiquissimis priscæ Ecclesiæ Patrum monumentis meliora sæpe de iisdem exstaret testimonia, saltem plura quam de iis scriptis Apostolicis, quæ in dubium nunquam vocata sunt. Nec solum propter deperdita autographa de fide *Catholicarum Epistolarum* dubitatum est, sed & de Auctoribus, uti id de Auctore *Epist. ad Ebræos* constat.

§. 10. Imò & *D. Matthæi Evangelium* in primo suo codice conservatum haud fuit. *D. Bartholomæus* id secum juxta traditionem veterum Indiæ intulerat, Hebraicis literis conscriptum, & multis post annis à *Pantæno* ibi inventum. Vide *Euseb. Histor. eccles. L. V. C. 10.* de quo loco, quid sentiendum sit, vide explicantem *Simonium* in *Hist. Crit. Text. N. T. C. IV. p. 40. 41.* Idem Ebraicum *Matthæi Evangelium* diu in *Ebionæorum & Nazaræorum*, qui istud corruperant, manibus delituit, & ipsum denique deperditum. Unde nonnisi quædam Apographa Græca ejusdem apud Veteres exstitere, licet *Henr. Dodwellus* existimet, *S. Ignatium* in *literis ad Philadelphenses* n. VIII. de authentico S. Matthæi exemplari disseruisse. V. *Parænes. ad exteros de nupero schism. Angl. §. 23. p. 99.* Cæterum haud parvum Evangelicorum Apographorum numerum jam sub Sec. II. initium extitisse, patet ex eo, quòd Evangeliorum scriptos codices τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων γραφὴν omnibus locis à se conversis intulerint Evangelii Præcones, testante *Eusebio* in Histor. Eccles. L. III. C. XXXVII. Imo antequam confectum esset *D. Joannis Evangelium*, trium *Matthæi, Marci & Lucæ Evangeliorum* Apographa jam per Ecclesias sparsa &

sa & distracta fuerant, Vid. *Euseb. Hist. Eccl. L. III. c. 24.* Ubi aliam tamen sententiam tenere videtur *Henricus Dodwellus*, quem hoc in argumento *Jacobus Basnagius* refutavit. Atque ita luculenter, ut arbitror, probavimus, Autographa Apostolica omnia nunc periisse. Quod enim autographum *Sancti Marci Evangelium* possidere se dudum Veneti dixere, id dilutum est. V. *Simon.* l. c. p. 42. qui ipsum adduxit *Baronium* traditionem istam refutantem. Accedit, codicem, quem habent, vetustate ita detritum esse, ut, num, quibus conscriptus exstat, literæ Græcæ sint vel Latinæ, cognosci amplius non possit, testantibus iis, qui eundem viderunt. Vide tamen *Montfauconium in Diario Italico p. 56. Cornelium à Lapide* in *Marcum f. 592i Ittigium in diss. de PP. Apost.* §. 3. qui & §. 5. de autographo S. Johannis in Ecclesiâ Tholosanâ exstante inspici potest. De *Apocalypsi* ita *Jo. Millius*: *Apocalypseos præter Archetypa ista ad septem Ecclesias missa pauca admodum exemplaria exarata fuisse verisimile; quæque ipsa haud perreptarint extra Provinciam Asiaticam, nisi paulo post editum* Ἀποςολικὸν, *tunc enim primum devenisse ad exteros putarim Apographa, quibus usi sint Papias & Justinus.* Vide *Andreæ Cæsar. præf. in Comm. in Apoc.* Provocat quoque ad σπȣδαῖα καὶ ἀρχαῖα Ἀντίγραφα Librorum Sacr. S. *Irenæus L. V. c. 30.* Conf. *Prolégom. in N. T. p. 2. P. 28. 29.* Quod si autem omnia Nov. Test. autographa perierint, facile patet, quod hactenus dictorum scopus est, primarium genuinas N. Test. lectiones à spuriis discernendi medium nobis deesse, quod ipsa Autographa sine dubio maximè subministrare potuissent.

ſent. Cæterum iſtud de *Autographis Sacris* argumentum, qui penitius tractatum videre velit, adeat *Rich. Simon. in Hiſtor. Crit. Text. N. T.* & conferat ea, quæ inter ipſum & *Theologos Batavos*, perſonatos nempe hanc in rem diſputata ſunt.

## CAPUT TERTIUM.

*Recenſentur hoc Capite codices novi Teſtamenti manu ſcripti. Romanus codex præfertur Alexandrino contra J. Millium & J. E. Grabium. Oſtenditur Romani codicis præſtantia ex collatione characterum Statuæ Hippolyti in Agro Verano inventæ cum characteribus, qui in illo ipſo codice conſpiciuntur. Codex Romanus eſt mancus & ab Editoribus depravatus. De antiquitate codicis Alexandrini diſſeritur, item de Thecla, quæ eum conſcripſiſſe fertur. Scriptio ejus non emendata & abbreviaturæ expenduntur. Mancus eſt & à criticis depravatus. Varias ipſius lectiones collegerunt Patricius Junius, Hugo Grotius, Alexander Huiſſus & Jo. Millius.*

§. I.

UT itaque ad ipſum, quod nobis pertractandum eſt, argumentum procedamus, &, quid circa varias Novi Fœderis librorum lectiones ex *Criticæ artis* Canonibus ſtatuendum ſit, luculentius explicemus, id ante omnia neceſſarium eſt, ut Manuſcriptorum, qui reperiuntur, Novi Teſtamenti Codicum primam faciamus mentionem, &, quid inde exſpe-

exſpectandum vel ſperandum ſit, breviter tradamus. Vetuſtiſſimum Novi Teſtamenti Codicem Manuſcriptum credimus eſſe *Romanum*, à Luca Brugenſi aliisque ſæpius citatum, & Volumen poſtremum Bibliorum Græcorum à LXX. translatorum conficientem, ſcriptum literis quadratis ſive uncialibus. De quo, ut verum fatear, admodum iniquè pronunciat in *Prolegomenis N. Teſt.* Vir ſummus *Jo. Millius*: *Et certe, cum in Occidentalium gratiam à Latino Scriba quopiam exaratus fuerit, tùm ex citatis ex eo conſtat, eum inſecutum eſſe textum cum Italica Verſione mirificè congruentem. Hinc incunctanter ipſum inter Codices, qui ad exemplar Latinum ſeu conficti ſen ſaltem caſtigati fuiſſent, reponendum cenſebam, ideoque* NEC DIGNUM *eſſe, cujus variationes multa cum difficultate comparandæ eſſent.* Ita *Millius* l. c. f. 163. inſiſtens *Richardi Simonis*, cujus judicio nimium ſæpe tribuit Vir doctiſſimus, veſtigiis, quæ invenies in hujus *Hiſtoria Critica Textus Novi teſtamenti P. I. c. 32.* Alibi tamen idem *Jo. Millius* l. c. f. 108. non refragari videtur eorum opinioni, qui exiſtimant, ante annos jam mille & ducentos *Codicem* hunc *Romanum* fuiſſe exaratum. Quod ſi ita ſit, uti nunc luculentius demonſtrabimus, non exiſtimo, inter eos, qui hodie adhuc exſtant, Manuſcriptos N. T. Codices eſſe aliquem, qui eandem ætatem ferat & cui eadem tribuenda ſit dignitas atque auctoritas. Vide, quam de eo dedit, deſcriptionem luculentam Viri Clariſſimi *Laurentii Alexandri Zacagnii*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti *Præfat. ad Collect. Monument. Vet. p. 56.* Eandem ferè cum *Jo. Millio* opinionem defendere videtur *Jo. Ern. Grabius*, Vir doctiſſimus ſæpiuſque

à nobis laudatus, in *Præfatione* ad novam *Græcorum Interpretum* Editionem, ubi Manuſcriptum *Codicem Alexandrinum*, de quo poſtea dicendum nobis erit, *Romano* multis ex rationibus præferre conatur. Cujus, cum eò maximè pertineat labor, ut demonſtret, *Codicem Alexandrinum textum Græcum* vet. *Int.* melius referre, quam *Romanum*, quod diſquirere noſtri nunc inſtituti non eſt, ea, quæ citata in doctiſſima *Præfatione* poſuit, intacta relinquimus. Aſt & idem *Diſſertationem de Alexandrini Codicis præ Vaticano præſtantia* ſcripturus erat, quæ tamen lucem non vidit, nec in catalogo reliquiarum Grabianarum Hickeſiano exſtat.

§. 2. Præſtantiorem autem eſſe *codicem Romanum Novi Teſtamenti* & antiquiorem codicibus aliis omnibus, vel unum hoc docere poteſt, quod jam ponimus. Sunt characteres hujus codicis ſimillimi Characteribus in *ſtatua Hippolyti* ejusque inſcriptionibus exſtantibus ſimilemque eapropter cum eadem ætatem arguere videntur. Certè arriſit hoc argumentum maximè Viro doctiſſimo *Emanueli à Schelſtrate*, Bibliothecæ olim Vaticanæ Præfecto & Canonico, qui ex hac characterum ſimilitudine collegit, *codicem* hunc *Romanum* antiquiſſimum eſſe, & ante XIV. ſecula ſcriptum. Vid. *Gilberti Burneti*, Epiſcopi olim Salisburienſis *Epiſt. Itiner. p.m. 43.* Quænam autem iſta *Hippolyti Portuenſis* ſtatua ſit, explicat *Ægidius Bucherius* in verbis, quæ ad finem *Commentarii*, quem fecit in *Victorii Aquitani Canonem Paſchalem*, f. 289. ſqq. ubi Hippolyti *Canonem Paſchalem notis uberrimis* illuſtrat, leguntur. Ita enim ille p. 292. *Baronius, Scaliger & Gruterus teſtantur, Anno Domini 1551. ex agro Verano non*

*procul ab æde S. Laurentii ad urbem è memoria Hippolyti antiquæ ruderibus effoſſam prodiiſſe antiquam de more ſtatuam, ſolio inſidentem, Græcis utrinque literis inſcriptam. Literæ in binis Cathedræ laterculis Cyclos Paſchales annorum XVI. exhibebant; quartarum decimarum dextro, Dominicarum Paſchalium ſiniſtro, utroſque CXII. annis univerſim comprehenſos, quâ annorum periodo ferias easdem in orbem redire credidit Hippolytus. Non erat quidem expreſſum Hippolyti nomen, ſed facile ipſa Hekadecaeteridos methodo & librorum lemmate, quod dextrum laterculum continebat, proditum eſt; eorum enim omnium Auctorem Euſebius, Hieronymus aliique Hippolytum Epiſcopum faciunt. Tam illuſtre, tam rarum Eccleſiæ primitivæ monumentum Marcello Cervino, tunc S. R. E. Cardinali, poſtea etiam ejusdem nominis Papæ II. digniſſimum viſum, quod Romam inde deferretur, & in Vaticana Bibliotheca conderetur. Edidit deinde Græce, ut erat, cum antiquis ſuis Inſcriptionibus Gruterus, Scaliger etiam notis illuſtravit.* Hactenus *Ægidius Bucherius.* Evolvi poteſt *Scaligeri de Emendatione Temporum* Liber & *Jani Gruteri Corpus Antiquarum Inſcriptionum f. CXL. CXLI. Bucherius quoque l. c. C. XV.* & qui easdem nobis dedere inſcriptiones, *Guil. Cave* in *Hiſtor. Eccleſiaſt. literar. P. I. f. 67. ſqq.* in *Hippolyti Portuenſis* nomine, itemque *Stephanus le Moyne*, Theologus Lugdunenſis celeberrimus in variis Sacris. Ut autem ad *codicem* noſtrum *Romanum* redeamus, ſi non certiſſimum, ſaltem maximè probabile eſt ex collatione characterum ejusdem cum characteribus *ſtatuæ Hippolyti* facta, eum longe antiquiſſimum eſſe, maximamque ei conſtare auctori-

ctoritatem. Id unum dolendum omnino eſt, eum partim vetuſtate ferè detritum eſſe, ita ut poſtrema Epiſtolæ ad Ebræos pars cum aliis Pauli ad Timotheum, Titum & Philemonem literis totaque Apocalypſi, narrante ita *L. A. Zacagnio*, deſit, partim verò ab iis, qui ipſum ediderunt, ita tractatum atque corruptum, ut omnibus in univerſum lineis novum ſuperinductum fuerit atramentum, antequam typis exprimeretur. Qua certè ratione, ſi forſitan, quod facile fieri potuit, oſcitârunt editores, vera codicis Romani lectio dignoſci amplius nequit, cum potius Apographum hujus codicis dare debuiſſent Viri iſti hanc rem haud, uti par erat, expendentes. Conf. *Jo. Erneſti Grabii Præfat.* ad *Octateuchum LXX. Interpr. C. I. §. 8.* ubi & Vir hic doctiſſimus, quæ in Vet. Teſt. deſunt, luculentius recenſet. Adde tamen *Montfauconii diarium Italicum C. 20. p. 277.* & in *Palæogr. Gr. L. III. C. 1. p. 187.*

§. 3. Atque iſta de *codice* novi Teſt. *Romano*, quem judicamus omnium eſſe antiquiſſimum, ſufficere poſſunt. Nunc ad *Codicem Regium Londinenſem* progrediamur, quem *Cyrillus Lucaris*, quum Patriarcha eſſet Alexandrinus, Alexandriæ ſibi comparavit, & ad ſedem Conſtantinopolitanam translatus per *Thomam Roë*, Equitem Auratum & Regis Angliæ ad Turcarum Imperatorem Legatum Carolo I. Regi Angliæ dono miſit. Hunc codicem longe vetuſtiſſimum eſſe, nemo eſt, qui negaverit. Teſtantur id detritarum literarum antiquitas & vetuſtas, quæ ſine oculis armatis ſæpius benè cognoſci nequeunt. Quid quod hujus codicis ſummam probaverit antiquitatem *Jo. Ern. Grabius* in *præfatione* ad *Octateuchum C. I. §. 5.* ubi hæc verba ponit:

*Seculo*

*Seculo IV. ſacrum hunc Bibliorum codicem ſcriptum fuiſſe memorata à Cyrillo Lucari traditio perhibet. Equidem hunc codicem Concilio Nicæno haud antiquiorem eſſe S. Athanaſii ad Marcellinum Epiſtola Pſalmis præfixa, una cum Euſebii hypotheſibus Pſalmorum planè evincit, ut & capitula S. Evangeliorum horumque minutior diſtinctio in* στίχους *ſecundum canones Euſebianos, minio in margine adſcripta. Quod vero haud diu poſt Concilium Nicænum, Theclæ adeoque Seculi IV. ætate decurrente exaratus fuerit codex noſter, ex eo colligo, quòd nulla prorſus Epiſtolarum diviſio in* κεφάλαια *& ſectiones ibi appareat, procul dubio his perinde ut Evangeliis apponenda, ſi talis aliqua exſtitit. Atqui jam A.C. 396. Arcadio IV. & Honorio III. Coſſ. quempiam S. Scripturæ peritum & pium Virum, cujus nomen nos fugit, Epiſtolarum Pauli in capitula diſtinctionem atque ſingulorum capitulorum ſummas atque titulos confeciſſe, conſtat ex Euthalii præfatione in dictas Epiſtolas A. C. 462. ſcripta ac narratione laudati Anonymi de martyrio Pauli eidem ſuffixa. Quippe Euthalius C. II. Præfat. p. 528. hæc habet verba:* καθ᾽ ἑκάστην δὲ συντόμως ἐπιστολὴν ἐν τοῖς ἑξῆς προτάξομεν τὴν τῶν κεφαλαίων ἔκθεσιν, ἑνὶ τῶν σοφωτάτων τινὶ καὶ φιλοχρίστῳ πατέρων ἡμῶν πεπονημένην. *Haud diu igitur ante A. 396. exaratus videtur codex Alexandrinus aut ſaltem paulo poſt, cum facta Epiſtolarum Paulinarum diviſio in* κεφάλαια *nondum in publicum prodiiſſet aut ſatis innotuiſſet.* Hactenus Vir doctiſſimus *Jo. Ern. Grabius*, cui plurimùm hìc ante biennium contradixit Caſimirus Oudinus in diſſ. crit. triade diſſ. 1. ubi probare conatur, codicem Alex. demùm ſec. X. ſcriptum fuiſſe. §. 4.

§. 4. Qualisnam ea fuerit Thecla, quæ hunc codicem dicitur conſcripſiſſe, nondum arbitror confectum, deficientibus, quæ ſufficiant, hoc in argumento Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis. Certe autem ea non fuit, quæ D. Pauli tempore vixit & martyrium ſuſtinuiſſe dicitur, uti ex *Actis Pauli & Theclæ* à *Jo. Ern. Grabio* in *Spicileg. Patr. Sec. I. p. 81. ſqq.* recenſitis colligere eſt, ſi ea quidem genuina ſunt, de quo doctiſſimos Viros interque eos præcipuè *D. Thomam Ittigium* dubitare video. Scripſit *D. Chryſoſtomus orationem in laudem Theclæ* cujusdam *T. I. Opp.* Edit. *Pariſ. GL. f. 883.* exſtantem, quæ eadem cum memorata illa πρωτομάρτυρι eſt. Diverſæ verò *Theclæ* mentionem fecere Gregorius Nazianzenus, ad quam dedit *Epiſtolas num. 200. 201. 202. Tom. I. Opp. p. 897. ſq.* à Reverendo *D. Grabio* hanc in rem citatas, porrò *Baſilius M. Epiſt. 202.* ad eandem *Opp. T. III. f. 229* atque etiam, ſi benè memini, *Euſebius.* Hanc eandem fuiſſe Theclam, cujus manu *codex Alexandrinus* ſcriptus eſſe fertur, admodum probabile Viris doctis videtur, non quidem, ac ſi totum codicem ipſamet deſcripſerit *Thecla,* ſed ita, ut ſtatuendum exiſtiment, *Virgines Theclæ ſocias officio quoque ſcribendi eſſe defunctas.* Quod ipſum etſi conjectura quidem ſola nitatur, probare tamen facile videtur perverſa codicis hujus ſcriptio, quæ arguit, ſcribentes & librarios linguam Græcam haud benè calluiſſe. Docet id frequens permutatio conſonantium & vocalium, quæ originem debet pronunciationi dictantis, vocales vel conſonantes diverſas pro iſtius ætatis genio haud bene diſtinguenti & à deſcribente, ſi ita placet, Virgine vel librario malè intel-

intellectæ. Ita ε αι, ι η, υ ει οι, ο ω, υ ȣ, αι ει, frequentiſſimæ permutantur, quæ permutationes ſæpe totum ſenſum corrumpunt. Hac enim ratione ut exemplum rei hujus adferamus, aliquando ὑμεῖς pro ἡμεῖς ſcriptum & ſimilia. Plura aliarum peſſimarum depravationum exempla memorat *D. Grabius* in *Præfat. ad Octateuchum C. I. & II.* legenda. Cæterum hunc codicem non à Thecla ſcriptum ſed ſolum in Monaſterio cujusdam Theclæ inventum fuiſſe conjicit *Sainjorius* ſive *Simon* in *Biblioth. Critic. T. I. C. XIX. p. 279.* Ita & Th. Smith. in 1. Joh. V. 7. pluresq; alii.

§. 5. Exiſtimaverit fortean quis, codicem hunc eapropter tam venerandæ antiquitatis non eſſe, quoniam in eodem frequentes adpareant voces non integræ ſed abbreviatæ. Aſt contrarium egomet potius arbitror. Certum eſt, codices novi Fœderis antiquiſſimos omnes nunc, ut arbitror, temporum injuria deperditos haud emendatè ſcriptos fuiſſe. Quid enim ab idiotis, quales primi Apoſtolorum diſcipuli, emendati erat exſpectandum? Nec orthographos & calligraphos inter eos quæſiveris, qui hac deſcribendi arte non tincti ſed communi vitæ aſſueti tunc demum, quum Chriſto nomen ſuum dedere, ad hanc operam acceſſerunt, & crebris perſecutionibus vexati inter continua precum pietatisque exercitia nullum tempus ſibi relictum habuere, quod literis bene pingendis impenderent, queis ipſa Apoſtolica traditio ab ipſis Chriſti Apoſtolorumque diſcipulis inſtillata imo ipſiusmet Spiritus ſancti illuminatio ad iſta ſtudia adplicare animum ſaltem non neceſſarium eſſe perſuaſit. In antiquiſſimis autem Manuſcriptis codicibus inventa fuiſſe vocum compendia, egomet ſanè non dubitave-

taverim. Ita, uti infra patebit luculentius, ipsemet supponit *Millius*, qui aliàs ad *Matth. XXVII. 9.* expressis verbis affirmat, *compendia scriptionum festinationi recentiorum scribarum deberi*, fol. 73. col. 2. Vulgatum, antiquissimum Interpretem, & qui vetustissimo, si quisquam, novi Testamenti Apographo usus est, habuisse exemplar Manuscriptum, in quo vox *αἰωνίε* abbreviata fuerit in *ουνιε*. Vertit enim Interpres vetus *2. Tim. II. 10.* cœlesti, ubi in Græco exstabat *αἰωνίε*, quod ipse legit *ὀρανίε*. Sed de hisce postea agemus luculentius, uti ad compendia *scriptionum* explicanda devenerimus. Cæterum de codicis hujus antiquitate & videnda sunt, quæ tradidit *Rich. Simon* sub nomine *Sainjorii* in *Biblioth. crit. T. I. c. 13. p. 178. 179.* itemque *C. 19. p. 279. 280. 281.*

§. 6. Depravatum tamen & corruptum esse ipsum hunc codicem tùm à primis, qui ipsum scripsere, librariis, tùm à posterioribus, qui eum male tractarunt, Criticis insuperque etiam mutilatum, nemo est, qui diffiteatur. Est igitur, quod mirer Virorum quorundam doctorum censuram in *Jo. Millium* latam, malè ipsum fecisse, quod editionem *Rob. Stephani* fuerit secutus, uti fatetur in *nota ad Act. XXI. 3. fol. 384. col. 1.* melius verò eum facturum fuisse, si Manuscriptum quendam codicem, optimè, si *Alexandrinum* secutus fuisset. Quod vel eapropter non necessarium fuit, quoniam variæ codices hujus lectiones à pluribus jam nobis ante editionem Millianam datæ erant. Primus eas post *Patricium Juninm* collegit vel collectas saltem dedit licet non sine erroribus *Hugo Grotius*, Vir si quisquam, in interpreta-

tione

tione novi Teſtamenti inſignis, qui easdem *Annotationibus* ſuis in novum Fœdus inſeruit. Poſtea eandem operam ſumſit *Alexander Huiſſus*, qui tamen hoc in argumento ea, qua par erat, induſtria haud verſatus eſſe videtur. Reliquit certè in libris veteris Teſtamenti inſigne Spicilegium *D. Grabio*, uti ex hujus *Præfatione* in *Octateuchum* patet. Quas in Nov. Teſt. lectiones varias ex *codice Alexandrino* collegit *Huiſſus*, poſt collatum eundem de novo codicem auxit *Jo. Millius* in *Appendice ad novum Teſtamentum*, qui uti arbitror, & aliis forſan reliquit ſpicas quasdam hinc inde colligendas & à ſe non obſervatas. Ita *Apocal. XXII. 11.* communes habent codices δικαιωσάτω. At *Alexandrinus* δικαιοσύνην ποιησάτω, quæ lectio ſanè magni momenti eſt, ab *Huiſſo* tamen & *Millio* neglecta, aſt obſervata à *Georgio Bullo*, Epiſcopo olim Meneveníi in *Harmonia Apoſtolica Diſſ. I. C. I. §. 6. p. 4.* Cæterum lectiones variæ ab *Alexandrino Huiſſo* collectæ exſtant in *Tomo VI. Polyglottorum Waltonianorum.* Nunc ad alia progrediamur, in cæteris MSS. codicibus recenſendis breviores futuri.

## CAPUT QUARTUM.

*De Codicibus novi Teſtamenti MSS. data opera egerunt Rich. Simon & Joh. Millius. Regulas, quibus de antiquitate iſtorum codicum judicari queat, primus dedit Eduardus Bernardus. Hunc refutavit Ezechiel Spanhemius. Felicius iſto in argumento*

*versatus est Montfauconius. Ratio, qua antiquitas codicum MSS. investigari potest, ostenditur. De codicibus Italicis MSS. novi Testamenti luculenter disseritur. Ita de Hispanicis quoque, Gallicanis & Germanicis. Ostenditur Millii error in descriptione codicis cujusdam Viennensis commissus. Codicis Bœcleriani, Berolinensis & Hungarici cujusdam ex Jac. Tollii recensione fit mentio.*

§. I.

UT autem eo, quo par est, ordine procedamus, primum & de codicibus Italicis & Hispanicis, postea de Gallicis & Germanicis, denique de Anglicanis agendum nobis erit. Quæ difficillimæ res operæ est, maximè, ubi aliorum oculis judiciisque hac in re fidendum. Nec, qui ipsemet vidit tractavitque codices istos Manuscriptos, hoc de argumento ea, qua par est, cura differere potest, quum omnia conjecturis niti debeant, atque is hac in arte optimus demum sit, qui optimè conjecerit. Etenim argumentum hoc duo jam occuparunt in Republica litteraria doctissimi Viri sæpius nobis adpellati RICH. SIMON Congr. Orat. Paris. olim Presbyter in *Dissertatione* Gallica de *codicibus Manuscriptis novi Testamenti*, cui ea, quæ posuit, relinquemus; & JO. MILLIUS in *Prolegomenis* doctissimis *in novum Testamentum*. Et hi quidem de ætate & valore MSS. cod. Novi Fœderis speciatim differuere, nullas verò regulas canonesque, quod exspectari forsan ab iis poterat, dederunt, ex quibus de codi-

codicum Manuſcriptorum novi Teſt. aliorumque Græcorum antiquitate poſſet judicari. In quo argumento primus utique verſatus eſt EDUARDUS BERNARDUS, Anglus, Vir magnæ quidem lectionis, ſed imparis, uti apparet, judicii, qui A. 1689. primùm *Orbis eruditi literaturam*, quam vocat, *à charactere Samaritico* in *Tabella* quadam à ſe A. 1696. recognita & A. 1700. ſecundum edita *deduxit*. Num feliciter, ex ſtatim dicendis patebit. Etenim, qui hactenus de re Græcorum nummaria inſcriptionibusque egerant, aliique in re critica verſati Viri, maximè ii, qui MSS. Gr. evolvendis navaverant operam, tetigerant quidem paſſim iſtud argumentum, non autem datâ opera id exſecuti erant, unde utique BERNARDO ea laus manet, fuiſſe eum primum inter omnes, qui arduum hoc negotium penitius explicare fuerit adgreſſus. Inter recentiores tamen melius hoc argumentum tractavit & inſtar omnium eſt BERNARDUS MONTFAUCONIUS, Gallus, qui, quantum hac in elegantioris literaturæ parte queat præſtare, ſufficienter oſtendit in *Diario* ſuo *Italico* variis in locis, maximè autem in *Palæographia* ſua *Græca*, quam ſingulari hoc in argumento eruditione refertam agnoſcunt eruditi, ſimilemque *Mabillonii de re diplomatica* Commentario dudum credidere, etſi haud magnifice de doctiſſimo hoc Viro pronunciaverit *Sainjorius* ſive *Rich. Simon* in *Biblioth. criticâ T. I. c. XIII. p. 179. 180.* ubi manifeſtæ falſitatis ipſum accuſare haud veritus eſt.

§. 2. *Eduardum Bernardum* vero infeliciter hoc argumentum tractaſſe nemo eſt, qui negaverit, harum rerum vel mediocriter peritus. Certè, quæ

contra ipſum monuit Vir illuſtris, *Ezechiel Spanhemius* in *Diſſertationibus de Uſu & præſtantia Numiſmatum antiquorum*, ita comparata ſunt, ut manifeſtiſſimorum errorum reum agant Virum alioqui doctiſſimum. Nec, quæ *Bernardus* monſtravit, Manuſcriptorum codicum ætatis inveniendæ ſigna, talia ſunt, queis fides haberi queat, utpote, quæ ſæpius fallant, quod ex plurimis exemplis, ſi ita noſtrum ferret inſtitutum, demonſtrari poſſet. Id verò in codicibus novi Teſt. dignoſcendis ferè præcipuum eſt, ut inveſtigemus, quibusnam ii literis, num uncialibus vel Græcis minoribus ſint deſcripti, ac rurſus, quamnam eæ unciales formam & colorem habeant, num ſine accentibus, & interpunctionibus eæ poſitæ vel cum iis exaratæ ſint. Ubi tamen rurſus differunt Virorum doctorum opiniones, quibusdam uncialium literarum finem ad Sec. VIII. quibusdam ad Sec. X. imo XI. poſt C. N. referentibus. Sed de his ſatis. Vide *Montfauconii Diar. Ital.* c. II. p. 12. 13. c. XVII. p. 237. 277. c. XXI. p. 308. 309. c, XXVII. p. 409. & *Palæographiam Græcam* paſſim, ubi ſpecimina ſcriptionum uniuscujuſque ſeculi exhibet, & adde omninò, quæ in diſſ. prælim. ad Lactantii epitomen inſtit. div. §. 9. p. 12. 13. diximus, quæ & ſuo calculo approbavere *Bartholom. Germon*, Jeſuita Pariſ. celeberrimus *de veteribus hæreticis eccleſiaſticorum codicum corruptoribus* p. 437. ſqq. & *Caſimirus Oudinus* in diſſ. *de Codice Alexandrino Bibl. Bodlej.* p. 37. ſqq. Quin & hoc monendum, in reliquiis *Schelſtratianis* inventum fuiſſe tractatum ab Autore haud perfectum, cui titulus: *Modus dignoſcendi ex formâ characterum ſive Græcorum ſive Latinorum ſcripturæ vetuſtatem.* vide *Nouvelle Bibl. des Auteurs eccleſ. par du Pin T. 18. p. 236.*

§. 3.

§. 3. Primo itaque codices Italici Manuſcripti, quotquot novum Teſtamentum exhibent, adque noſtram pervenere notitiam, nobis recenſendi veniunt. Plures Vaticanos codices ad primam novi Teſtamenti editionem Complutenſem adhibitos fuiſſe, editores memorant, quorum tamen accuratam nobis deſcriptionem non dedere. Inter eos extitiſſe codicem Romanum, de quo ſupra Cap. III. plura diximus, non eſt, quod dubitemus. Maxima etenim auctoritas in concinnanda hac editione attributa fuit codici Manuſcripto, quem LEO X. Pontifex, tanquam archetypum & eximiæ vetuſtatis ſpectatæque fidei codicem Complutenſibus miſit, quemque hi ipſi ſemper fere ſecuti fuere, uti videre eſt ex *Eraſmi Roterodami Epiſtol. L. XXIII. Epiſt. 8.* Hoc autem cum codice conſentire inter Bodleianos Laudinum *numero* C. 63. in omnibus etiam leviſſimis haud abs re obſervavit *Jo. Millius* in *Prolegom. P. II. f. 108. a.* Nec tamen his ſolis codicibus ex Italia adlatis in adornanda hac N. T. editione uſus eſt *Cardinalis Ximenius*. Præter alios enim Hiſpanicos, quos habuiſſe eum probabile eſt, adhibuit quoque hanc in rem codicem MS. *Epiſtolarum Apoſtolicarum* ex inſula *Rhodo* allatum. Qui etſi venerandæ fuerit vetuſtatis, ita tamen cum vulgata verſione conſentit, ut ad eam, obſervante *Millio*, correctus eſſe videatur *Eraſmo*, perſpicaci ſatis hoc in argumento Judici. Quod ipſum *Lucas* quoque Brugenſis de eo pronunciat *codice Italico*, quem *Rob. Stephanus* vel potius ipſius amici in Italia contulere, & cujus variantes lectiones ipſe ſuæ ſuæ editioni inſeruit. Hæc enim ipſius verba ſunt

 in no-

in notis ad *Coronidem Orationis Dominicæ*: *Ad latina castigatum vehemens mihi suspicio est, cum ex hoc loco, tum ex aliis pluribus.* Quod & alibi idem profitetur. Cæterum, uti ex collectione variantium lectionum Stephaniana concludere est, codex hic sola *Evangelia* & *Acta Apostolorum* continet, & in numero codicum à *Stephano* collatorum secundus est, litera β ab ipso insignitus. Codicis *Medicæi* varias lectiones à *Petro Pithæo* Viro doctissimo collatas communicavit cum *Millio Eduardus Bernardus*. V. *Prolegom. in Novo Test. P. III. f. 160. b.* Ut taceamus eos codices, numero equidem XXII. quos jussu *Urbani* VIII. Pontificis Romani Cardinalis *Barberinus* conferri olim curavit, quorumque diversas lectiones nobis dedere *Jo. Matthæus Caryophilus* itemque *Petrus Possinus* ad finem *Catenæ in Marcum* abs se editæ. Nec plura heic dicere necesse est de XVI. codicibus MSS. quos *D. Petrus Faxardus*, Marchio Velesius, collegit vulgatæ versioni admodum faventibus & à Græca veritate subinde discrepantibus, quorum variæ lectiones à *Mariana cum Ludovico de la Cerda* communicatæ *Capite XCI. Adversariorum Sacrorum* ab hoc conscriptorum prodiere.

§. 4. Esse autem magnam Manuscriptorum novi Testamenti in Italia segetem, & catalogi Bibliothecarum Italarum ostendunt & confirmat quoque *Bernardus Montfauconius* in *Diario*, quod conscripsit, *Italico* variis in locis. Ita Cap. IV. p. 55. sqq. agit de *Evangelio S. Marci* latino in papyro scripto ab ipso *Marco* exarato, quod translatum fuisse perhibetur Venetias è Foro Julio A. 1355. &

cujus

cujus folia quædam deferri curavit *Carolus IV.* Imperator A. 1355. in Ecclesiam Cathedralem Pragensem. Vid. *Acta Sanctorum Tom. III. April. p. 347.* & ea, quæ superius sub finem *Capitis secundi* de hoc Evangelio diximus. Porro in *Musæo Grimano* exstat codex novi Testamenti membranaceus Græcus Seculo XI. scriptus *V. Cap. III. f. 39.* In *Bibliotheca Ducis Mutinensis* exstant codex Græcus *Evangeliorum* membranaceus Seculi XI. & codex Græcus *Evangeliorum* charactere unciali antiquissimo Seculi VIII. membranaceus. *Acta Apostolorum* Græcè IX. Seculi charactere unciali oblongo & deflexo cum accentibus prima manu positis membranac. Cap. III. p. 31. In Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi comparent *Quatuor Evangeliorum* codex Græcus membranaceus Seculi X. *alius eorundem codex membranaceus ejusdem Seculi*, *alius denique Epistolarum S. Pauli Sec. XI. Cap. II. p. 11.* In Monasterio & *Bibliotheca Patrum S. Basilii* Romæ asservantur *Evangeliorum* codices duo membranacei XII. seculi, in alio veró codice X. Seculi pars novi Test. C. XV. p. 212. In *Bibl. Chiggia* exstant *Acta Apostolorum* descripta A. MCCCXCIV. C. xvii. p. 237. In *Bibliotheca D. Valletae*, quæ Neapoli est, visuntur Biblia Sacra Latina cum novo Testamento, in quo, quod omnino memorandum exstat locus vexatissimus *1. Joh. V. 7. C. XXI. p. 303.* In *Bibliotheca S. Johannis de Carbonaria Patrum Augustinianorum* Neapoli adservantur codex *Evangeliorum* XI. Seculi membranaceus, sub cujus initium legitur *Epistola Eusebii ad Carpianum* data, quæ in benè multis *Evangeliorum* codicibus cùm in ista tùm in aliis Bibliothecis præmittitur.

 Notat

Notat ex hoc codice *Montfauconius* lectionem memoratu dignissimam, quæ *Matth. I. 11.* reperitur & ita se habet: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Eandem observat idem Vir doctissimus inveniri quoque in codice Cardinalis *Perronii* Sec. X. conscripto qui jam in *Bibliotheca Monasterii S. Taurini Ebroicensis* conspiciatur. In eadem Bibliotheca Augustinianorum Neapolitanorum exstant quoque tres alii codices *Evangeliorum* Manuscripti, quorum primus Sec. XI. bonæ notæ est, membranaceus, cum *Epistola Eusebii ad Carpianum*, cæteri minoris notæ & vetustatis, porrò & *Acta Apostolorum* in codice bombycino recenti exarata. C. XXI. p. 308. Florentiæ in *Bibliotheca B. Mariæ Benedictinorum* est codex membranaceus, ubi *Acta Apostolorum* & *Epistolæ Pauli* cum commentario & scholiis manu *Theophylacti* Presbyteri & in lege Doctoris descripta exstant, A. 984. codex item bombycinus, in quo totum novum Testamentum exaratum est A. C. 1338. codex porrò *Evangeliorum* X. Seculi membranaceus. Codex itidem membranaceus *Evangeliorum* & *Epistolarum* Sec. XI. C. XXV. p. 362. In *Bibliotheca* Bononiensi *Cœnob. Canonic. Regular. S. Salvat.* reperitur codex novi Test. membranaceus XI. Seculi C. XXVII. p. 407. Hi sunt codices novi Testamenti, quos in Italia lustravit, atque in *Diario* suo *Italico* nobis descriptos dedit *Bernardus de Montfaucon*, cujus quoque *Palæographia Græca* hanc in rem conferri meretur, in qua *L. III. c. 3. f. 213.* mentionem injicit codicis vetustissimi Patrum S. Basilii Romæ, ubi unciali charactere quadro in quibusdam litteris, rotundo in aliis, secundum antiquiorem for-

tera-

mam deſcriptæ ſint Epiſtolæ Pauli; deletâ autem ferè ſcripturâ illâ vetuſtâ ſuperſcripta opera *Gregor. Nazianzeni* longe recentiore manu. Habetur etiam ejus generis codex Florentiæ in Bibliotheca B. Mariæ Benedictinorum, ubi deleta eraſaque priori ſcriptura *Sophoclis* carmina ſcripta ſunt, quum prius vetus Teſtamentum charactere quadro & rotundo ſine accentibus ibi ſcriptum fuiſſet. Specimina quoque literarum ex hiſce codicibus in citato opere dat *Montfauconius*, ut taceamus *Evangeliſtaria* ab ipſo recenſita *L. III. f. 233.*

§. 5. Plures tamen reperiri in Italia novi Teſt. codices, ego ſane non dubitaverim, qui ut è tenebris ſuis latibulisque eruantur, Reipublicæ litterariæ utique intereſt. Certè codices varios Taurinenſes, quos in catalogo hujus Bibliothecæ recenſuimus, ipſi manibus noſtris tractavimus, magnamque codicum Italicorum copiam in Bibliothecarum Italicarum catalogis memorat *Antonius Poſſevinus*, qui & Hiſpanicos & Germanicos recenſet. Nec deſunt Viri inter Italos doctiſſimi, qui heic operam ſuam ſubinde impendere haud gravantur. Ita etenim ante hos XX. annos & quod excurrit, *Laurentius Alexander Zacagnius*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus ex Manuſcripto *Bibliothecæ Vaticanæ* codice edidit *Euthalii, Epiſcopi Sulcenſis Actuum Apoſtolorum & XIV. S. Pauli aliarumque ſeptem Catholicarum Epiſtolarum editionem ad Athanaſium Juniorem, Epiſcopum Alexandrinum* cum verſione abs ſe adornatâ in *Collectaneis Monumentorum Veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quæ hactenus in Vaticana Bibliotheca delituerant*, Romæ A. 1698. præmiſitque huic Collectioni elegantisſimam *Præfationem*, ubi luculenter de *Euthalio* agit

 & multa

& multa affert egregia ad rem criticam novi Test. spectantia de distinctionibus, capitulis, στιγμοῖς novi Test. eorumque ortu doctissimè disserens. Quod autem de Bibliothecis Italicis affirmavi, plures forsan in iis novi Test. codices esse, quam qui nostram ad notitiam pervenerint, id & de Bibliotheca Regia Hispanica dixero, cujus codices Biblici in *descripcion breve del Monasterio di San Lorenzo* disc. 16. dantur. Quod vel maximè ad ea, quæ in Oriente adhuc delitescunt, & in Africa, novi Testamenti Apographa quoque pertinet, quorum optima quævis & vetustissima nobis incognita adhuc esse merito dolendum est, cum ex his forsan maxima ad genuinas novi Fœderis lectiones investiganda peti subsidia possint.

§. 6. Nunc de codicibus novi Testamenti Græcis quæ in Gallia asservantur, aliqua disseremus, quorum quidem notitiam aliqua ex parte dedit RICHARDUS SIMON, tùm in *Diss. Crit. de MSS. N. T.* tùm in *Histor. Crit. Text. N. T.* ubi numerum init C. XVIII. p. 204. col. 1. Primus eos nobis recensuit *Robertus Stephanus*, quibus in novi Testamenti editionibus adornandis usus est. Cæterùm, quum *Joannes Millius* in *Prolegomen. novi Test. P. III. f. 117. 118. 119.* luculentam eorum notitiam nobis dederit, & XIV. istos Manuscriptos codices, ostenso simul eorum valore, descripserit, hoc utique labore nunc supersedere poterimus. Celeberrimus inter Gallicanos est codex ille Græco-latinus, qui *Evangelia & Acta Apostolorum* complectitur, mutilatus licet, & ex *Cœnobio S. Irenæi*, in quo asservabatur, Lugdunensi in *Theodori Bezæ*, Theologi Reformati manus incidit, qui eundem Academiæ Cantabrigiensi A. MDLXXXI. dono dedit, ubi eum in Bibliotheca reposi-

positum ipsimet quoque manibus nostris versavimus. Recensuit eundem in *Prolegomenis Millius* sæpe nobis nominandus *P. II. fol. 132. sq.* Nec est, quod addamus ad Observationes Criticas à *Millio* positas. Id certum est atque indubium, codicem hunc, etsi venerandæ sit antiquitatis, adeò corruptum atque interpolatum esse, ut omnium novi Testamenti codicum, quos habemus, nullus heic ipsi cedat, corruptum insuper ad versionem vulgatam veterem, atque adeo Autographis Apostolicis planè non consentientem, ut probabile omnino sit, eum à librario rerum haud satis gnaro scriptum vel ab eo potius exaratum esse, qui impostoris, falsarii criticique audacis munere defunctus fuerit, imo, qui Pseudepigraphis Evangeliis nimium sæpè tribuerit. Cæterum nec id negari potest, ex hoc codice genuinam sæpius lectionem in locis dubiis posse depromi. Exemplum hujus rei exstat in *Evangelio Lucæ*, ubi C. III. *vs. 36.* omnes MSS. codices editionesque impressæ habent τȣ̃ Καϊνὰν. Ast in codice hoc Bezæ omittitur vox Καϊνὰν, prout, si ex Hebraica Veritate veteris Testamenti concludere velimus, omitti debebat. Nequaquam autem heic spernendam esse codicis hujus auctoritatem, patet ex eo, quoniam nec in genuina LXX. Virali versione, uti postea demonstrabitur, exstitit vox Καϊνὰν, nec in suis vet. Testam. codicibus legerunt *Origenes*, *Irenæus*, *Theophilus*, *Africanus*, & inter antiquiores *Berosus & Eupolemus.* Hisce testimoniis suffulta codicis hujus lectio non certè, uti *Jo. Millius* putavit, librario adscribenda est textum mutanti, sed potius censenda lectio omnium antiquissima, &, quod maximè est, atque omninò magni semper momenti

menti esse debet, codici Hebræo ex asse consentiens. Vulgata autem vetusque illa versio, quæ in codice hoc Bezæ exstat, itidem satis corrupta atque interpolata est, nec ascendit ad auctoritatem veteris illius, quæ ante *Hieronymi* tempora, imò seculis ante-Nicænis exstitit. Vehementer enim discrepat ab iis dictorum S. codicis allegationibus, quæ apud *Tertullianum*, *Cyprianum* aliosque veteres reperiuntur. Quod & *Jo. Millio* observatum in *Prolegom. N. T. P. III. 166. b.*

§. 7. Nunc de *Claromontano* codice aliqua veniunt dicenda. Nomen hoc codici dedit *Theod. Beza* propter *Cœnobium Claromontanum apud Bellovacenses*, in quo asservatus fuit. Continet autem *Epistolas Paulinas Græco-latinas*, & *Codici Bezæ Cantabrigiensi* modo à nobis recensito ferè est παράλληλος, licet non ita corruptus, uti Cantabrigiensis ille, cum quo tamen id commune habet, quod ad versionem veterem Italicam sæpius fuerit mutatus, cum qua ferè in omnibus consentit. Uterque hic codex & *Cantabrigiensis* & *Claromontanus* in occidente à Librario Latino exaratus est, non Græco, uti characteres docent, qui multo rotundiores & pinguiores iis sunt, quos in Oriente pingebant. Id quod observatum est à *Rich. Simone* sub nomine *Sainjorii* in *Biblioth. Critic. T. I.* C. 18. p. 276. Exstant quoque codices vetustissimi, quorum alterum *Thuanus* habuit, totum Nov. Testamentum, excepto *Matthæi* Evangelio, complectentem, alterum Cardinalis *Mazarinius*, in quo *S. Evangelia* jam ante DCCC. annos exarata fuere. Utrumque cum aliis MSS. codicibus Gallicanis ad varias lectiones suas augendas contulit

Ste-

*Stephanus Curcellæus*. Noti quoque ſunt *D. Petavii* Senatoris Pariſienſis codices tres, quorum varias lectiones collegit in recentiſſima novi Teſtamenti editione *Jo. Millius*. Primus *Acta Apoſtolorum & Epiſtolas* omnes complectitur, uti & ſecundus, in quo addita tamen eſt Apocalypſis, tertium verò, qui *Acta* quoque *Epiſtolas & Apocalypſin*, uti ſecundus, continet, narrante *Jo. Millio*, è Muſæo *Petavii* redemtum Sueciæ Regina *Chriſtina Alexandro VII*. Pontifici Romano dono dedit, qui eum in Bibliotheca Vaticana reponi curavit. Eundem hunc codicem, uti ſupra §. 5. p. 73. poſuimus, edidit Romæ *Laurentius Alexander Zacagnius*, dignum utique, qui lucem viderit. Exſtat quoque in *Cœnobio S. Germani* codex *Epiſtolarum Paulinarum* Græcolatinus Cantabrigienſi ferè & Claromontano ſimilis, majoribus literis deſcriptus iisque uncialibus, queis, quod mirum, à prima manu additi ſunt ſpiritus & accentus, memorante ita *Bernardo Montfauconio*. Vid. *Millii Prolegom. P. II. fol. 158*. Quid de corruptione vel antiquitate hujus codicis ſtatuendum ſit, videre eſt in *Arnaldi Diſſert. critica de tribus hiſce MSS. Bezæ, Claromontano & San-Germanenſi*, qui à falſario confectos hos codices putat Sec. VI. Adde tamen, quæ reponit *Simon.* in *Diſſ. crit. de MSS. Cod. N. T. p. 7. ſqq.* Nec reticeri debent codices novi Teſtamenti Manuſcripti, quos Bibliotheca in Galliis *Colbertina* tenet, in qua numero 6043. comparet elegans *S. Evangeliorum* codex, ſed à critico & falſario peſſimè corruptus, porrò codex *Evangeliorum* mutilus ſcripturæ peſſimæ nec magni momenti num. 4705. itemque codex *Evangeliorum* eadem ratione mutilatus variisque ſcholiis interpola-

rus num. *6066.* ut alios codices num. 4444. *6083*, *6511*, 2844. taceamus, inter quos tamen posterior ille codex *Actuum Apostolicorum* itemque *Evangeliorum* haud minimi momenti est, & licet singulares sæpe lectiones habeat, cum codice tamen *Alexandrino* supra memorato sæpius convenit. Præterea in *Bibliotheca* illa *Colbertina* asservatur num. 5149. codex *quatuor Evangeliorum* ex Insula *Cypro* delatus literis uncialibus Sec. X. exaratus atque *Rich. Simoni* memoratus in *Historia Critica Textus Novi Testamenti cap. X.* cujus lectiones variantes novo Testamento inseruit quoque *Millius*.

§. 9. Cæterum, quum *Bernardus Montfauconius* in *palæographia Græca* codices Gallicanos novi Test. egregiè recensuerit, ea, quæ Vir doctus memorat, digna esse existimavimus, quæ huc apponantur. Et *Libro* quidem *I. C. VI. fol. 44. 45.* refert codicem Regium numero 3424. membranaceum elegantissimè scriptum, complectentem quatuor Evangelia cum capitibus Evangeliorum & Canonibus Eusebii aureo charactere descriptis ac pictura varia exornatis. Hunc codicem A. *964.* scriptum fuisse arguit *Montfauconius*. Eodem *Capite fol. 49.* memorat codicem Regium num. *2264.* membranaceum, in quo Epistolæ novi Test. cum Commentariis variorum Patrum contineantur, A. 1045. exaratum. Injicit quoque loc. cit. fol. *61.* mentionem codicis regii *2862.* membranacei quatuor Evangeliorum scripti A. 1168. *C. VII. fol. 69.* recensetur codex regius 1884. qui continet Evangelistarium, quod olim fuit *Huraltii Boistalleri*, scriptum A. 1336. Ita cod. Reg. *2245.* quatuor complecti Evangelia ex eodem *Montfauconio* didicimus. *L. III. C. III. fol. 213.* recenset Clarissi-

riſſimus hicce Vir codicem, cujus deſcriptionem jam antea à *Bernardo Lamy* in *Commentar.* in *Concordiam Evangelicam*, ubi periçopam de piſcina probatica in tabella repræſentat, à Bibliothecæ Regiæ cuſtode *Boivinio* ſecum communicatam, datam videramus. Sunt autem hæc Montfauconii verba, digna, quæ apponantur: *Ex codice Regio 1905. aliud Alphabetum exſumſimus. Continet autem ille codex recentiore quidem manu duodecimi circiter ſæculi S. Ephræmi Opera. Sed alia antiquiſſima ſcriptura ibidem habetur, qua vetuſtate ſimul & arte penè obliterata, alia longe recentiora ſuperſcripta ſunt, S. Ephræmi videlicet opera, uti diximus. Illa verò vetuſtiſſima ſcriptura complectitur variorum ſacræ ſcripturæ librorum maximèque novi Teſtamenti folia, ſed confuſa & plerumque inverſa, id curante Librario recentiore, ut priſtina illa, ſi fieri poſſet, de medio tolleret & obrueret. Charactere unciali ſine accentibus priora illa deſcripta ſunt.* Obſervantur quoque in codice hoc frequentes commutationes, η & ι, υ & η & ſimiles, uti in codice Alexandrino. *L. III. C. IV. fol. 217.* recenſetur codex regius 2245. Epiſtolas S. Pauli complectens & tenuiſſimis elegantiſſimisque membranis conſtans, ſeptimo circiter ſeculo ſcriptus. Latina verſio in altera ſemper pagina jacet. Character eſt quadrus vel rotundus, à perita manu exaratus. Cæterum hoc in codice exſtant κῶλα & κόμματα, itemque accentus & ſpiritus ſed à ſecunda manu additi. *L. III. C. VIII. f. 260.* memoratur codex quatuor Evangeliorum, cujus character uncialis novum quidem ſeculum præferat, in uſum Eccleſiæ deſçriptus. Co-

dex

dex hic pertinuit olim ad Abbatem *de Camps*, ab hoc vero donatus eſt Regi Galliæ & Bibliothecæ Regiæ inſertus. Exhibuit quoque ſpecimen quoddam *Montfauconius* ex codice regio 1886. X. ſeculi, membranaceo & eleganter deſcripto, in quo abbreviationes frequentiſſimæ, complectente expoſitiones in Acta Apoſtolorum & Epiſtolas Paulinas. Vid. *L. IV. C. III. f. 283.* Denique recenſet *Montfauconius L. IV. C. VI. f. 305. 306.* Codicem regium 2862. membranaceum, qui deſcriptus fuit A. C. 1168. & complectitur quatuor Evangelia, quibus præmittuntur Prologus, Epiſtola Euſebii Carpiano, ejusdemque Canones. Codices quoque Colbertinos ex ordine nobis dat *Montfauconius. L. I. c. VI. f. 51* memoratur codex Colbertinus 4078. membranaceus XI. ſeculi, ubi IV. Evangelia, ſcripta à Librario quodam, cui *Pauli* nomen fuit. *C. VII. l. c. f. 83.* deſcribitur codex Colbertinus 614. membranaceus continens Evangeliſtarium A. 1205. ſcriptum. *C. VI. f. 55.* recenſetur codex in eadem Bibliotheca repoſitus 4766. membranaceus XI. ſec. ubi quatuor Evangelia. *C. VII. f. 88.* memoratur codex Colb. 638. bombycinus, Evangeliſtarium complectens A. 1533. ſcriptum. Hi ſunt codices N. T. Colbertini, quos Palæographia Montfauconiana nobis delineat. *L. IV. C. V. f. 290.* memorat codex novi Teſtamenti ſeculi XI. qui aſſervatur in Bibliotheca Abbatis *Dominici Paſſionei.* Notus quoque eſt codex Manuſcriptus Genevenſis *Acta Apoſtolorum & Epiſtolas Catholicas* itidemque *Paulinas* exhibens, à Scriba quidem καλλιγράφῳ ſed rerum ignaro exaratus. Vid. *Millii Prolegomena in nov. Teſtam. P. III. f. 162. 164. 165. 166.* Denique mentio quoque injicienda eſt codi-

codicis *Perroniani*, qui ad Cardinalem *Perronium* olim cum ſpectaſſet, poſtea in Bibliothecam *Monaſterii S. Taurini Ebroicenſis* translatus eſt. Codicem egregiæ notæ & ſec. X. conſcriptum ait *Bernardus Montfauconius* in *Diar. Ital. C. XXI. p. 308.* Ex quâ recenſione corrigi poſſunt, quæ de eo dixit *Jo. Millius* in *l. c. f. 166. b.* Atque hæc de MSS. codicibus novi Teſt. Gallicanis ſufficiant.

§. 9. De Germanicis novi Teſt. codicibus pauca ſunt, quæ addere poſſumus, partim quod ad lectiones eorum deſcribendas nemo ferè operam ſuam impendit, partim quod eorum recenſiones quoque à Viris doctiſſimis parciſſimæ datæ ſunt. Plures notavit *Eraſmus Roterodamus* in notis ad novum Teſtamentum, qui diligenter eos verſavit. Qui *Viennæ* in Bibliothecâ Cæſarea aſſervantur, egregii omnino ſunt & recenſiti à *Lambecio* in *Commentar. de Bibliotheca Cæſarea L. III.* itemque à *Daniele de Neſſel*, Bibliothecario Cæſareo, in *Catalogo MSS. Græcorum & Orientalium Bibliothecæ Vindobonenſis Codd. Theol.* ccc *f. 404.* ubi VII. MSS. novi Teſtamenti codices recenſentur. Primus eſt membranaceus, antiquus & optimæ notæ in forma, quam vocant, octava, conſtans foliis 358. totumque novum Teſtamentum exhibens. Pertinuit olim ad *Andream Contrarium*, cujus inſignia gentilitia primo ejus folio depicta ſunt. Exhibet autem hic codex recenſionem argumenti & capitum cujusque Libri & indicem omnium lectionum ſacrarum totius anni, itemque imagines Evangeliſtarum *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ* & *Joannis* atque *Petri* & *Pauli*. Porrò *num.* XXIX. reperitur in eadem Bibliotheca codex MS. Græcus IV. Evangeliorum, aureis literis in forma quarta

descriptus, ubi notat *Lambecius Comment. de Biblioth. Cæsar. L. III. fol. 45.* adscriptum esse ad marginem *Orationis dominicæ p. 110.* Τὸ δὲ, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, ἔν τισιν οὐ κεῖται μέχρι τοῦ ἀμήν. Alius sequitur *num.* XXX. MS. codex Græcus IV. Evangeliorum, qualis & habetur *num.* XXXII. & XXXIII. Ast *num.* XXXIV. habetur *Codex Apostolicorum, Epistolarum Paulinarum & Apocalypseos*, ubi ad finem additur *fragmentum de Baptismo Apostolorum & Mariæ ex Sophronio*, quod descripsit Lambecius loc. cit. *L. III. fol. 52. sqq.* Denique *num.* XXXV. XXXVI. XXXVII. habentur *Acta Apostolorum*, omnesque *Epistolæ* tam *Paulinæ* quàm *Catholicæ*, quibus addendus est etiam codex vetustissimus, in quo fragmenta libri Geneseos & pars quædam minima *Lucæ*, capitis nempe XXIV. continentur, purpureus, quadrus, literisque aureis & argenteis jam antea MCCC. annos exaratus. Vid. *Lambec.* de *Bibl. Cæsar. L. III. f. 2.* Atque hi sunt Manuscripti codices novi Testamenti, quos ex *Bibliotheca Vindobonensi* recensent *Lambecius & Nesselius.* Hos codices ferè omnes à *Jo. Millio* non collatos esse, est, quod vehementer miror, cùm saltem eorum collationes facilè haberi potuissent. Primi tamen, quem recensuimus, & qui *num.* XXVIII. exhibetur, varias lectiones Appendici suo inseruit. Sed notandum heic, *Jo. Millium* haud adcuratam istius codicis habuisse notitiam. Ita enim de eo scribit in *Prolegom. novi Test. P. III. f. 367. a. Superest codex Viennensis sive integrum Testamentum N. exceptâ Apocalypsi. Liber membranaceus Bibliothecæ Cæsareæ n. 28. in catalogo Lambecii. Evangelia & Acta*

*sequun-*

*sequuntur Epistolæ Catholicæ, deinde Paulinæ, quarum postremam (Epistolam ad Hebræos) excipit Lectionum Ecclesiasticarum indiculus. Uncialibus literis descriptus est annis abhinc 700. seu forte 800. uti censent D. Georgius Mastrichius J. U. D. & Collator Exemplaris D. San-Georgius Ashe, Domino Paget A. 1691. apud Imperatorem Germ. Britanniarum Regis Oratori à sacris. Collationes hasce in usum meum procuravit amicus pereruditus Ed. Gee, S.T.P.* Hæc *Millius.* Ad quæ verba hæc notanda veniunt, primò, codicem illum novi Test. qui in *catalogo MSS. Bibl. Vindob.* à *Nesselio* edito *num. 300. obtinet fol. 404.* & apud *Lambecium L. III. fol. 41.* recensitus legitur, non literis uncialibus sed Græcis minoribus scriptum esse. Ita certe mihi retulit Vir doctus *Gerardus van Mastricht*, Civitatis Bremensis Syndicus. Secundò codex ille novi Test. cum Apocalypsi quoque continet, uti patet ex recensionibus *Lambecii* & *Nesselii*, qui deesse ibi Apocalypsin non memorant. Tertio codicem hunc contulit, ex eoque varias lectiones excerpsit non *Dn. Ashe sed Gerardus Mastrichtius* à Civitate Bremensi t. t. ad Imperatorem Germanicum missus, qui easdem *Dn. Ashe* communicavit, in proprios usus hanc collationem describent. Et hæc quidem de codicibus novi Testamenti Viennensibus dicenda erant.

§. 10. Hos sequantur Codices Basileenses, quibus usus est *Erasmus Roterdamus.* Tria primùm in *Bibliotheca Basileensi* comparent *Evangeliorum* Apographa Græca. Unum, quod majoris erat momenti, exstabat olim in *Minasterio Prædicatorum* Basileæ. Hoc Erasmus quoque maximè secutus

eſſe videtur. D. annorum eſſe in *Relationibus* ſuis *Itinerariis* memorat *Gilbertus Burnetus*, ubi & obſervat, textum *1. Joh. V. 7.* in eo non exſtare. Aſt vetuſtiorem eſſe librum vel ex eo patet, quod literis ſcriptus ſit uncialibus, *Alexandrini* Codicis Characteribus ſimillimis, uti obſervavit *Joannes Battierius*, Græcarum linguarum in Academia Baſileenſi Profeſſor, qui varias lectiones ex hoc Codice tranſſcripſit & *Jo. Millio* miſit. Exſtant quoque in hac *Bibliothecâ* Codices duo Actorum & Epiſtolarum Dpoſtolicarum, quorum alter vetuſtior, ex *Bibliothecâ Prædicatorum* huc translatus, alter recentior eſt. Codicem, quem memoravimus, *Evangeliorum* mille adhinc annis ſcriptum arbitratur *Mabillonius* in *Itinere German. p. 15.* unde facile conſtat, quænam ei tribuenda ſit auctoritas. Memoratur quoque *Jo. Reuchlini* Codex Græcus *Apocalypſeos*, ad quem ſuam editionem expreſſit *Eraſmus Roterdamus.* Deliteſcit etiam Argentorati egregius Codex Novi Teſtamenti, quem poſſedit *Jo. Henricus Bœclerus*, Polyhiſtor ſummus. Ecce ipſius verba: *Sunt penes me antiquiſſimæ membranæ, quas olim Reverendus Theologus, Stephanus Gerlachius, cùm in comitatu Generoſiſſimi Baronis Ungnadii, Cæſarei ad Portam Ottomannicam Legati ageret, ibidem à Græcis emtas in Germaniam intulit, à cujus filio ad clariſſimæ memoriæ Virum Berneggerum noſtrum eoque in cœleſtem translato beatitudinem ad me, inſigni hæredum munere, pervenerunt. Continent Acta Apoſtolica* Λουκᾶ Εὐαγγελιστοῦ πράξεις Ἀποστόλων, *hac excipit Epiſtola Jacobi, Petri utraque, Johannis tres & Epiſtola Judæ. Poſtea ſuccedunt Epiſtolæ Paulinæ more veteris Eccleſiæ Græcæ in unum* XIV. *Epiſtola-*

*ſtolarum numero collectæ librum, & memorabili Prologo, quem hîc exhibemus, præfixæ, è quo multa præclaræ obſervationis petent, qui curam & eruditionem talibus monumentis exercitam attulerint.* Hæc *Bœclerus* in *Prologo* ad *Prologum Euthalii Libro Pauli Apoſtoli in* XIV. *Epiſtolas ordinato* præfixum. Idem hic prologus eſt, cujus particulam ante *Bœclerum* ediderat *Robertus Stephanus* & ante *Stephanum Eraſmus Roterdamus*, quemque poſt hos omnes in *Monumentis Veteribus Eccleſiæ Græcæ & Latinæ* Græcè & Latinè recenſuit *Laurentius Alexander Zacagnius T. I. p. 515. ſqq.* Dolendum eſt oppidò, Codicis tàm eximii lectiones varias à nemine adhuc collectas eſſe, niſi forſan ipſemet *Bœclerus*, quod tamen non exprimit, in ſua editione Nov. Teſtam. A. MDCLX. Argentorati publicatâ ipſum ex aſſe fuerit ſecutus. Refert *Jacobus Tollius*, Vir doctiſſimus *Epiſt. Itinerar. II. p. 45.* exſtare in *Bibliotheca Berolinenſi* duos Codices Novi Teſtamenti, Græcum unum abſque accentibus ſcriptum & Latinum, qui contineat verſionem vulgatam antiquiſſimam, quo ſe *Eraſmus Roterdamus* plurimo cum fructu uſum ſua manu annotaverit. Idem *Tollius Epiſt. Itinerar. V. p. 148.* memorat, in civitate quadam Hungarica IV. Milliaribus Jaurino diſtante, quæ *Montis S. Martini* nomen gerat, templum eſſe *Raſcianorum*, hominum divitum & Græcæ Religioni addictorum, in quo gemmis & auro pretioſiſſimus & vetuſtiſſimus S. Scripturæ codex Græcus adſervetur, cujus antiquitatem, falſo licet, ad Apoſtolorum tempora ii referant. Plura forſan addi heic poſſent, ſed propter recenſionum defectum criticesque Sacræ communem ferè contemtum ejusque proſcriptio-

 nem,

nem, quæ causa fuit, cur codices multi à Viris doctis non excuterentur, heic pedem sistere atque ad Angiicanos novi Testamenti codices progredi cogimur.

## CAPUT QUINTUM.

*Recensentur Codices Anglicani, ii primum, qui in Bibliotheca Bodlejana reperiuntur, tùm, quos Thomas Bodlejus intulit, tùm, qui à G. Hakwello, Ed. Hydio, Th. Roë, Gul. Laudo, Jo. Seldeno dono dati sunt. Sequuntur codices Lincolnienses, Magdalenenses & Colleg. novi. Additur recensio codicnm Cantabrigiensium Coll. Gonvilli & Caji, Emanuel. Googiani, Coll. Christi, Montfortiani. Porrò memorantur codices Rich. Bulkeley, Lambethanus, Huntingtonianus, Wheeleriani, Galeanus, Coveliani, Jo. Mori & Clevelii. Denique de codice Erasmi Brittannico, Leicestriensi, Bunckleano Dublinien sibus, Cottoniano & catenis quibusdam novi Test. differitur.*

§. I.

ANglia, uti omnis literaturæ elegantioris nutrix semper fuit, ita optima quæque habet subministratque subsidia, ex quibus Textum novi Testamenti Græcum suo restituere nitori queamus. Inter ea autem principem locum obtinent Manuscripti novi Testamenti codices Græci, quorum antiquissimum simul & optimum, *Alexandrinum* nempe su-

pe ſupra C. III §. 3. ſqq. recenſuimus. Cæteris verò recenſendis heic locus deſtinatus eſto. Faciemus autem exordium à Codicibus Inſtructiſſimæ *Bibliothecæ Bodlejanæ*, quæ Oxonii eſt, eandemque paululum, quantum inſtitutum noſtrum permittit, excutiemus, ſecuturi hac in re *Joannem Millium*, qui multam in evolvendis iſtis codicibus operam præſtitit. Sex ſunt codices, quos huic Bibliothecæ primum *Thomas Bodlejus* intulit. Agmen ducit codex quatuor Evangeliorum membranaceus, ſed judice *Millio* haud ita vetuſtus, quem ejusdem argumenti codex ſtatim inſequitur, ubi, quæ ſubſcriptæ exſtant Evangeliis ὑπογραφαὶ, memorabiles ſunt. Ita enim de *S. Matthæi* Evangelio, ſcriptum id eſſe dialecto Hebraica poſt annum octavum ab aſcenſione Chriſti, poſtea autem in Græcam linguam converſum à *Johanne* Apoſtolo. Tertius codex eſt Lectionarium pervetuſtum quidem ſed mutilum, literis quadratis ſcriptum. Quartus itidem lectionarium mutilum exhibet. Porrò quintus codex recenti ac peſſima manu exaratus eſt quatuor Evangeliorum, ſcriptore *Serbopulo*, haud vetuſtus. Sextus itidem quatuor Evangeliorum eſt, adſcriptis ad marginem ſcholiis, non tamen admodum, uti *Millius* putat, antiquus eſt ipſius character. In ὑπογραφαῖς ipſius hoc obſervandum, quod ſubſcriptio *Evangelii Matthæi* eadem ferè ſit, quam modo ex Codice II. *Bodlejano* recenſuimus. Confirmat enim & hic codex, *Matthæum* ſcripſiſſe Evangelium ſuum Hebraicè in Palæſtina annis octo poſt aſcenſionem Chriſti. Quibus codicibus addi poteſt pars novi Teſtamenti Manuſcripta cum Scholiis inter codices *Baroccianos*

*num. 3.* codex ſatis probatus, & quingentorum annorum ætatem ferens, ſed mancus, & ab *Act. XI. 13.* demum incipiens. Atque hos exiſtimo eos eſſe codices, quos Bibliothecæ huic intulit *Th. Bodlejus.* Multis autem ea acceſſionibus, maximè etiam Græcis novi Teſtamenti codicibus poſt mortem *Bodleji* aucta eſt. Exſtat in *Bibliotheca Bodlejana* elegantiſſimus *Evangelii S. Johannis* codex, manu, ut fertur, *Johannis Trithemii*, Abbatis primum Hirſaugienſis, poſtea Spanheimenſis ſcriptus, in forma duodecima, quam vocunt. Hujus codicis lectiones variæ haud exigui ſæpe momenti ſunt. Illatus autem eſt Bibliothecæ Bodlejanæ à *Georgio Hakwello*, qui codicem hunc dono datum acceperat ab *Abrahamo Sculteto*, ante hoc C. annos. *Lectionarium*, quod ſigno *Bodl. 5.* notat *Jo. Millius*, integrum id ſed recentius *Bibliothecæ Bodlejanæ* dono dedit è Turcia advectum Academiæ Oxonienſis olim Cancellarius *D. Eduardus Hyde*, Clarendoniæ Comes, quum antea ad *Parthenium*, Conſtantinopolitanum Patriarcham primum & poſtea ad *Heneagium Finchium*, Comitem de Winchelſey pertinuiſſet. Duo ſunt codices, quos Bibliothecæ Bodlejanæ donavit *Thomas Roë*, Eques auratus, Regis Angliarum ad Imperatorem Turcicum Legatus, idem, qui, uti ſupra C. III. §. 3. p. 57. ſcripſimus, egregium illum Alexandrinum codicem à *Cyrillo Lucario* donatum ad *Carolum I.* Regem detulit. Alter eſt codex *Evangeliorum* membranaceus, alter Epiſtolarum *S. Pauli* cum Scholiis marginalibus excerptis ex *Athanaſio, Baſilio M. Chryſoſtomo, Cyrillo, Dionyſio Alexandrino, Euſebio, Gennadio, Gregor. Nyſſeno, Oecumenio, Theodoreto &c.* Poſterior priori longe eſt præferen-

ferendus, optimique videtur esse commatis, cum Alexandrino quippe codice maximè conveniens.

§. 2. Egregii quoque ii sunt codices, quos *Bibliothecæ Bodlejanæ* dono dedit *Guilielmus Laudus*, Academiæ Oxoniensis olim Cancellarius & Archiepiscopus Cantuariensis. Certè codex, cui *num. 1.* inter *Laudinos* dat *Jo. Millius*, venerandæ & vetustatis, literis uncialibus scriptus, mancus quidem, quod dolendum. Exhibet autem *quatuor Evangelia.* Secundus codex *Laudinus* continet totum nov. Testamentum, excepta Apocalypsi, cum *Synaxario* Evangeliiis præfixo, & sub finem Evangeliorum *Menologio* integro itemque *Euthalii* θύαις μαρτυρίαις. Observat *Jo. Millius*, codicem hunc ex asse respondere isti, quem *Leo X.* Pontifex Romanus ad Cardinalem *Ximenium* novam novi Testamenti editionem molientem, miserit, & quem Theologi Complutenses ἐργοδιῶκται in adornanda ista editione maximè secuti fuerint, Vide supra à nobis C. IV. §. 3. p. 98. dicta & Millii *Prolegom. N. T. P. III. fol.* 157. *a.* Tertius codex *Laudinus* est *Actorum Apostolicorum* Græco-Latinus, literis quadratis sive uncialibus exaratus, sed pinguioribus; quos vocat *Millius*, illis, quibus *codex Alexandrinus* est scriptus, unde ad ætatem illius assurgere Viro eidem doctissimo haud fuit visus. Exhibet quoque versionem veterem *Italicam*, sed interpolatam, qualis exstabat ante tempora Hieronymi & in codice Canbrigiensi & Claromontano habetur; forsan & ea in editione, quam *Patres Benedictini* Parisiis publicarunt ex codice versionis *Italicæ* Corbejensi, octingentorum annorum, judice *Baluzio* ætatem ferente,

 ubi

ubi Evangelium *S. Matthæi* & *Jacobi Epistola* exhibetur. Editus fuit Oxonii à *Th. Hearnio* è Theatro Sheldoniano codex hic Laudinus A. MDCCXVI, Vide Hist. crit. de la Republ. des lettres T. 12. Art. 2. pag. 40. sqq. Codex quartus Laudinus *Lectionarium* continet. Quintus exhibet *S. Evangelia* & est membranaceus, eleganti sed minuto descriptus charactere, bonæ omnino notæ. Quod supra de S. Matthæi Evangelio ex duobus codicibus Bodlejanis observavimus, id expresse quoque & in hoc codice ἐν τῇ ἐπιγραφῇ exstat; nempe *Evangelium Matthæi* scriptum fuisse Hierosolymis Hebraicè & in Græcum postea conversum fuisse à *D. Joanne*, ut adeò traditio hæc à tot Patribus confirmata, antiquissima esse videatur. Hæc de *Laudinis* novi Testamenti codicibus. Nunc de *Seldenianis* dicenda aliqua. Postquam enim *Jo. Seldenus* testamento tradidisset *Bodlejanæ Bibliothecæ* eam, quam collegerat ipse, translatis post mortem ipsius Oxonium libris novi quoque codices huc pervenere. Codex ipsius primus continet S. Evangelia & nitidissimè in membrana scriptus est. Habet quoque singulares *Evangeliorum* ὑπογραφὰς, quarum, quæ ad *Marci* & *Lucæ* Evangelia pertinent, supra enarratas dedi C. *II*. §. *6*. Quæ autem *Evangelii S. Matthæi* est, differre paululum videtur ab iis subscriptionibus, quas supra ex duobus vel tribus codicibus posuimus. Exstat enim heic, *S. Matthæi Evangelium* ex Hebraico traductum esse in Græcum sermonem *à Jacobo*, Fratre Domini, Hierosolymorum Episcopo, quum in duobus codicibus prioribus, altero *Bodl. 1.* altero *Laudin. 5.* scriptum sit, *S. Joannem* hoc Evangelium

Græcè

Græce interpretatum fuisse. Secundus *Seldeni* codex itidem quatuor Evangelia complectitur, sed manu recentiori descripta cum *Synaxario*. Eodem modo & codex tertius. Quartus continet codicem lectionum publicarum sive *Evangelistarium*, vetustum quidem sed mancum. Talis & codex quintus, qui lacerum quoddam fragmentum Lectionarii exhibet. V. *Joh. Millii Prolegom. P. III. f. 157. 158.* Atque hi *Bibliothecæ Bodlejanæ* codices sunt, quotquot vel totum nov. Test. vel partem ipsius complectuntur.

§. 3. Nunc ad alios codices Anglicanos recensendos progrediamur. In Collegio Lincolniensi, quod Oxonii est, exstat *quatuor Exangeliorum* codex, quem Collegio huic dono dedit *Edmundus Annley*, Episcopus Sarisburiensis, recentissima manu descriptus; itemque alius codex vetustus *Acta Apostolorum* & omnes *Epistolas* continens, accuratè descriptus ad exemplar, uti *Millius* putat, optimum, qui luculentam codicum horum descriptionem exhibet in *Prolegomenis N. T. P. III. f. 148. 149.* Duo quoque N. T. codices exstant in *Collegio D. Magdalenæ* Oxoniensi. Unus exhibet novum Testamentum integrum, excepta tamen *Apocalypsi*. Codicem hunc adcuratum & præstantissimum nuncupat *Jo. Millius*, quem & *Henricus Hammondus* ante ipsum sedulò contulerat, uti ex ipsius *Præfatione in Annotationes in Nov. Test.* patet. Arbitratur quoque *Millius*, varias lectiones ipsius ab *Hammondo* communicatas fuisse *Usserio*, ab hoc vero *Briano Waltono*, qui eas *Tomo ultimo Bibliorum Polyglottorum* abs se editorum inseruerit. Alter codex hoc in collegio exstans continet *Epistolas D.*

*Pauli*

*Pauli ad Romanos atque Corinthios*, pulchre descriptas cum scholiis *Oecumenii*. In *Collegio novo* Oxoniensi inveniuntur *quatuor* itidem *Evangelia* sed ineleganti charactere exarata cum indiculo lectionum Ecclesiasticarum variisque procemiis; item *Acta Apostolorum* & *Epistolæ Catholicæ* in codice membranaceo, notæ optimæ, cum scholiis *Chrysostomi* aliorumque Ecclesiæ Patrum, non *Oecumenii*, ut olim *Patricius Junius* in notis in *Epistolas Clementinas* existimaverat, quod luculenter ostendit *Millius* l.c. f. 149.b. ubi Auctores nominat, ex quibus scholia hæc desumta sint, præter *Chrysostomum*, *Basilium M. Clementem Alexandrinum*, *pluresque alios*; rursus in hoc exstant Collegio *Acta Apostolorum* & *Epistolæ* omnes tàm *Catholicæ* quam *Paulinæ*, cum perpetuis SS. Patrum ad marginem Commentariis, inter quos *Severianus*, *Cyrillus*, *Theodoretus*, *Oecumenius*.

§. 4. Qui in Academia Cantabrigiensi asservantur codices, hi potissimum sunt. Codicem membranaceum *quatuor Evangeliorum* Collegium *Gonvilli & Caji* habet, sed à scriba admodum ignaro & oscitante conscriptum. Alium codicem *Epistolarum* in forma minori miserè mutilatum videre est in Collegio *Emanuelis*, bonæ omnino notæ atque nitide conscriptum. In eodem Collegio exstant etiam *quatuor Evangelia* nitidissimo charactere descripta, sed haud accuratè. Pertinuere olim ad *D. Thomam Goad*, S. T. P. sed postea donata fuere huic Collegio. Collata autem sunt primum ab *Usserio*, & postmodum translatæ eorum variæ lectiones in *Biblia Polyglotta Waltoniana*. Codicem quoque Evangeliorum possedit *D. Henricus Googe*, S. T. P: *Collegii Trinitatis* apud Cantabrigienses Socius, quem ipsum

ipsum quoque *Jac. Usserius* contulit, cujus in describendo hoc codice errorem notat *Millius.* In eodem hoc codice præfixum exstat *Menologium.* *In Collegio Christi* exstat quoque codex membranaceus, complectens *Acta Apostolorum, Epistolas Jacobi, Johannis, Petri, Judæ & ad Hebræos.* Probæ est notæ & satis vetustus, nec à *Waltono* collatus. Notus quoque est codex *Thomæ Montfortii*, S. T. P. totum novum Testamentum exhibens, ab *Usserio* collatus, recentior quidem, ast accuratè tamen scriptus. Habet is dictum 1. Joh. V. 7. nec tamen rei autoritatem affert, cum recentior inventione typographiæ sit. Vide *L. Rogerii diss. in 1. Joh. V. 7. p. 120.* Exstat etiam inter codices ab *Usserio* collatos unus egregiæ notæ, *Evangelia quatuor* in folio complectens, cujus varias lectiones *Millio* communicavit *Richardus Bulkeley*, Nobilis Hybernus, qui & Prophetis novis Cemmeniis se Londini adjunxit & varios pro ipsorum defensione scripsit Tractatus. In Bibliotheca *Lambethana* Archiepiscopi Cantuariensis, invenitur *Evangeliorum* codex ad accuratum exemplar expressus Anno, qui sub finem designatur, 1166. Ex manibus Episcopi cujusdam Ephesii devenit ad *Thomam Trahernium*, qui codicem ex Oriente advectum *Bibliothecæ* Lambethanæ inseruit. Adspersa quædam ad marginem scholia sunt, textui haud malè convenientia. Possidet quoque *Robertus Huntingtonus*, S. T. P. mutilatum codicem *Actorum Apostolicorum Epistolarum & Apocalypseos*, omnino præstantissimum, lacerasque schedas *Evangeliorum* ex Oriente secum advectas & *Jo. Millio* communicatas. Tres etiam codices ex Oriente in Angliam attulit

D. Geor-

*D.Georgius Wheelerus*, Ecclesiæ Dunelmensis Canonicus, boni utique notæ. Primus est *Evangeliorum quatuor* integrorum. Secundus continet *Evangeliorum* partem quandam in membrana scriptus cum scholiis & adfixo ad calcem *Synaxario*. Tertius *Lectionarium* exhibet uncialibus literis descriptum. Possederat quoque *D. Thomas Gale* Exemplar Evangeliorum cum *Synaxario* & scholiis, codicem quidem satis probnm sed interpolatum, quem *Millius* quoque contulit.

§.5. Cæterum insignis est codicum novi Testamenti Thesaurus, quem Vir Reverendus, *Joannes Covelus*, S. Th. D. & *Collegii Christi Cantabrig.* Præfectus ex Oriente advectum possidet. Quinque iste exemplaria novi Testam. Manuscripta habet. Primum *Evangelia*, secundum *Acta Apostolorum*, *Epistolas & Apocalypsin* exhibet. Tertium, quod *Acta* & *Epistolas* omnes continet, scholia habet intermixta. Quartum *Acta* itidem *Epistolasque* sed recentiori manu descriptas habet. Quintum continebat *Acta*, *Epistolas omnes & Apocalypsin*, sed mutilatum est, *Sinaiticum* à *D. Covelo* nuncupatum, quod ad ædiculam aliquam sacram ad montem istum positam olim pertinuisset. Plures quoque novi Testamenti codices in instructissima, quam habuit, Bibliotheca *Jo. Morus* possedit, Episcopus postremùm Eliensis Codicis quidem *Evangeliorum & Apocalypseos* itemque *Evangelistarii* pervetusti lectiones varias annotavit *Jo. Millius*. Sed cur cæteros codices tum in recensione sua cum silentio præterierit, tùm in notis suis Criticis planè nunquam citaverit, ego quidem nescio, optans, ut quivis alius in ipsius locum succedat, & spicilegium quoque ex iis conficiat. Ita memini

etiam, me apud Virum humanissimum *Clevelium*, Equitem Londini novi Testamenti codicem, Evangelia continentem, vidisse, recentiori quidem manuscriptum sed satis accuratum, qui cum *Jo. Millio* communicatus quidem sed statim remissus ab eo fuit. Citat quoque *Erasmus Roterodamus codicem quendam Britannicum*, in quo dictum *1.Ioh. V. 7.* reperiatur, quod ipse inseruit editioni novi stamenti Græcæ A. MDXXII Basileæ ab se editæ. Sed ubinam hic codex *Britannicus* nunc versetur, ego hactenus divinare non potui, cùm inter Anglicanos codices nunc exstantes nullus sit, in quo id inveniatur. Confer tamen de codice hoc Britannico *Simonis Dissertat. de codic. MSS. N.T. p. 13.* & vel maximè *Lud. Rogerii diss. in 1.Ioh.V. 7.* Parisiis A. 1713. impressam p. 96. sqq. qui Simonem prolixè refutat. Alios etiam Anglicanos codices refert *Millius* sub finem *Prolegom. N.T. P. III. f. 166. Leicestriensem* nempe sive in Bibliotheca *Leicestriensi* repositum, totius novi Test. egregiè cum codice *Bezæ* Cantabrigiensi consentientem, aliumque *Evangeliorum* codicem recentissimum à *Georgio Spartiata* conscriptum & ad *D. Bunkle* Londinensem pertinentem, utrumque à semet diligenter collatum. Exstant quoque in Academia Dubliniensi duo codices novi Test. MSS. qui olim *Iac. Usserii* fuere. Memorat etiam *Montfauconius* in *Palæographia Græca* codicem quendam Cottonianum, in quo Evangeliorum fragmenta exstent. Sed ista quidem sufficiant de codicibus novi Testamenti Manuscriptis, illiusque Evangelistariis & Lectionariis, quæ omnia egregia subministrare possunt subsidia ad genuinam N. T. lectionem investigandam. Quam in rem & catenas Patrum

trum in nov. Test. conscriptas adhibendas esse arbitramur, eas præsertim, quæ sunt præstantissimæ, uti *Macarii Crysocephali* aliorumque, item *Euthymii*, quarum descriptionem exhibet *Millius* in *Prolegom. P. III. f. 158. 160.* Sed ad alia progrediamur.

## CAPUT TERTIUM.

*Variarum Lectionum Collectores recensentur. Inter eos primi veteris Ecclesiæ Patres. Hos insequuntur Valla, Erasmus, Lucas Brugensis, Rob. Stephanus, Lindanus, Patric. Junius, Hugo Grotius, Jac. Usserius, Jo. Morinus, Petrus Faxardus, J. M. Caryophilus, P. Possinus, Brianus Waltonus Stephanus Curcellæus, Th. Gale, Jo. Gachonius, Stephanus Baluzius, Jo. Fellus, Jo. Saubertus, P. Amelotus, R. Simonius, L. A. Zacagnius, Jo. Gregorius, Jo. Millius. Millii laus. Aliam editionem olim ab ipso tentatam fuisse ex Bentleji literis ostenditur. XII. Codices MSS. contulit Lud. Kusterus ad augmentandas varias lectiones à Millio collectas. Illustrantur quædam in Prolegomenis Millianis à Millio vel malè posita vel neglecta. Laudantur eruditio Rich. Simonis, quam in historia Critica novi Testamenti ostendit. Auctores indicantur, qui de variis impressis N. T. editionibus egerunt.*

§. 1. Re-

§. 1.

RECensitis codicibus novi Testamenti præcipuis sequitur, ut eorum, qui varias Lectiones ex iis collegerunt, historiam eadem ratione tradamus, ita tamen, ut non omnia, quæ hoc in argumento dici forsan possent, congeramus, sed selecta quædam benevolo Lectori tradamus, ne ultra institutum nostrum evagetur nostra tractatio. Primum quidem de ipsismet Ecclesiæ Patribus memoranda quædam essent, qui in Commentariis suis iu novum Testamentum haud rarò lectiones variantes colligunt de iisque sententiam ferunt, licet sæpius haud feliciter, utpote arte critica ut plurimum destituti. A recentioribus itaque seculis incipiendum mihi est, maximè, cùm ante hæc ipsa nemo data opera lectiones varias compilaverit. Primi, qui sedulam huic labori operam navavere, fuerunt *Laurentius Valla*, *Erasmus Roterodamus* & *Lucas Brugensis*. Quid Valla præstiterit, ostendunt *annotationes* ipsius *in novum Testamentum*, ubi ex trium codicum MSS. Græcorum novi Testamenti collatione veterem versionem Latinam corrigere sæpius conatur, Ast hic quidem infeliciter hoc in argumento functus est. Melius sanè *Erasmus Roterodamus*, Vir doctissimus & judicio pollens, qui editiones novi Testamenti sex publicavit, quinta Parisiis recusa. Usus autem hic est codicibus maximè Basileensibus, quos superius recensuimus, & quos suppeditaverat ipsi Monasterium Prædicatorum Basileæ *Evangelia*, *Acta & Epistolas* Aposiolicas complectentibus. Apocalypseos codicem communicaverat ipsi *Iohannes Reuchlinus*, ut taceamus Latinos

G codi-

Codices, ex quibus plurimum ſæpius profecit, haud rarò ab ipſo nominatos. Quo factum eſt, ut in multorum reprehenſiones *Lei*, *Stunicæ* aliorumque vir doctus incurreret, adeoque incitatus fuerit, ad editionem N. T. qua fieri poterat, emendatiſſimam adornandam. *Lucas* autem *Brugenſis*, Vir doctiſſimus, & rei criticæ peritiſſimus, poſtquam A. MDCVI. *Commentarios in quatuor Evangelia* publici juris feciſſet, egregium iſtis addidit libellum ſub titulo *Notarum ad varias lectiones editionis Græcæ Evangeliorum*, in quibus & induſtriam Viri & eruditionem judiciumque admirari licet. Exſtant quoque in calce Bibliorum vet. & nov. Teſt. ab *Hervagio* Baſileæ A. MDXLV. editorum variæ lectiones ſed ex editionibus maximè impreſſis congeſtæ.

§. 2. Aſt ſingularem plane heic induſtriæ laudem ſibi comparavit *Rob. Stephanus*, qui quater novi Teſtamenti libros Græcos edidit, huncque in finem XVI. codices Manuſcriptos ſuperius recenſitos maximè ex Bibliotheca Regia Pariſienſi & Colbertina contulit. Inter has autem editiones, quæ A.MDL. in folio prodiit, omnium eſt optima atque planè luculentiſſima. Unum eſt, quod in Collectione variantium lectionum ab ipſo facta reprehendunt Viri doctiſſimi, eum nempe, pluribus variantibus lectionibus ex proprio omiſſis, eas tantum poſuiſſe quæ dignæ memoratu ipſi viſæ fuerint. Ita certè *Io. Millius*: *In uno exemplari Complutenſi plus* DCC. *omiſſas in hac editione deprehendimus, hoc eſt longe plures, quam quæ in ea notatæ ſunt; neque enim adſcriptas videre eſt ultra* DCXVIII. *V. Prolegom. N. T. fol. 126.* ubi *Millius* numerum init defectuum in

editio-

ditione Rob. Stephani abs se observatorum. Conf. t *Ioh. Morini Exercitat. Bibl. L. I. Exerc. II. C. II.* 3. Quinimo alio in loco scribit Jo. Millius *l. c.* ol. *161. b. fine*, *plurimas lectiones nobis invidisse Ro*ertum *Stephanum.* Quod ego tamen vix credidem, qui arbitror, ea qua par erat, sinceritate egisse *ob. Stephanum*, quam perperam carpit *Lindanus* ose malæ fidei arguendus, *de optimo genere interrotandi*, ubi sæpius ex codicibus Gallicanis lectiones refert iis, quas *Stephanus* annotaverat, planè contrarias. Succedat *Roberto Stephano Theodous Beza*, qui in *Annotationibus in novum Testaentum* bis editis varias quoque lectiones ad expliandum textum adhibuit, sed eruditorum judicio ninus feliciter. Vide, quæ de eo benè posuit *Milus* in *Prolegom. N. T. fol. 130. 131.* Cæterum coicis illius, quem Academiæ Cantabrigiensi *Beza* onavit, varias lectiones primus data opera collet *Patricius Junius*, à *Stephano Curcellæo* postmoum editioni, quam edidit, insertas. Variarum uoque N. T. lectionum sæpè in *notis* ad novum œdus mentionem injicit *Scaliger*, sæpius autem Vir summus, *Hugo Grotius*, qui in *Annotationibus* n *novum Testamentum* maximè usus est collectione *Patricii Junii* jam memorati variantium lectionum x *Codice Alexandrino* collectarum. Addidit & varias versionum N. T. antiquiorum itemque SS. Parum lectiones, quod forsan ante ipsum pauciores entaverant. Notavit tamen ipsius hallucinationes varias *Io. Millius* in *Prolegom. N. T. f. 144. sqq.* Plures quoque codices, uti supra memoravimus, contulit *Jacobus Usserius*, Archiepiscopus Armachanus. Certè sua & amicorum opera XV. codices

N. T. collatos habuit *Usserius*, quos recenset *Jo. Millius in Prolegom. N. T. fol. 147. 148. 149. 150.* ut taceam duos illos codices, qui olim ad *Usserium* pertinuerant, nunc in Academiæ Dubliniensis Bibliotheca repositos & ab *Usserio* sine dubio collatos. Cæterum collationes *Usserianas* suo variantium lectionum corpori inseruit *Brianus VValtonus*, non tamen ita, uti fieri debebat, adcuratè, uti *Io. Millius* percepit ex *Autographo Usseriano*, à *Jacobo Tyrrello*, Usserii nepote, ipsi communicato.

§. 3. Edidit etiam *Io. Morinus*, Blesensis, Congregat. Orator J. C. Presbyter Parisiensis *ex Reformato* Pontificius, *Exercitationes Biblicas de Hebræi Græcique textus sinceritate*, ubi id maxime in nov. Test. agit, ut ostendat, Latinum vulgatæ versionis textum præferendum esse authenticæ Græcæ veritati. Qua re nescio quid absurdius excogitari potuisset. Allegat autem hanc in rem omnes codices Græcos, quotquot ad vulgatam sunt correcti, *Cantabrigiensem, Claromontanum* aliosque, atque ex horum lectionibus arguit, vulgatam lectionem esse genuinam, multasque insuper SS. Patrum varias lectiones suo instituto probando adducit. De *D. Petro Faxardo*, Marchione Velesio, supra diximus, quod varias lectiones XVI. MSS. codicum, quorum octo ipsi suppeditaverat Bibliotheca *D. Laurentii*, contulerit. Harum primò mentionem fecit *Mariana* in Tractatu de *vulgata versione*, postea uti diximus, *Ludovicus de la Cerda* eas *Adversariorum Sacrorum* C. XCI. inseruit. Cæterum benè notandum, qdod de *Velesiana* hac συλλογῇ ponit, judicium *D. Millii in Prolegom. f. 138*

*f. 138. b.* Præter *Velesium Iohannes Matthæus Caryophilus*, Vir induſtrius, juſſu Urbani VIII. Pontificis codices nov. Teſt. XXII. quos alias *Barberinos* quoque vocant, contulit, novam novi Teſtamenti editionem ut publicaret. Conferri autem codices iſti Manuſcripti debebant cum Bibliis Regiis Antverpienſibus, ubi hos *canones criticos* ſive regulas genuinam lectionem à ſpuria diſcernendi adhibuit Caryophilus: *1. Ut ſi major pars MSS. codicum cum vulgata Latiua editione conveniret, textus codicis Regii ad latinam verſionem conformaretur. 2. ſi omnes MSS. codices à Regio & vulgata verſione diſſentirent, textus ad fidem MSS. codicum legeretur ſed antiqua lectio ad finem capitum adnotaretur. 3. ſi major pars MSS. codicum differret à Regio & ninil ex ea diſcrepantia referret ad textum vulgatæ editionis; ut textus ad fidem plurium codicum corrigeretur & ad finem capitum locus correctus notaretur. 4. Ne ſi vel unus ex MSS. codicibus faveret vulgatæ editioni, ad finem capitum inter annotationes prætermitteretur. 5. Non eſſe curandum de verbis illis, quæ manifeſtè apparent ab uno Evangeliſta translata ad alium.* Hi canones num ad genuinam inter varias lectionem inveniendam ſufficiant, criticorum eſto judicium. Certe abſurdum erat, latinam verſionem tantopere æſtimare, ut ad eam textus Græcus couformari deberet, cum, quod omnes ſciunt, genuina vetus deperdita ferè ſit, recentior vero ita interpolata ac depravata, ut in ea veterem invenire amplius nequeas. Conf. tamen noſtros *Canones Crriticos* inferius, Deo volente, recenſendos. Cæterum *Caryophili* varias lectiones edidit *Petrus Poſ-*

 *ſinus*

*stinus* ſub finem *catenæ Græcæ in Evangelium S. Marci*, A. MDCLXXIII.

§. 4. Maximam autem variantium Lectionum farraginem nobis dedit *Brianus Waltonus* in *Bibliorum Polyglottorum* Appendice ſive Tomo VI. ubi lectiones varias *Alexandrini Codicis* ab *Alexandro Huiſſo* collectas, *Roberti* item *Stephani* omnes, præterea *Jac. Uſſerii*, *Veleſianas* porro & *WVechelianas* congeſſit, additis iis, quas *Hugo Grotius* obſervaverat. Egregia quoque eſt, quam cum variis lectionibus luci publicæ dedit *Stephanus Curcellæus*, editio, in qua lectiones variantes *WVechelianas*, codicis item *Claromontani*, *Thuanæi*, *Mazariniani* itemque ex impreſſis editionibus *Frobenii*, *Ximenii*, *Hervagii*, *notisque Iſ. Caſauboni in IV. Evangelia*, itemque *Henrici Stephani* emendationibus conglomeravit, luculentiorem editurus editionem, ſi in vivis manſiſſet. Qui ſingularium quorundam codicum lectiones dedere variantes, vix, ut arbitror, nominari queunt. *Thomam Gale* Scholæ Paulinæ Londinenſis moderatorem eo nomine laudat *Millius* in *Prolegom. P. II. f. 153.* itemque *Ioannem Gachonium*, qui *Petavianos* & *S. Germanenſem* codices Gallicanos contulerat, *l. c. P. III. f. 159. b.* maximè etiam *Stephanum Baluzium* aliosque in Gallia eruditos Viros, qui variantes novi Teſt. lectiones ex Manuſcriptis Bibliothecæ Colbertinæ per Virum celeberrimum *D. Petrum Allixium Io. Millio* communicavere *l. c. f. 162. a.* Exſtat & editio novi Teſtamenti longe nitidiſſima A. 1642. Pariſiis edita cum magna lectionum variantium farragine, quam miror *Io. Millio* non fuiſſe obſervatam. Egregia quoque & ea eſt, quam Oxonii A. 1675. edidit JO. FEL-

FELLUS, Episcopus Oxoniensis, & quidem è *Theatro Sheldoniano*, ubi magnus lectionum variantium reperitur numerus, quas editioni Lipsiensi ante aliquot annos abs se adornatæ inseruit quoque *M. Augustus Hermannus Francke*, Theologus Halensis celeberrimus. Hunc secutus postea est Vir eruditissimus *D. Io. Georgius Pritius*, Theologus nuncFrancofurtanus præstantissimus alia in editione, Lipsiæquoque edita, cui introductionem ad lectionem novi Testamenti elegantissimam præmisit. Nec contemnendæ sunt *Io. Sauberti*, Theologi Helmstadiensis, *Annotationes in Matthæum* A. 1672. Helmstadii in forma, quam vocant, quarta editæ, ubi de variis lectionibus ex MSS. N. T. codicibus ejusque versionibus abs se collectis erudite judicat. *Salbertum* vocant *Simonius* & *Millius*, qui putarunt, Germanica nomina eadem ratione formari latine scribenda ac Gallica, prout ex *Saumaise* fit *Salmasius*.

§. 5. Ast compilatio diversarum lectionum, quas novo Testamento nova Gallica vesione abs se donato inseruit *P. Amelotus*, digna ferè ulla recensione non est. Splendidè fallit Auctor, quum dicit, se habuisse omnes omnium codicum N. T. vel Græcorum vel Latinorum collationes, quotquot apud Christianos exstent. Unde ridet ipsius grandiloquentiam non sine causa *Simon* in *Hist. crit. text. nov. Test. C. XXIX. p. 346. 347.* Et si quoque collationes hasce habuisset *Amelotus*, ineptus tamen fuisset ad eas dijudicandas, quod vel unico argumento probavero. Scribit quippe in duabus Præfationibus ad novum Test. Gallicum abs editum de duobus codicibus MSS. *Collegii Magdebur-*

*gensis*, quod sit Oxonii, ubi hujus nominis Collegium nunquam exstitit. Posuit itaque bonus Vir *Magdeburgense* pro *Magdalena*, ubi duo codices sunt, alter totius N. T. alter vero *Epistolarum ad Romanos & Corinthios*, atque ita confudit civitatem Mageburgensem in Germania eum Collegio Magdalenæ Oxoniensi. Ita & *in not. ad 1. Cor. II. 4.* scribit de exemplari Cardinalis *Civerii* per *Erasmum* citato, errore typographico deceptus. Legere enim debebat *Cinerius*, qui idem est cum Card. *Ximenio*. Sed missum faciamus *Amelotum*. *Rich.* quoque *Simon* in novi Testamenti versione Gallica, quam ante aliquot annos edidit, non sine Archiepiscopi Parisiensis gravibus reprehensionibus varias in sua editione lectiones compilavit, quæ num tali instituto congruant, alii judicent. Collectionem variarum lectionum à Viro eruditissimo *Laurentio Alexandro Zacagnio* supra jam C. IV. §. 5. p. 73. & §. 7. p. 78. memoravimus, quum de codicibus Manuscriptis Italicis novi Testamenti ageremus. Has suæ Testamenti novi editioni vel potius appendici non inseruisse *Io. Millium* est quod maximè miror, observatu quippe dignissimas. Editum quoque est *novum Testamentum cum Scholiis Græcis è Græcis Scriptoribus tam Ecclesiasticis quam exteris maxima ex parte desumtis, opera & studio JOANNIS GREGORII, Archidiaconi olim Glocestriensis, Oxonii e Theatro Sheldoniano* A. MDCCIII. in Folio. Nitidissima hæc est editio sed scholia haud magni momenti, nec, ut arbitror, proditura mox *Millii* editione, opus erat, prælo hanc ipsam variantium lectionum, quæ in *Gregoriana* editione nunc reperitur, collectionem

submit-

ſubmittere, *Millianæ* facilè palmam relicturam. Tandem *Io. Millius*, S. Th. Doctor, Aulæ S. Edmundi Oxonienſis Præfectus & Eccleſiæ Cantuarienſis Canonicus, novum Teſtamentum cum elegantiſſimis Prolegomenis, variantibus lectionibus ex omnibus, qui conſuli poterant, codicibus manuſcriptis, verſionibus novi Teſtamenti vetuſtioribus & citationibus veterum Eccleſiæ Patrum hauſtis, itemque Appendice edidit Oxonii è Theatro Sheldoniano A. MDCCVI. opus XXX. annorum, Epiſcopi Oxonienſis, qui tum vivebat, JO. FELLI ſuaſu ab Auctore ſuſceptum, & poſtquam impreſſum jam eſſet, diu tamen variis ex cauſis in tenebris latitans, egregium ſanè, & licet in eo non omnia adprobari queant, *quandoque etiam bono dormitante Homero*, ſingulari tamen in pretio ponendum, tum propter inſignem celeberrimi Auctoris induſtriam heic adhibitam, tùm propter ſummam ipſius eruditionem, quam tum in prolegomenis ſuis tùm in notis criticis textui ſubjectis oſtendit. Poterant equidem, ut arbitror, addi plures codicum Manuſcriptorum novi Teſtamenti collationes, Italicorum maximè aliorumque, uti ſupra memoravimus. Sed vix unius Viri eſt, omnia iſta digerere atque fortunæ res eſt, in re tanti momenti atque tam vaſta omnibus, quæ huc pertinent, ſubſidiis inſtructum eſſe. Quæ autem heic relicta ſunt à *Millio*, opus eſt, ut ſuppleant Viri doctiſſimi, queis hæc felicitas contingit, ut Manuſcriptis codicibus uti queant. Hoc ut fiat, optaverim egomet; doleoque maximoperè, eruditiſſimos quosvis hoc in ſtudiorum genere parum ea curare, quæ ad libros ſacros pertinent, operam ſuam in profanis Aucto-

ribus, quorum lectio sæpe haud magnam utilitatem parit, edendis lubentius collocantes, quum sane ii aptissimi essent ad Criticam sacram novi Testamenti ita excolendam tradendamque, ut ad perfectionem quandam aliquando assurgeret, & præjudicia hoc in argumento non refutarentur amplius, sed, qui contrarium sentiret, ut rerum omnium ignarus despectui risuique doctiorum exponeretur.

§. 6. Cæterum ut ad JO. MILLIUM, Virum doctissimum, redeamus, erat aliquando illi animus, post impressam hanc, quæ nunc exstat atque ab eo edita est, novi Testamenti editionem, aliam prælo submittere, cujus, quæ ratio futura erat, edisseram non meis sed RICHARDI BENTLEII verbis in *Epistola ad Millium Historiæ Chronicæ Joannis Malalæ è Theatro Sheldoniano Oxonii A. 1691.* editæ suffixa p. 92. *in Addendis* hunc in modum scribentis, postquam de codicibus novi Test. *Alexandrino*, *Cantabrigiensi*, *Bodlejano Actorum Apostolicorum Græco-latino*, denique *Claromontano* pronunciasset, dignos esse eos, qui ex oblivione atque tenebris tandem aliquando in lucem edantur: *Atque hæc quidem talia* ( verba sunt *Bentleji* ) *exemplaria cum aliis omnibus ubivis gentium, quod sciamus, longe & dignitate & tempore antecedant, neque quidquam hodie superfit simile aut secundum, cùm tineis (proh dolor) atque muribus luctantur, & utut iis incendia pepercerint, ipso senio intra annos paucos peritura sunt. Tu verò, MILLI doctissime, qui omnium mortalium maximè in eo studio versatus es, non patieris, hanc laudem Tibi præripi, sed maturabis*

*rabis veneranda illa pignora & monumenta vetustatis ab interitu & situ vindicare. Scimus enim, te horum omnium editionem instituere, quæ una pagina & in uno conspectu codicem Alexandrinum, qui familiam ducet, & Cantabrigiensem cum versione sua, atque, ubi hic deficit, Oxoniensem deinceps atque Gallicum repræsentet: quæ singulas literas atque apices exemplarium, etiam, ubi à librariis peccatum est, accurate & religiose subsequatur. Nihil illi purpuræ assuetur discolor aut diversum; nullæ interpunctiones, nullæ notæ accentuum, quorum omnis hodie ratio præpostera est atque perversa, adeo ut, qui tuam editionem sibi comparaverit, ipsa illa propemodum Archetypa versare manibus atque oculis usurpare videatur. Ea res olim, ut certum est augurium, & Britanniæ nostræ splendori erit & Ecclesiæ præsidio, tuos verò utique labores amplissimis præmiis atque immortali gloria compensabit. Macte ista virtute & diligentia esto. In te omnes ora atque oculos convertimus, te unum in hoc curriculum vocamus, ipsi codices celerem tuam opem implorant atque flagitant. Quid cessas per medias laudes & faventium plausus secundo rumore ingredi? Tu verò, uti polliceri de te possum, facies id sedulo, simulatque exibit novum tuum Testamentum, jam fere ad umbilicum usque perductum, quo in opere, nisi vererer coram in os te laudare, dicerem, quam longo intervallo aliorum omnium in eo genere labores post te reliqueris. Ea typorum elegantia est & manificentia, ea in annotationibus eruditio elucet, in variis lectionibus industria: quippe etenim ad eam copiam comparandam omnia S. Patrum scripta, omnes antiquas versiones & infinitam vim codicum*

*MSS.*

*MSS. curiose excussisti.* Ista quidem *Bentlejus*, Vir summus, cujus & infra, ubi ad *Galat. IV. 22. 26.* perventum fuerit, injiciemus mentionem. Arbitror autem, *Io. Millium* mentem suam postea mutasse, si unquam sibi proposuit, novi Testamenti libros eà ratione recusos dare, quum in *Prolegomenis* ipsius hanc in rem nihil inveniatur; ubi sanè moniturus fuerat, quæ ipsius in hoc argumento opinio, quodnam propositum esset. At verò, uti accipimus, ipse RICH. BENTLEJUS ejusmodi editionem N. T. quandam jam hoc ipso tempore molitur. Quæ qualis futura sit, tempus docebit.

§. 7. Sufficere hæc poterant de variarum lectionum novi Testamenti collectoribus, nisi memorandum quoque nonnihil esset de nova editione Librorum novi Testamenti editionem Millianam exprimente, quam Roterodami A. MDCCX. edidit Clarissimus Vir LUDOLPHUS KUSTERUS. Præter Prolegomena enim Milliana & nova abs se conficienda addidit varias lectiones ex XII. codicibus MSS. novi Test. collatas, quos ex ordine heic Benevolo Lectori enumerabimus, ut de hujus editionis præstantia eo melius judicare queat. Sunt autem IX. Parisienses codices, omnes quatuor Evangelia exprimentes, quorum lectiones recensuit Clariss. *Kusterus*. Primus Parisiensis fuit olim *F. Augustini Justiniani*, qui eum dono dederat *Io. Mariæ Catanæo*. Postea Bibliothecæ *Telleriano-Rhemensi* fuit insertus, in qua *num.* 58. obtinuit. Nunc verò in Regia Bibliotheca *num.* 2865. invenitur. Codex secundus Regi Galliæ oblatus est à *D. Francisco de Camps*, Abbate Signiensi, & in Bibliotheca Regia repositus, *num.* 2243. Character hujus codicis ex descri-

descriptione *Anselmi Bandurii*, Benedictini è Congregatione Melitensi, qui sine dubio id à *Montfauconio* didicit, est uncialis, *Sec. IX.* Notandum autem, codicem hunc in usum Ecclesiæ fuisse descriptum, uti supra ex *Montfauconio* observavimus. Quatuor Evangeliis, observante *Io. Boivinio*, Bibliothecæ Regiæ Præfecto, præmittuntuntur *Synaxaria* seu indices lectionum Evangelicarum, Canones Eusebii cum Præfatione ad Carpianum itemque Hippolyti Thebani διδασκαλία sive doctrina Chronologica ad historiam Evangelicam pertinens. Tertius codex fuit olim *Petri Stellæ* & amicorum, Bibliothecæ Tellerianæ postmodum insertus, denique ad Bibliothecam Regiam pervenit, ubi *num.* 2862. conspicitur. Codex IV. ex Bibliotheca itidem Telleriana, ubi *num.* 61. repositus erat, translatus est in Regiam, ubi *num.* 3424. occupat. Codex quintus Bibliothecæ Tellerianæ fuit 57. nunc Biblioth. Reg. 2865. Codex sextus Telleriano-Rhemensis 65. sed nunc Regius 2244. mutilatus est. Codex septimus minori charactere scriptus est habetque præfationem & Canones Eusebii, singulisque in paginis supra aut infra titulos quosdam, qui qua de re agatur, indicent. Est è Bibl. Reg. *num.* 3434. Codex octavus minoribus quque literis exaratus est in usum Ecclesiasticum cum elegantibus picturis, è Biblioth. Reg. *num.* 2868. Codex nonus Parisiensis pertinuit olim ad *Nicolaum Rodulphum*, Cardinalem, in cujus Bibliotheca *num.* 38. occupavit, uunc verò exstat in Regia *num.* 1905. Quatuor olim Evangelia ibi descripta erant, postea verò scriptura vel arte vel vetustate deleta *Ephrami*

*raemi Syri* opera membranæ inscripta sunt, uti supra ex *Montfauconio* didicimus. Prolixiorem de eo censionem dedit, quod & supra quoque notatum, *Bernardus Lamy*, Oratorii D. J. Presbyter in *Appendice ad Commentar. in Harmoniam Evangelicam* p. 656. 656. 658. qui tamen egregiè fallitur; cum ponit, *Codicem hunc ipso Tertulliano vetustiorem esse fol. 657.* scriptus enim est cum *notis liturgicis*, observante id clariss. Viro *Ioanne Boivinio*; quæ sanè recentioris ævi sunt nec ad ætatem *Tertulliani* ascendunt. Complectitur vero totum Nov. Test. & partem veteris, quanquam variæ lectiones, quæ penes Clarissimum *Kusterum* sunt, ex Evangeliis solis petitæ sint. Exhibet quoque *Lamyus* ex hoc codice pericopam *de piscina probatica ad Joh. V.* in tabella, ex cujus scriptione de ejus antiquitate judicari possit. Supersunt tres adhuc codices, quorum variæ lectiones in hac novi Test. editione reperientur. Est, qui *Epistolas Paulinas* contineat cum interlineari Versione Latina, notæ satis probæ, & in quo multæ singulares atque in omnibus cæteris MSS. codicibus haud occurrentes lectiones deprehenduntur. Scriptus est literis uncialibus minoribus & ad ætatem octingentorum annorum accedere videtur Clarissimo *Kustero*. Fuit olim *Petri Francii*, sed ex hujus Bibliotheca transiit ad Clarissimum *Chr. Frid. Bœrnerum*, Theol. apud Lipsienses Professorem famigeratissimum: Unde & *Bœrneriani* sub nomine in citata editione comparebit. Literæ ad Anglo Saxonicam formam accedentes docent, eum in Britannia scriptum esse. Alius quoque est codex Lipsiensis IV. Evangelia complectens & membranaceus in forma quarta, cujus variæ lectiones cæteris

heic addentur. Idem hic codex variis figuris est ornatus, & in usum Ecclesiæ alicujus scriptus fuerat. Ex Hungaria in Germaniam fuit allatus. Denique claudunt agmen variæ lectiones ex codice MS. *Actuum*, *Epistolarum* omnium & *Apocalypseos* excerptæ, quem Vir quidam doctus *Seidelius* ex Oriente in Germaniam advexerat. Septingentorum is annorum esse fertur, & collatus est à *Nicolao VVestermanno*, qui varias istas lectiones Berolino transmisit ad Clariss. editionis hujus Editorem. Ex quibus omnibus id cuivis patere potest, istam tantis accessionibus locupletatam priorem illam Anglicanam utique superare accedentibus quoque typis elegantioribus notisque ad meliorem usum distinctis, ut cæteras prærogativas taceamus.

§. 8. Dum heic de novo *Io. Millii* Testamento luculentius agimus, placet afferre quædam in medium, quæ vel neglexit Vir doctissimus, vel saltem adcuratè nobis haud tradidit, de novi Testamenti *Versione Coptica* sub finem *Prolegomenorum*, quæ edidit, differens. Arbitratur enim, Apocalypsin in *Bibliotheca Bodlejana* Coptica lingua expressam non exstare, in quo omnino errat. Vidimus eandem ipsimet, nostrisque manibus tractavimus. Conf. *Prolegom. P. III. f. 152. a.* *Vir haud vulgaris in hac literarum parte eruditionis*, quem nominat *Millius l. c.* est quidam *Edvvardus*, Eccles. Angl. Presbyter, qui egregie hanc linguam excoluisse olim dicitur, ast, quum postea in eodem stadio non perrexisset, oblitus esse eorum, quæ antea sciverat. Edidit autem jam novum Testamentum copticum est Vir eruditus, *M. David VVilkinsius*, Memela-

Boruſ-

Boruſſus, verſionemque latinam addidit, magno ſic beneficio literas ſacras adaugens, quum verſio coptica licet recentior, ex vetuſtiſſimo tamen Manuſcripto codice optimæque notæ videatur translata eſſe. Atque hæc monenda nobis erant de novo Teſtamento *Milliano.* De notis criticis Viri doctiſſimi ex ſequentibus judicabit Lector benevolus, ubi Canones genuinæ lectionis inveniendæ regulasque criticas dabimus. Antequam verò huic recenſioni finem imponamus, memorandus adhuc eſt ſtupendæ eruditionis Vir RICHARDUS SIMON, Congr. Orat. Presbyter olim Pariſienſis, qui etſi novum Teſtamentum Græcum non ediderit, luci tamen publicæ expoſuit idiomate Gallico conſcriptam *Hiſtoriam criticam textus novi Teſtamenti*, ubi & variantes lectiones novi Teſt. recenſet, doctèque de illis judicat. Editiones autem novi Teſtamenti varias, quæ impreſſæ ſunt, recenſere vix operæ pretium eſt, cum id luculenter fecerint *Rich. Simon*, *Jo. Millius* atque *Jo. Albertus Fabricius*, S. T. D. & hic quidem in *parte I. Vol. III. Bibliotheca Græca*, heic omnino conferendæ.

## CAPUT SEPTIMUM.

*Variantium lectionum valorem methodumque genuinas à ſpuriis diſtinguendi pauciſſimi ferè oſtenderunt. Inter eos Simon & Millius præcipui ſunt. Recenſentur Viri cujusdam illuſtris Canones critici hanc in rem compoſiti, atque de iis fertur judicium.*

§. I.

§. 1.

ATque ita, ut opinor, plerosque variantium lectionum novi Testamenti collectores recensuimus. Inter hos autem, si JO. MILLIUM qui eum præcessit RICHARDUM SIMONEM excipiamus, paucissimosque alios, qui notas criticas in novum Testamentum nobis dedere, nemo est, qui, quæ lectio maximè rejicienda, quæ retinenda sit, luculentius edocuerit. Et hi quoque doctissimi hoc in argumento Viri, quos jam nominavimus, nullas nobis exhibuere regulas vel Canones, ad quos variæ istæ scriptiones sint examinandæ. Quod utique hac in re maximè necessarium esse videtur. Unde & aliquot ante annos permotus *Vir* quidam *illustris* tale conatus est, & quum specimen quoddam novæ editionis librorum novi Testamenti ederet, Oxoniensem illam opera JO. FELLI, Episcopi Oxoniensis adornatam cum multis accessionibus variarum lectionum à se collectarum denuo publicæ luci daturus, præmisit *Canones Criticos XXXVII. secundum quos variantes lectiones novi Testamenti examinandæ & de iis judicandum sit. Mirabatur* enim, quæ ipsius verba sunt in *Præfatione* hujus Speciminis p. 3. *hactenus tam sedulo vel forte tam curiose insudasse in Collectione variantium lectionum novi Testamenti Viros doctos, ut etiam minutissima, literulæ forte variatio, in hunc censum relata sit, & neminem tamen inventum esse hactenus, qui ad examen tot millia vocaverit, qui valorem earum aut fontem ostenderit, sicque novum Testamentum ab hac labe & imputatione vindicaverit.*

Addit *Vir illustris : qui in Auctores profanos Crisin suam industriose exercuerunt, solent semper aut plerumque de valore earum censere, nauci lectiones aut omittere aut rejicere, quam necessariam Crisin in sanctissimo hoc codice neglectam doleo, ingenuumque Criticum diu desideravi & expectavi, eo magis, quia vidi etiam Scriptores exegeticos partem suæ exegeseos primam facere, ut ex editione Theatri Sheldoniani historice, sine nota quadam, enumerent variantes lectiones, & quod postea in exegesi etiam unius codicis variam lectionem, quæ vel in Enallage quadam vel additione aut omissione particulæ cujusdam consistit, præferant sæpe centum aliis codicibus probis. Tandem nemine manum admovente periculum hujus rei facere volui, ad Canones Criticos quamlibet variantem lectionem examinaturus.* Hos operæ pretium existimamus, Lectori benevolo heic sistere, nostrum deinde qualecunque de iis judicium, &, quos nos judicamus heic maximè adhibendos, Canones addituri. Ita autem se habet VIRI ILLUSTRIS.*

## CANON I.

Variantes lectiones, id quod omnes fateri coguntur, ortæ sunt ex negligentia & oscitantia descriptorum. Distinguendum itaque inter variantem lectionem & vitium seu parorama descriptoris.

Est

* Est hic GER. VAN MASTRICHT, Civitatis Bremensis nuper Syndicus, qui folia illa A. 1708. cùm Bremam transiremus, nobiscum communicavit & postea Amstelodami novum Test. Græcum cum egregiis Prolegomenis, ubi canones hi critici melius inflexi habentur, & variis lectionibus locisque parallelis recudi fecit. Vide omnino, quæ hanc in rem diximus in primit. Tubing. P. 1. p. 81.

Eſt autem nobis varia lectio aberratio deſcriptoris à ſcriptura & mente Auctoris, quem deſcribit.

CANON II.

Deſcriptores errarunt oſcitanter ſæpenumero, quando in eodem aut ſequenti verſu repetitiones vocabulorum inveniebantur, putantes, ſe anteriora tùm deſcripſiſſe. Exinde detractiones omiſſa voce aut ſententia intermedia aut ſequente, aut variationes.

CANON III.

Aliquando etiam inde cauſæ additionum unaque vox aut ſententia bis repetita, quando deſcriptor in eandem vocem aut periodum inciderat.

CANON IV.

Deſcriptores ſæpe in eo errarunt aut variantem lectionem fecerunt, quando vocem ſcripſerant ante aliam, quam nolebant delere, ne decor deſcriptionis periret. Inde trajectio vocum orta, quæ variantem lectionem ſano ſenſu non facit. Idem factum, ſi quam vocem neglexerant, quam poſtea addere nolebant.

CANON V.

Deſcriptores ſæpe periodum legerant & obliti vocis vel vocum originariarum ſubſtituebant æquipollentem aut aliam, aut penitus omiſerunt, quam poſtea, ne exemplar macularent, delere vel ſupplere noluere. Id variantem lectionem non facit.

CANON VI.

Peccarunt ſæpe deſcriptores in mutandis omittendiſque literis præſertim unius organi, item in mutandis ſyllabis, quæ quoad ſonum ſibi ſimiles

videbantur. Id quod frequenter contigit in nominibus propriis ex una in aliam linguam translatis, quæ ſenſum ſæpe numero non turbabant, hasque propter exemplaris nitorem mutare nolebant, quod non pro variante lectione, ſed pro vitio deſcriptoris habendum. Ita & judicandum, quando temporum aut verborum mutationes, aut caſuum contingebant, quod ſæpius factum; & maximè cernitur in frequentibus, quæ occurrunt, ἐναλλαγαῖς.

## CANON VII.

Deſcriptores ſæpe peccarunt in omittendis vel addendis vel variandis particulis, pronominibus, adverbiis, præpoſitionibus aliisque, quod & ſæpe in verbis compoſitis factum. Hoc tamen variantem lectionem non facit, nec pro ea habendum. Millies & millies ſic peccatum.

## CANON VIII.

Quæ lectio additione vel detractione aut mutatione, item variatione conſtructionis non mutat ſenſum, etiamſi in tribus quatuorve codicibus Manuſcriptis inveniatur, pro variante lectione non habenda nec admittenda contra plurimos alios codices, bonæ vel melioris notæ. Nulla quippe cauſa tùm cogit, variantem lectionem receptæ præferre.

## CANON IX.

Unus codex non facit variantem lectionem, quia arguit incuriam deſcriptoris, maximè in omittendo

tendo, modo recepta lectio ſit ſecundum analogiam fidei.

## CANON X.

Neque duo codices faciunt variantem lectionem contra receptam & editam & ſani ſenſus lectionem, quia duorum deſcriptorum, forte ejusdem duarum deſcriptionum arguit incuriam, maximè in omittendo, in quo plerumque ſufficit ratio illa ſola: omiſſum eſſe.

## CANON XI.

Neque faciunt variantem lectionem tres aut quatuor codices maximè in omittendo, contra viginti & quod excurrit, alios Manuſcriptos. Faciunt tamen ſuſpicionem variæ lectionis.

## CANON XII.

Magnus codicum Manuſcriptorum numerus veluti viginti aut plurium firmant & probant receptam & communem lectionem ſani ſenſus potiſſimum in omittendo.

## CANON XIII.

*Stephani Curcellæi* annotationes variantium lectionum pro variantibus lectionibus non habendæ, quia ille non notat codices, unde eas habeat, an ex Manuſcriptis, an vero ex impreſſis exemplaribus hauſerit, an vero ex unico ſolum codice. Meliorem tamen plerumque editam lectionem eſſe, ipſemet agnoſcit.

## CANON XIV.

Verſiones etiam antiquiſſimæ ab editis & Manuſcriptis differentes, uti nec impreſſi libri faciunt variantem lectionem, ſed magis oſtendunt oſcitantiam interpretis aut corrupti exemplaris, quo uſus fuit. Complutenſis prima editio Anno 1514. valde exacta & ad varia Manuſcripta, etiam ad antiquum Scripturæ Manuſcriptorum modum expreſſa ferè tantæ fidei eſt ac codex Manuſcriptus, quare & Oxonienſis editio ejus variantes lectiones expreſſit.

## CANON XV.

Ex genio Manuſcriptorum obſervandus eſt genius deſcriptorum & deſcriptionum, an ſoleant vel omittere quid vel addere.

## CANON XVI.

Quod ſi in aliis Evangeliſtis, quam ejus, qui legitur, aliæ voces aut vocum mutationes, inflexiones &c. occurrant, probabile eſt, exinde variantem lectionem emanaſſe.

## CANON XVII.

Citationes Patrum textus novi Teſtamenti raro facere debent variantem lectionem, quoniam ex memoria factæ ſæpe non ipſa verba ſed æquipollentia adducunt.

## CANON XVIII.

Ita ſæpe Patres, quæ ad intentionem non faciunt, omittunt.

## CANON XIX.

Patres quoque ex lapſu memoriæ uni adſcribunt, quæ apud alium leguntur.

## CANON XX.

Patres quoque citant aliquoties, quæ nullibi reperiuntur.

## CANON XXI.

Quæ pro variis lectionibus habentur, juxta primi Canonis descriptionem, non ad hos Canones examinandæ aut dijudicandæ, sed earum origo, causa & ratio investiganda & disquirenda est.

## CANON XXII.

Quæ lectio absurda & quam antecedentia vel consequentia absurditatis convincunt, rejicienda est.

## CANON XXIII.

Sæpenumero descriptores voces, quas censebant superfluas aut non necessarias, compendii causa omiserunt, præsertim, quando sensum non turbabant aut mutabant, id quod pro variante lectione non habendum sed pro audacia descriptoris.

## CANON XXIV.

Contra, quando sensus ellipticus aut obscurus aut imperfectus descriptoribus videbatur, addebant vel nomen vel verbum vel pronomen &c. sæpe ex antecedentibus. Quæ quoque audacia est.

## CANON XXV.

Quando descriptores sæpenumero anteriorem vocem, verbum, numerum, casum aut tempora mutaverant, tunc in sequentibus isti mutationi,

quando anteriora delere nolebant nec exemplar maculare, inhærere debebant. Innumera istius continuatæ mutationis exempla occurrunt.

## CANON XXVI.

Efficacior lectio textus recepti.

## CANON XXVII.

Codex solet omittere quid.

## CANON XXVIII.

Codex consuevit aliquid addere.

## CANON XXIX.

Distinctiones seu commata & puncta diversimode posita in exemplaribus Manuscriptis non faciunt diversitatem lectionis, quia in antiquis sæpe desunt: sed pertinet hoc ad interpretationem seu explicationem textus.

## CANON XXX.

Omissio vel variatio quædam sæpe contigit, quando verbi aut præpositionis constructio remotis æque ac proximis poterat aptari. Multoties à descriptoribus hac ratione peccatum.

## CANON XXXI.

Exemplar vel exemplaria Manuscripta aut descriptores clarius sæpe quid præ recepta lectione exprimere voluere, quod non statim recipiendum. Sic multoties peccatum. Hæc pro glossematis magnam partem habenda.

## CANON XXXII.

Enallage temporum, aut casuum, item modorum singu-

ſingularis & pluralis toties invenitur in deſcriptione facta, ut maxima ferè pars variantium lectionum inde ſit orta.

## CANON XXXIII.

Omiſit ſæpe codex Manuſcriptus aliquid, quia vel in verbo vel in anterioribus deſcriptor cenſebat, id ſatis expreſſum eſſe. Multoties hac ratione à deſcriptoribus peccatum, præſertim à deſcriptoribus doctioribus.

§. 2. Hi ferè ſunt præcipui, quos *Vir illuſtris*, poſuit, Canones, in quibus & originem variantium lectionum detexit, & media quoque attulit, genuinas lectiones à ſpuriis diſtinguendi. De origine variantium lectionum variè differentem ipſum animadvertimus. In *Can. I. VI.* aliiſque diſtinguit inter variantem lectionem & vitium ſeu parorama deſcriptoris. Eodem tamen *Can. I.* ait, *variam lectionem eſſe aberrationem deſcriptoris*. Quæ quomodo ſimul conſiſtere poſſint, ego quidem haud video, niſi horum *Canonum* Auctor ita, quæ poſuit, explicet, ut afferat, inter duas vel plures lectiones variantes unam ſolùm genuinam eſſe, cæteras autem ex aberratione librarii ortas. Quod tamen, uti arbitror, aliter fuiſſet ediſſerendum, &, ſi hoc exiſtimaſſet Vir ſummus, ſanè variantem lectionem tàm frequenter à vitio deſcriptoris in cæteris *Canonibus* non diſtinxiſſet. *Canon IX.* ſi absque ulla exceptione aſſumatur, arguit, locum *1. Joh. V. 7. de SS. Trinitate* eſſe ſpurium. Quod, uti exiſtimo, ipſe *Vir illuſtris* haud conceſſerit. *Can. XIII.* aſſeritur, varias le-

ctiones in editione *Stephani Curcellæi* occurrentes non esse admittendas nec pro talibus habendas. Ast quis crediderit, confinxisse eas *Curcellæum*? Neque etiam hujus figmenti ullum dari ex ipsius editione exemplum potest.* Accedit, in hac *Canonum* collatione plura deesse, quæ vel ad originem variantium lectionum investigandam vel ad genuinas lectiones à spuriis discernendas spectant, uti statim patebit. Cæterum specimen, quod his *Canonibus* subjunctum exstat, longe elegantissimum est. Hoc enim demonstratus est *Canonum* datorum valor in variantibus lectionibus *Capitum Marc. VII. Joh. XVIII. Rom. XII. & Jac. III.* discernendis, ita, ut non solum origo corruptionis ostensa sed & vera lectio suo loco secundum datos Canones à *Viro illustri* sit restituta. Nunc ad Caput Dissertationis octavum progrediamur.

*Scilicet ex codicibus MSS. quos tamen allegâsse debebat, maximam partem, paucissimas ex conjectura aliorum, sed quam nemo sapiens temere rejecerit, apposuit Curcellæus.

## CAPUT OCTAVUM.

*In lectionibus novi Test. genuinis ritè investigandis opus est, ut & originem corruptionum indagemus, & Canones Criticos ponamus, secundum quos sit pronunciandum. Origo corruptionum refertur ad Librarios, criticos, falsarios & vetustatem. Confirmatur id testimonio Origenis & Hieronymi. Error Librariorum fuit vel dictantium vel scribentium. Dictans sæpe dictavit, non quæ scripta erant, sed quæ cogitabat.*

*bat. Quæ dictavit, ſæpius haud clare ſatis pronunciavit. Diverſas quoque voces ſæpius eodem modo pronunciavit. Litteras adfinis figuræ malè diſtinxit. Errores ex compendiis ſcriptionum orti. Oſtenditur hoc ex Matth. XXVII. 9. & Marc. XV. 25. itemque Joh. XIX. 14. rurſus Act. VII. 16. XIII. 23. XX. 28. Rom. XII. 11. 11. 1. Cor. XII. 31. 2. Cor. XI. 10. 1. Tim. III. 16. Ebr. XII. 9. 1. Pet. II. 3. Matth. XV. 39.*

§. 1.

ITaque nunc ad primariam Diſſertationis noſtræ partem, quod felix fauſtumque ſit, convertimur. In qua duo maximè ſunt disquiſitione digna. Primum eſt, ut originem variantium lectionum novi Teſtamenti recenſeamus, & demonſtremus, unde hæ corruptiones & interpolationes ſint derivandæ. Alterum, ut, quomodo genuina lectio invenienda ſit, & quibus mediis id fieri queat, luculentius oſtendamus. Quæ duo, ſi, prout par eſt, pertractverimus, dubium non eſt, quin ex hac tractatione ii ſaltem, qui hoc in argumento haud verſati admodum ſunt, facultatem aliquam nanciſci queant, ad majora heic progrediendi. Id autem ante omnia, quod neminem puto negaturum, præſuppono, uti & ſuperius *C. I.* §. *1.* à me factum: UNICAM ſolùm inter omnes varias lectiones eſſe genuinam & in Autographo ſacro ſcriptam, cæteras omnes vel *Librariorum*, vel *Criticorum* vel *Impoſtorum* errores & παροράματα eſſe. Ad tres enim hoſce primarios corruptionum omnium Auctores reduci poſſe, quæcun-

que

que ad originem variarum *novi Teſtamenti* lectionum demonſtrandam pertinent, omnino arbitramur. Vid. *Jo. Clerici Ars Critica Vol. II.* Nec *vetuſtatem* tamen, qua detriti optimi quivis N. T. codices ſunt, excludimus. Hac factum, ut Autographa ſacra & Apoſtolica perierint, antiquiſſima item novi Teſt. monumenta & Apographa quævis meliora, quæ, ſi ſupereſſent, forſan nulla de genuinis Sacrorum Librorum lectionibus foret diſputatio. Nec periere ſolum propter nimiam ſuam vetuſtatem Autographa iſta codicesque N. T. antiquiſſimi ſed & ii, quos habemus adhuc, vetuſtiores, mutilati, detriti atque eum in ſtatum redacti ſunt, ut deletis hinc inde literis, difficillima ſæpius loca inveniantur, ubi lacunâ in his codicibus relictà, nullum ex iis peti ſubſidium poſſit. Accedit & hoc, deficientibus primis N. T. codicibus, ipſo ſeculo Apoſtolico exaratis, deeſſe nobis media ad veterem Apoſtolicamque ſcriptionem penitius indagandam. Hæc enim ſi, uti par eſt, dignoſci à nobis poſſet, forſan plura loca per tot ſeculorum decurſus corrupta eò melius primitivo nitori ſuo poſſent reſtitui.

§. 2. Ex his autem principiis, quæ dedimus, variarum novi Teſtamenti lectionum originem peti debere, ſuo jam ſeculo agnovit *Origenes*, criticus, ſi conditionem ætrtis, in qua vixit, ſpectes, magnus in *Commentario ad Matthæum fol. 381.* ubi contendit, verba *Matth. XIX. diliges proximum tuum ſicut teipſum*, Evangelio eſſe addita. Ita enim ille, πολλὴ, inquit, γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ εἴτε ἀπὸ ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γρα-

φομέ-

φερομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων ἢ ἀφαιρούντων. *Magna fuit exemplarium discrepantia, sive propter negligentiam quorundam librariorum, sive propter audaciam quorundam malè corrigentium, quæ scripta erant, sive etiam propter eos, qui in correctione, quæ sibi videntur, addunt aut detrahunt.* Ubi *Librariorum*, *Criticorum* & *falsariorum* errores audaciamque expressis verbis perstringit. Quod ipsum *Hieronymus* quoque multis in locis agit, maximè verò in *Præfatione in quatuor Evangelia*, ubi sequentia leguntur: *Magnus hic in nostris codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverant, addiderunt. Verum, dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum è quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque æstimaverat emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, & in Marco plura Lucæ aut Matthæi, rursum in Matthæo plura Johannis & Marci & in cæteris reliquorum, quæ aliis propria sunt, inveniantur.*

§. 3. Primus itaque variantium lectionum novi Testamenti fons est Librariorum vel incuria vel ignorantia, eorundemque vel DICTANTIUM vel SCRIBENTIUM, quorum distincti fuere errores jamjam observandi exemplisque è novo Testamento petitis demonstrandi. Quod antequam fiat, testimonia quædam adferemus, quibus ostendatur, in veteribus codicibus describendis adhibitos fuisse, qui textum non scripserint solùm, sed &, qui scribentibus eum dictaverint, ne conjecturis niti videa-

tur

tur noſtra, quam tradimus, opinio. Ità certè ſcribit *Euſebius in Hiſtor. Eccleſiaſt. L. VI. C. XXI.* de Origene: Ταχυγράφοι δὲ γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν τῷ ὑπαγορεύοντι χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἥττους ἅμα καὶ κοραῖς ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. i. e. *plures quam ſeptem notarii ſtatis temporibus vices ſuas alternantes dictanti aderant, nec pauciores librarii cum puellis ad eleganter ſcribendum exercitatis.* Quod innuit etiam *Suidas* de *Origene* ſequentem in modum diſſerens: ὑπηγόρευσε τοῖς ταχυγράφοις καὶ οἱ βιβλιογράφοι σὺν γυναιξὶν ἔγραφον ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. *Dictavit notariis & librarii cum mulieribus ſcribebant ad eleganter ſcribendum exercitatis.* Eodem modo *D. Hieronymus* in *Vita Hippolyti*: *Ambroſius cohortatus eſt Origenem in ſcripturas Commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem & eo amplius notarios & librariorum parem numerum.* Hæc *Hieronymus*, qui notarios à librariis diſtinguit, his, quæ dictabantur, εἰς κάλλος & eleganter, illis verò εἰς τάχος & ſcriptura velociori excipientibus. Vid. *Wouwerii Polymathia & Montfauconii Palæographia Græca L. I. C. V.* Hiſce prænotatis, oſtendimus nunc Librariorum dictantium errores, qui quatuor potiſſimum ſunt, uti obſervavimus.

I.

LIBRARIUS SÆPE DICTAVIT, NON, QUÆ SCRIPTA ERANT, SED, QUÆ COGITABAT. Certum eſt, requiri hominem ad dictandum textum, qui præſentis ſemper animi ſit,

nec cogitationibus suis animoque alienum in campum evagetur; quique ab omnibus aliis negotiis liber, dum huic operæ incumbit, nunquam interpelletur. Hoc, quum in describendis novi Testamenti codicibus, aliter sæpe contigerit, accidit sæpius, ut *librarius dictaret, non quæ in Authentico codice scripta erunt, sed quæ alienis rebus intentus cogitabat.* Hujus rei hæc afferimus exempla. *Rom. IX. 28.* exstat: *Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς.* Hæc verba sanè si ita posita legantur, manifestam continent *ταυτολογίαν*, quam ego sanè nec Prophetæ Jesaiæ nec *S.* Paulo adscripserim. In textu *Jesaiano C. X. 23.* non exstant nisi hæc verba כי כלה ונחרצה אדני יהוה צבאות עשה בקרב כל הארץ׃ Unde facile, ut arbitror, patet, quod & *Hugo Grotius* adfirmavit, Pauli Epistolam heic interpolatam esse ex LXX. Interpretibus, quorum versionem evolverat forsan librarius, &, posthabita connexione, verba heic posuit aut nullum aut difficilem saltem sensum fundentia. Quidni satius fuerit, textum ita legere, uti codex *Theodoreti* habuit: *λόγον γὰρ συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς.* Heic nulla difficultas, sed omnia sponte fluunt, sensumque *Jesaiæ* rectè repræsentant. Accedit, verba *ἐν δικαιοσύνῃ* huc non pertinentia omittere codices præstantissimos, Alexandrinum, Claromontanum, Roëi secundum, ubi verba hæc ad marginem scripta conspiciuntur, à librariis postmodum in textum intrusa. Nec habent eandem versiones Syriaca & Æthiopica. Arbitratur quidem *Millius*, genuinam lectionem exstare in Codice Ale-

xandrino,

xandrino, ubi: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. Ast ipsa hæc lectio genuinum sensum vix fundit, & veritati Hebrææ omnino est contraria. Quid enim est συντελεῖν καὶ συντέμνειν λόγον? Et נחרצה sanè nil dicit aliud quam λόγον συντετμημένον, ut adeo arbitrer, librarium ista dictantem alienis rebus intentum oscitasse, aliterque hæc pronunciasse verba, quam in authentico scripta erant codice.* Ejusdem rei clarum exstat exemplum *1. Cor. XI. 20.* ubi pro verbis: οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν Codicem interpretis Syri habuisse conjicit *Jo. Millius* οὐχ ὥστε τὴν Κυριακὴν δεῖ

* Ita quidem olim scripsimus, ast, ut sententiam mutaremus, effecit censura præstantissimi Theologi Franequerani CAMP. VITRINGÆ, qui in commentario in Jesaiam ad C. X. comma 23. f. 283. verba ista nostra obelo licet duriore notavit. Quicquid verò sit de duritate dictionis, quam adhibuit, non est, quod dedecori nobis esse existimemus, si meliorem hîc nobis mentem induamus. Et sanè literis ad nos datis luculentum amorem suum, quo nos complectitur, ita testatur inter alia Vir egregius ad d. X. Sept. A. MDCCXV. *Tum præterea grata mihi est recordatio nominis tui & honori mihi duco, tecum colere amicitiam, quem non tantum pro erudito sed & pro bono pioque Viro habeo. Legi, ut putem, pleraque à te edita. . . . Equidem nunc relegens animadversionem, quam in commentatione Iesaiana ad tuum aliquod observatum adscripseram, video ipse, excidisse calamo, quæ mitius enunciari potuissent, nec affectus mei ullam nunc aliam rationem novi vel afferre possum, quam quod Crisis tua paulo visa fuerit audacior. . . .* Et rectè. Non temerandus est sine ratione præsens sacer textus sed modestissima illi manus adspergenda nihilque temerè delendum.

δεῖ, πίνειν καὶ φαγεῖν. Syrus enim: *non, ut decet diem Domini nostri, editis & bibitis.* Quæ oscitantiam librarii verba non rectè inspicientis arguunt. Ejusdem epistolæ *C. XIV. 19.* leguntur verba: διὰ τοῦ νοός μου. Codex *Marcionis* habet διὰ τὸν νόμον. Ita & *Ambrosiaster*, *Millio* observante, qui cum *Richardo Simone* rectè conjicit, hanc corruptionem oscitantiæ librarii deberi. Hùc quoque retulerim locum, si vulgatam spectes lectionem, satis difficilem *1. Petr. II. 7.* ubi: ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν, ἀπειθοῦσι δὲ λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας καὶ λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου. Rectissimè heic habuit codex Græcus Interpretis Syri, qui verba λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καὶ omisit. Quæ enim verba *Psalm. CXVIII. 22.* exstant, certe non spectant ad incredulos, sed potius ad fideles, quibus lapis iste ἔντιμος factus est לראש פנה εἰς κεφαλὴν γωνίας. Sed librarius in mente forsan habuit Psalmi verba à S. Matthæo quoque allegata, &, quæ cogitavit potius quam quæ in suo legit codice, transscribenda dedit notario. Unde *S. Petrum* potius respexisse arbitror ad *Esaiæ VIII. 14.* ubi nil memoratur nisi אבן נגף וצור מכשול Nec enim possibile est, ut infidelibus lapis ille simul sit ἀκρογωνιαῖος, quo fundantur fideles *Eph. II. 20.* itemque *lapis offensionis & petra scandali*, nisi velimus, contradixisse sibimet Apostolum, quod nunquam concedendum. Atque hic primus maxi-

mèque communis eſt librariorum dictantium error.

II.

LIBRARIUS SÆPE, QUÆ DICTAVIT, HAUD SATIS CLARE PRONUNCIAVIT, ADEOQUE NOTARIO CAUSSA ERRORIS FUIT. Hujus rei duo monſtrabimus, atque clara ſatis exempla. In *Ep. ad Epheſios* ſcribentem invenimus *D. Paulum C. IV. 19.* ἀπηλγηκότες. Genuinam hanc eſſe lectionem contextus & MSS. codices docent. Aſt *Claromontanus* habet ἀπελπικότες. Hunc ſequuntur Latini quidam codices. *Jo. Millius* arbitratur, hanc lectionem ab eruditulo quodam ſcriba profectam eſſe, qui reſpexerit ad ea, quæ ſuperius dicta fuerant *C. II. 12.* ubi *Paulus* ait, impios illos homines ſpem non habere. Aſt ſanè veteres librarii novum Teſtamentum exarantes tam ſubtiles haud fuere. Probabilius ſane eſt, vocem hanc à dictante haud clare ſatis pronunciatum eſſe. Eadem ratione *1. Theſſ. II. 7.* ſubobſcure pronunciavit librarius vocem ἤπιοι, ut, qui excipiebat dictum, ſcriberet νήπιοι, maximè quum vox ἐγενήθημεν præcederet, quæ ν in fine habet. Non enim infantis perſonam ſed nutricis heic ſumit Apoſtolus ſecundum ea, quæ ſequuntur, verba ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Sequenti commate pro voce ἱμειρόμενοι plures codices habent ὁμειρόμενοι, qui error itidem ex pronunciatione librarii haud clara ſatis ortus eſt. Sed hæc quidem ſufficiant ad demonſtrandam dictantis in pronunciandis verbis incuriam.

III.

## III.

LIBRARIUS DICTANS DIVERSAS SÆPIUS VOCES EODEM MODO PRONUNCIAVIT, DIVERSO QUUM SONO EÆ EFFERENDÆ ESSENT. Hujus erroris innumera ferè in medium producere possemus exempla. Sed sufficiant hæc, quæ sequuntur. Ex affinitate pronunciationis η & ι hi sæpius orti sunt errores. *Act. V. 36.* habetur vox προσεκολλήθη. Codex *Alexandrinus* aliique habent προσεκλίθη, errore, quem mala dictantis pronunciatio peperit. Eodem errore alii librarii ex προσεκλίθη fecerunt προσεκλήθη, quam lectionem omnes *Stephani* codices, Cantabrigiensis insuper aliique habent, adeo ut error heic errorem trudat. Ita olim in pronunciatione confundebantur sæpius η & ει. 2. *Cor. XII. 1.* exstat: καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. Ubi in pluribus codicibus legitur δεῖ, errore manifesto, ex mala pronunciatione orto. Vocem ἐπρίσθησαν *Ebr. XI. 37.* effert *Cyrillus Hierosolymitanus* ἐπρήσθησαν, ι cum η confuso. Commune quoque est parorama Librariorum η cum υ miscentium. Ita pro ἡμετέραν 1. *Cor. XV. 31.* magnus codicum numerus habet ὑμετέραν, quam posteriorem lectionem ea ex re spuriam judicamus, quod sensum, si adhibeatur, turbet. Quæ enim *Millius* dicit, ὑμετέραν καύχησιν dixisse *Paulum* gloriationem, non qua *vos* gloriamini, sed quam *ego de vobis* seu *in vobis* habeo, contorta utique nec solida esse videntur. Porro librarios sæpe ε pro αι propter eandem utriusque pronunciationem scripsisse

animadvertimus. *Eph. IV. 23. 24.* verba reperiuntur ἀνανεῦσθαι, ἐνδύσασθαι. Plures codices ἀνανεῦσθε, ἐνδύσασθε habent, librarii male pronuntiantis incuriam satis manifestè arguentes, ut mirandum sit, plures Ecclesiæ Patres spuriam hanc secutos esse lectionem, quia in eorum codicibus exstabat. Ita *Cyprianus*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Theophylactus*, alii. Simile fere parorama commisere librarii quidam in loco *Gal. IV. 18.* ubi pro ζηλοῦσθαι dixerunt ζηλοῦσθε, atque etiam *Galat. V. 7.* ubi codex Græcus, ex quo vulgata versio est translata, habuit πείθεσθε, perversè pro πείθεσθαι à librario pronunciatum. Conf. *Millii notas Criticas ad h. l. fol. 552. Matth. XI. 16.* pro ἑταίροις multi codices ἑτέροις habent, id quod eo in loco observat *Millius.* Ast *Jac. IV. 18.* pro ἕτερον oscitantes librarii dictavere vel ἕταιρον vel αἴτερον. Unde orta alia lectio πλησίον in optimis ferè quibusvis codicibus exstans. Quinimo eò progressa est dictantium incuria, ut υ pro οι poneretur. Ita in codice Cantabrigiensi *Actor. XII. 14* pro ἤνοιξε habetur ἤνυξε, absurde admodum. ο & ω permutatio facilis admodum fuit librariis. Ita exstat *1. Cor. XV. 49.* φορέσομεν. Certè futurum requirit contextus, ubi describendus erat status fidelium futurus in glorificatione, nulla verò habetur admonitio, quæ subjunctivum postulet. Pronunciavit quippe heic dictans ο, ut acccipiens intellexerit ω, perversamque adeò induxerit lectionem. Ita & rectè quidem judicat *Millius.* Quod enim *Tertullianus* scribit *L. V. contra Marcionem Cap. X.* legendum esse *portemus* in

in Græco φορέσωμεν, id dilutum eſt. Crediderim, codicem *Marcionis*, ſi φορέσομεν habuit, hoc in loco genuinam lectionem habuiſſe. Quinimo genuinam lectionem ſæpius ex hæreticorum libris poſſe reſtitui, infra luculenter dabimus demonſtratum. Eadem ratione 1. *Cor.* IX. 27. verbum ὑπωπιάζω occurrit. Alii codices pauciores vel ὑποπιάζω habent vel ὑποπιέζω. Perperam ſanè propter malam dictantis pronunciationem. Denique cumulus harum confuſionum oſtendi poteſt in loco *Ebr.* IX. 37. ubi pro ἐπρίσθησαν & ἐπειράσθησαν librarii vel ἐπρήσθησαν, uti ſupra monuimus, vel ἐπειρώθησαν, poſuere, vel pro ἐπειράσθησαν voce malè à dictante pronuntiata ἐπυράσθησαν ſecundum *Franc. Junium* ἐπηρώθησαν ſecundum *Tanaquillum Fabrum*, ἐπρήσθησαν ſecundum *Thomam Gatakerum* legenda ſunt. Ex quibus omnibus ſatis patet, Librarium dictantem diverſas ſæpius voces eodem modo pronunciâſſe, diverſo quum ſono eæ efferendæ eſſent. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

## IV.

LIBRARIUS DICTANS VEL EX INCURIA VEL HAUD ACUTE SATIS VIDENS SÆPIUS LITERAS AFFINIS FIGURÆ MALE DISTINXIT VOCEMQUE EAPROPTER MALE PRONUNCIAVIT. Horum errorum magna in libris novi Teſtamenti invenitur farrago. *Matth.* I. 4. legimus Ἀμιναδάβ. Rectè ut arbitror ſecundum Hebræam veritatem. Aſt quinque codices producit *Millius*, qui habeant

Ἀμιναδὰμ, imo ipſum *Macarium Chryſocephalum*, cujus egregia in *Bibliotheca Bodlejana* exſtat *Catena MS.* Hunc errorem ait *Millius*, ex eo ortum, quod β affinem olim τῷ μ figuram obtinuiſſet. Locus, qui *Matth. XXVII. 9.* exſtat, eadem librarii corruptione laborat, Z ab I haud diſtinguentis. Ita enim optimè conjecit *Petrus Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis emeritus in *Demonſtratione Evangelica*, exſtitiſſe in Autographo Matthæi Ζϱιȣ, quod dictans librarius peſſimè legerit Ιϱιȣ. Neque ſanè arbitror, dicendum, vel *Matthæum* heic commiſiſſe ἁμάϱτημα μνημονικὸν, *Jeremiam* pro *Zacharia* ſcribentem, vel, uti *Joh. Lightfootus* arbitrabatur, *Jeremiam* pro *Zacharia* allegatum, quòd olim Jeremias primus fuerit in Codice Prophetico, vel planè omittendam eſſe vocem Ιεϱεμίȣ, vel ex *Apocrypho Jeremiæ* deſumtum hunc locum eſſe, quod poſterius ex eo probat Vir quidam doctiſſimus, quia *D. Hieronymus* expreſſe teſtetur, quod hunc locum legerit in *Apocrypho Jeremiæ* à Nazaræis ſibi oſtenſo, qui tamen alias magnus fuerit *Apocryphorum* hoſtis nec ſtatim ad *Apocryphorum* ineptias & deliramenta recurrendum ſuaſerit, ubi teſtimonia inveniantur de Prophetis & veteri Veſtamento ab Apoſtolis uſurpata, quæ tamen noſtris in codicibus non exſtent. Quicquid autem de *Apocrypho Jeremiæ* ſit, errorem hunc arbitror ex compendio ſcripturæ ortum. Sed vide, quæ contra hanc ſententiam afferat *Jo. Millius fol. 73. in notis ad h. l. Miſſo enim*, ſcribit, *quam parum proclive ſit, literam ζ quomodocunque demum pictam in ι mutare, ſanè compendia ſcriptionis iſthæc feſtinationi recentiorum ſcri-*

*barum deberi, notius est, quam ut dicam. Unde & error iste* Ἰρις *pro* Ζρις *scribentium sequioris ævi codices occupet necesse est, non item vetustos. In his* Ζαχαρίε *vox integra esse debuit, nec literis ullis mutilata, quum econtra veteres nulli habeant* Ζαχαρίε, *nullos item usquam videris, in quibus vocum istarum alterutra contrahatur.* Hæc *Millius*, qui & *Hugonem Grotium* in *Prolegomenis* hanc in rem ignorantiæ accusat, quod compendia scripturæ in veteribus codicibus a se unquam inspectis fecerit nimia. Ita certè *fol. 146. Constat, rem ipsi nullam fuisse cum veteribus membranis*, quia scilicet statuit, *Act. XX. 28.* vocem Θε pro κυ suffectam à librariis. Vide & *fol. 147.* Sed examinemus nunc *Millii* rationes. Ait, *compendia scriptionis festinationi recentiorum scribarum deberi.* Quæ præpositio si, uti jacet, sit intelligenda, falsissima est, quum in vetustissimis Manuscriptis codicibus compendia scriptionum inveniantur, ipso *Millio* sæpius observante. Ita enim in nota ad *2. Tim. II. 10.* ubi pro voce *æterno* vulgatus & ex eo Latini legunt *cœlesti. Ex errore Græci exemplaris cujusdam, ut videtur, in quo pro* αἰωνίε *scriptum sit contractum* ουνιε. Ex his verbis patet, *Millium* heic sibi haud constare. Id enim exemplar Græcum, quod habuit Vulgatus, saltem seculo II. fuit scriptum adeoque antiquius omnibus iis, quæ nos habemus, quum versio Latina omnium ferè sit antiquissima. *Ebr. VII. 28.* pro υἱὸν posuerat scriptor codicis *Roë 2.* Ἰησῦν, ubi ita *Millius: Facili errore, nempe in exemplari, unde primum manavit hæc lectio, pro*

 υἱὸν

*υἱὸν scriptum videtur ιυ. in quod incidens posterior quispiam scriba pro compendio vocis ( ID QUOD CERTE EST in MSS. ) posuit ipsam vocem integram* Ἰησοῦν. Vide *not. Crit. ad h. l. f. 674. a.* Ast codicem illum *Roë* 2. mirifice cum *Alexandrino* convenire scripserat *Jo. Millius* in *Prolegomenis N. T. fol.* 156. ut adeo vel ipse vetustissimus esse debeat, vel ex Apographo vetustissimo saltem descriptus. *Ebr. XII.* 9. duo codices MSS. pro πνευμάτων habent πατέρων, de qua variatione ita *Millius* : *ducto primum errore ex codice aliquo, in quo contractè scriberetur* πρων *pro* πνων. Rectè, ut arbitror. Miscuit enim heic literas, qui dictabat, librarius, sive ὑπαγορεύων. Vide *Millii N. T. fol. 686. b.* Similiter *Jud. vers. 5.* Codex *Alexandrinus* pro Κύριος ponit Ἰησοῦς, quia, ut *Grotius* arbitratur, vox κς scripta erat, quum scribendum fuisset ις. Nec sanè ibi refutat *Grotii* conjecturam *Millius fol. 756. a.* Denique *Apocal. III. 7.* pro Δαυὶδ codices aliqui habent ᾅδου. Quod quomodo factum sit, ut explicet *Millius*, confugit ad compendium scripturæ. *Per incuriam*, ait *f. 772. a*, *librarii contractum* Δαδ *mutantis in* ᾅδου. Vapulasset sane *Millio*, si hæc scripsisset, *Hugo Grotius*. Ita sane *Millium* ex *Millio* refutatum dedimus. Hoc est, quod superius scripserat, *compendia scriptionis festinationi recentiorum scribarum deberi.* Neutiquam. Taceo communiora scriptionum compendia in ipso codice *Alexandrino* exstantia, de quibus *Jo. Ern. Grabe* in *Prolegom. in Octateuchum C. I. §. 6. lit. b.* ubi: *Voces plerumque integre sunt scriptæ, exceptis quibusdam,*

*quas*

*quas ſæpiſſime abbreviatas videas, nempe* κς *pro* κύριος, θεὸς θς, ἄνθρωπος ανος, Ισραὴλ ιηλ, *vel* ισλ, Ιερουσαλὴμ ιλμ, πατέρα πρα, μητέρα μρα &c. *linea voci ſuperinducta ſemper abbreviationem denotante.* Hæc *Grabius.* Nec tamen hoc intendimus, abbreviaturas pro lubitu fingendas eſſe, ubi non exſtant. Ita *1. Cor. X. 9.* pro voce χριστὸν poſuit codicis *Alexandrini* ſcriptor θεὸν, quam lectionem genuinam quoque eſſe putat ad hunc locum *Hugo Grotius* erroremque exiſtimat comiſſum ex notis θν & κν. Optimè autem refutârunt eum *Jo. Millius* & *Georgius Bullus. Millius* quidem ad *h. l. fol. 486. a. Quaſi verò*, ait, *proclive fuerit librariis* X *ſcribere pro* θ *aut lectionem, qualis illa* κύριον *aut* θεὸν, *commodam mutare in duriorem hanc, & ad quam impegerint lectores,* χριστὸν. Porro provocat *Millius* ad finem omnium MSS. codicum, verſionum & allegationum aitque, *mutatam eſſe vocem* Χριστὸν *in vocem* Θεὸν *ab audaculo quodam Studioſo, cui minus verum, ſi placet, quod ex recepta lectione dicitur, Iſraelitas tentaſſe Chriſtum in deſerto.* Aſt ait *Grotius, ita legit vetuſtiſſimus ille manuſcriptus*, codex nempe *Alexandrinus.* Sed reſpondet *Georgius Bullus* poſt adductos codices MSS. novi Teſtamenti Patreſque Eccleſiæ Χριστὸν legentes: *Neque tantæ auctoritatis eſt codex Alexandrinus, ut tanto conſenſui opponi mereatur.* Conf. *Defenſionem fidei Nicænæ Sect. I. C. I. §. 15. f. 12.* edit. poſtremæ. Cæterum de hoc argumento compendiorum ſcripturæ videatur quoque *Jo. Clerici Ars critica Vol. II. p. 208. 209.* Sed re-

deamus è diverticulo ad locum nostrum *Matth. XXVII. 9.* Objicit *Millius*, parum esse proclive, literam ζ quomodocunque demum pictam in ι mutare. Ego verò maximè proclive id & facile esse arbitror. Si enim in litera Z omittantur lineolæ superior & inferior, quod sæpius fit in codicibus vel vetustis vetustis vel adcuratè non descriptis, residuum manet I, quod erat demonstrandum. Denique audaculum est, quod de vetustissimis novi Test. codicibus *Millius* asserit, in iis nulla scriptionum compendia fuisse, quasi eosdem suis oculis vidisset. Sed hos, quum non habeamus, dudum quippe deperditos, apprehendenda heic potius erat ἐποχὴ, quam certum aliquid decernendum. *Conjecturis heic agendum, non demonstrationibus Mathematicis, quas Ars Critica nescit.* Nunc ad alia progrediamur. Videntur *Marcus & Johannes* diversas de hora passionis Christi fovere sententias. *Marcus* quidem *Evangel. C. XV. 25.* refert, Christum hora tertia crucifixum fuisse. Ast *Johannes Evang. C. XIX. 14.* narrat, hora sexta Christum jam a Judæis ad crucifixionem postulatum fuisse. Hæc, ut conciliarent, qui harmonias Evangelicas conscripsere, varia effinxerunt. At ecce antiquissimum testimonium *Petri Alexandrini* vel quisquis Auctor est Fragm. *de Paschate*, quod primus luci publicæ dedit *Dionysius Petavius* sub finem *Uranologii* sive *Systematis variorum Auctorum, qui de sphæra ac sideribus eorumque motibus Græcè commentati sunt fol. 397.* ubi *Diatriba* ista apparet sub titulo: Πέτρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ μάρτυρος, ὅτι ἀπλανῶς ἔταζον οἱ ἑβραῖοι τὴν ιδʹ τοῦ αʹ μηνὸς τῆς σε-

λήνης

λήνης ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων. Verba autem *Petri Alexandrini* hæc sunt: ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα ἦν ὡσεὶ ΤΡΙΤΗ. καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτότε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ (supplet hic ἰωάννου *Chronicon Alexandrinum* à *Matthæo Radero* editum *p. 518. 519.*) ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. Ista quidem *Petrus Alexandrinus*, cujus fidem sollicitant *Dionysius Petavius* & *Jo. Millius*. Et *Petavius* quidem ait hoc fragmentum ad *Petrum Alexandrinum* non pertinere in *præfatione Uranologii*, ubi ita disserit: *Anonymi cujusdam Diatriba de Paschate novissimo Christi, cui perperam nomen inscriptum erat S. Petri, Alexandrini Episcopi & Martyris, quod inter Patres aliquot, quorum testimonia producuntur, primo ille loco nominatur. Ac duplex fragmenti istius argumentum videtur. Primum enim Christum demonstrat ultima in cœna legale Pascha non celebrasse, quod pridie ejus diei, quo à Judæis peractum est, mysticum suum ac novi Testamenti proprium Pascha Christus obierit. Cujus opinionis veteres nonnullos testes citat. Sed ea quidem falsa & auctoritati Evangeliorum contraria est. Altera pars fragmenti præfatio est in* Πασχάλιον *sive Computum Paschalem, quem illius Auctor in tabulas redegerat, &c.* Quicquid autem hujus sit, melius arbitror facturos eos, qui statuerint, NON LIQUERE, quisnam hujus Fragmenti sit Auctor. Fidem autem prorsus ipsi denegare nimium esse mihi videaur, quod magno fervore agunt *Rich. Si-*

*mon*

*mon* in *Hist. Crit. Text. novi Test. C. IV.* & *Petavius in doctrinâ Temporum P. II. L. 12. C. 18. f. 453. 454.* ubi opinionem de tertia hora luculenter sed in vanum refutare conatur. Miror autem, ejus fere partes sumsisse defendendas *Jo. Millium fol. 135. 136. 137.* cujus hæc sunt rationes. Prima est, positis iis, quæ in hoc fragmento exstent, per compendium scripturæ debuisse exstare pro τρίτη Γ in Manuscriptis *Evangelium Johannæi* codicibus, quod ab incauto librario vel malè lectum vel malè scriptum fuerit pro ϛ. Ast credi omnino par esse, Apostolorum Autographa quoad singulas quasque vocum literas, integrè, clare, accuratissimè fuisse scripta, quod idem de Apographis sub id ævum exaratis dicendum sit. Secunda est, compendia scriptionis nulla in primis novi Testamenti seculis fuisse. Tertia, codices omnes, excepto solo Cantabrigensi, τρίτη & ἕκτη, sed sine abbreviatura ponere. Denique, si talis fuisset heic corruptio à librariis orta, Ecclesiam hunc errorem. qui auctoritatem Evangeliorum labefactare potuisset, non fuisse toleraturam. Ait itaque *Millius*, fabulam hanc esse, quam narret *Petrus Alexandrinus*, hancque lectionem potius ἐναντιοφανείας in Evangeliis Marci & Johannis circa passionis horam tollendæ gratia confictam esse à studioso aliquo vel librario. Sed hæc, quæ *Millius* ponit, facile queunt refutari. Num in Apostolorum autographis compendia scriptionum per numeros exstiterint, nemo scit, nisi qui vidit, adeoque nec ipse *Millius*. Fuisse autem hoc ex scriptis Patrum veterum omnino colligimus. Certè hanc, quam defendimus, opinionem, librarium signa affi-

nia

nia Γ & ς perversa ratione confudisse, adeoque signa affinis figuræ non rectè distinxisse, suo calculo dudum adprobavere *Hieronymus & Theophylactus* & codices aliqui manuscripti, inter quos, uti ;am posuimus, & Cantabrigiensis est, queis *Nonnum* addimus. Ita certè Hieronymus in *Psalm. LXXVII.* commentans: *Scriptum est in Matthæo & Johanne, quod Dominus noster hora sexta crucifixus sit, rursum scriptum est in Marco, quia hora tertia crucifixus sit, hoc videtur diversum esse, sed non est diversum, error scriptorum fuit & in Marco hora sexta fuit, sed multi episemum Græcum ς putaverunt esse* Γ. Hæc *Hieronymus*, cujus tamen sententiam in eo adprobare non possumus, quod *Marcum* ex *Johanne* nulla manuscripti codicis auctoritate nixus refutare nitatur, etsi interpres Æthiopicus *Marc. XV. 25.* horam crucifixionis Christi memorans non tertiam referat sed *sextam*. Melius, ut arbitror, *Theophylactus* in *Joh. XIX.* ubi: Λύουσιν οὖν τοῦτο τινὲς μὲν, ὅτι γραφικὸν τὸ σφάλμα, τὸ μὲν γάμμα τὴν τρίτην ὥραν σημαίνει, καὶ ἔστιν ὁ χαρακτὴρ αὐτοῦ τοιοῦτος Γ, τὸ δὲ καλούμενον ἐπίσημον τὴν ἕκτην, καὶ ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοιόνδε ς. εἰκὸς οὖν τὸ γάμμα στοιχεῖον ἀπὸ τῆς ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων κυρτωθείσης τῆς ἀποτεταγμένης εὐθείας εἰς τὸν τοῦ ἐπισήμου μεταχωρῆσαι χαρακτῆρα καὶ οὕτω τὴν πλάνην ταύτην γενέσθαι. i. e. *Hoc igitur solvunt quidam, quod scripturæ error sit, nam litera gamma tertiam horam significat, & est character ejus talis* Γ, *litera autem, quæ sextam significat, habet talem characterem* ς.

*Veri-*

*Verisimile autem, literam Γ à scriptoribus non attentis transiisse ea parte, quæ in longitudinem rectam producebatur incurvata in characterem episemi, quo sextus numerus signatur, & sic hunc errorem ortum.* Digna sunt observatu, quæ hisce *Theophylactus* addit, sed quæ heic adducere non est nostri instituti, qui brevitatem sectamur. Denique ita *Nonnus in paraphrasi*:

Ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη,
*Hora tertia mortem ferens agebatur.*

Sed hæc sufficiunt ad auctoritatem explicationi nostræ conciliandam. Quod secundò ait *Millius*, compendia scriptionis in veteribus codicibus non conspici, id & modo refutavimus & falsum esse demonstrat codex vetustissimus Cantabrigiensis Γ pro τρίτη *Marc. XV.25.* exhibens, qua ratione & tertium ipsius argumentum cadit. Denique quod de Ecclesia errorem hunc non toleratura dicitur, nimium probat. Ita enim nulli omnino librariorum errores in novi Testamenti codicibus invenirentur, quos tamen in iis exstare *Dissertationis* nostræ *C.I.* §.*1.* & passim probavimus, nec ipse negat *Millius*. Unde egregie *S. Augustinus Epist. XIX. ad Hieronymum* scribit: *Solis eis libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse credam, ac, si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.* Hanc *Augustini* regulam

gulam nos heic secuti sumus, rejectis iis interpretationibus, quæ committere inter se Evangelistas videbantur & obtorto collo eos explicare. Cæterum varias de hac ἐναντιοφανείᾳ sententias legere est in Viri doctissimi, *Stephani Morini* S. Theol. D. & Lingg. Orient. in Athenæo Amstelodamensi Professoris *Dissertatione de horis salvificæ passionis Jesu Christi, Domini nostri, Lugduni in Batavis A.1685. edita*, cui, si placet, adde conjecturam *Pauli Bauldrii* in *Biblioth. nov. libr. Tom. I. p. 415. seqq.* quæ tamen uti arbitror, contextui Evangelico contradicit. Sed alia loca ad probandam Thesin nostram producamus. Crux Theologorum est locus in *Actis Apostol. C. VII. 16.* ubi dicitur, *Jacobum* Patriarcham sepultum fuisse eo in sepulchro, quod emerat Abrahamus à filiis Emmori Sichemitæ. Ast, si *Genes. XXXIII. 19.* consulamus, adparebit, emtorem sepulchri non fuisse Abrahamum sed Jacobum. Heic Vir doctissimus, *Jo. Clericus* conjicit, scriptam esse vocem Jacobi non integram sed abbreviatam hoc modo IAB, credidisse autem librarium, quia literæ initiales vocis Ἀβραάμ hîc exstarent, ita quoque legi debere, seu deletum esset I lapsu temporis seu mendose additum Librarius judicaverit. Quem in errorem eo facilius inciderit, quod revera Abrahamus emisset sepulchrum sed alibi & ab aliis *Gen. XXIII.* Hanc opinionem nos quidem celeberrimo Auctori relinquimus, quum nimiis conjecturis niti videatur, nec manuscriptus codex vel versio antiqua adsit, quæ conjecturæ huic aliquod præbeat fundamentum. Ast alia loca hujus generis supersunt. *Actor. XIII. 23.* exstat, Deum populo Israëlitico suscitasse

ſcitaſſe *σωτῆρα* Ἰησȣ̃ν. Plures codices legunt *σωτηρίαν*. Satis, ut arbitror, inepte, quum hæc vox Apoſtolici ſermonis ſenſum turbet. Arbitratur itaque *Millius*, per compendium ſcripturæ olim exaratum fuiſſe *σρα ιν*, quod propter affinitatem legerit dictans *σωτηρίαν* ſive *σριαν*, maximè, quum alii codices etiam vocem Ἰησȣ̃ν omittant. Addenda hæc obſervatio eſt ad ſuperiora exempla, quibus demonſtravimus, *Jo. Millium*, qui ad locum *Matth. XXVII. 9.* compendia ſcriptionis in vetuſtioribus codicibus negaverat, aliis tamen in locis ad ea ipſe confidenter provocare. Neſcio, num hùc referenda quoque ſit vox *θεȣ̃ Act. XX. 28.* ubi varii codices vel Κυρίȣ vel Χριςȣ̃ legunt. Sunt, qui conjiciant, propter affinitatem ſcriptionis compendiariæ *θȣ κȣ χȣ* hunc errorem ortum. Ita *Hugo Grotius*, ſed quem refutat *Millius*, heic in not. crit. ad *h. l. fol. 382.* omninò conferendus. In *Ep. ad Rom. C. XII. 11.* legimus: *τῷ καιρῷ δȣλεύοντες.* Codices plurimi verò habent *κυρίῳ*. Hic error certiſſime ex affinitate harum vocum literarumque natus mihi eſſe videtur. Ita ſanè *Theodorus Beza* exiſtimat, ſcripſiſſe librarium *κω*, quod alius legerit Κυρίῳ. *1. Cor. XII. 31.* exſtat: *καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.* Habent heic quidam codices pro *ὁδὸν* vocem *ὅλον*, teſte *Stephano Curcellæo*. Aſt, quum Δ & Λ affines habeant figuras, deceptus heic ſine dubio fuit librarius. *2. Cor. XI. 10.* legitur vox *σφραγίσεται* in communibus novi Teſt. editionibus pluribusque codicibus. Aſt alii codices habent *φραγήσεται*, quæ lectio à

Viris

Viris doctissimis præfertur. Apud veteres enim literæ Φ & σΦ ferè affines erant, uti ostendit *Millius*. Ex eodem fonte profluunt diversæ lectiones 1. *Tim. III. 16.* ubi: θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. Scriptum primò per compendium scripturæ erat ΘΣ, quod propter affinitatem literarum librarii legerunt ΟΣ, vel ΩΣ vel deniqu Ο, quod creditu admodum probabile. Vid. *Millii* notæ criticæ in *h. l. fol. 624.* & adde primitias nostras Tubing. P. I. p. 47. sqq. De loco *Ebr. XII. 9.* suprajam disseruimus, ubi πατέρων quidam codices ponunt pro πνευμάτων, quod parorama peperit affinitas πρων & πνων. 1. *Petr. II. 3.* quædam exemplaria pro χρηστὸς exhibent χριστὸς, cùm in codice, quem sequebantur Librarii, exstaret Χς, quod vocis compendium haud satis intellectum fuit. Denique *Matth. XV. 36.* exstat Μαγδαλά, quod alii codices afferunt Μαγαδὰν propter literas λ & ν in veteri scriptione affines. Vid. *Mill. fol. 40.* Sed nimis forsan loca ad probandam hanc dictantium originem accumulavimus. Patet tamen ex iis, quæ posuimus, id quoque, quod peculiari alias recensioni locum subministrare poterat, *compendia scripturæ sæpius in describendis novi Fœderis libris errores peperisse.* Sed pergamus ad caput nonum.

---

## CAPUT NONUM.

*Notarius sæpe dictantis verba malè percepit, sæpè quædam omisit. Textum haud benè*

 *intelli-*

*intelligens scripsit perperam. Notariorum perversæ transpositiones notantur itemque errores ob* ὁμοιοτέλευτα. *Illustratur inde maximè locus 1. Joh. V. 7. de quo loco sententia Grabii adprobatur. Notarius quoque sæpius male interpunxit, cujus rei plura dantur documenta.*

§. I.

OStendimus, ut arbitror, errores & paroramata *librariorum*, qui textum describendum Notariis perverse *dictabant*. Nunc ad errores *scribentium* progredimur, quorum quinque observavimus genera, nunc eadem ratione recensenda.

I.

LIBRARIUS VERBA TEXTUM DICTANTIS EXCIPIENS SÆPIUS MALE AUDIVIT ALIENIS REBUS INTENTUS VEL IN SCRIPTIONE NIMIS FESTINANS. Hujus erroris argumentum præbent loca sequentia. *Matth. XXI. 30.* exstat τῷ δευτέρῳ. Ast plures Librarii vocem haud rectè percipientes scripsere ἑτέρῳ, unde & lectionem hanc adprobavit *Lucas Brugensis*, quem superius laudavimus. *S. Paulus 1. Cor. XIII 3.* scribit: ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου, ἵνα καυθήσωμαι. At καυχήσωμαι habet codex *Alexandrinus*, errore satis manifesto, qui mancam facit Apostoli orationem. Scilicet, qui descripsit codicem, haud rectè intellexit, quid diceret ὁ ὑπαγορεύων

γορέυων, & pro καυθήσωμαι scripsit καυχήσωμαι. Neque enim audiendum hîc *D. Hieronymum* arbitramur, qui, etsi eandem nobiscum sententiam foveat, errorem in hoc loco ex mala librarii perceptione ortum, credit tamen, librarium pro καυχήσωμαι male legisse καυθήσωμαι. Vide finem *Commentar. ad Gal. V.* Referendæ huc quoque variæ sunt lectiones *Ebr. XI. 37.* quas supra recensuimus, eadem ratione ortæ. Exstat & memorandus locus *2. Pet. II. 13.* ubi impii & hæretici dicuntur ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν. Ast codex *Alexandrinus* aliique habent ἀγάπαις. Ita & *S. Judas* verbis expressis: οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι. *comm. 12.* Quid enim quæso est: ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις. Certe confirmat lectionem ἀγάπαις *Clemens Alexandrinus*, qui ea, quæ hoc in loco dicta sunt, de *Carpocratianis* refert. *Stromat. L. III. fol. 430.* Nec contra istam facere possunt, quæ exstant in *catena MS. Collegii novi Oxoniensis* ad hunc locum scripta, quum & ἀγάπης & ἀπάτης mentionem ibi injiciat *Anonymus*, licet forsan *Jo. Millius* hanc *Anonymi* notam pro lectione ἀπάταις allegaverit *fol. 723.* Add. *Thom. Smithi Commentar. in poster. Epist. Petri p. 259 - 262.* & adde librum nostrum de orig. juris eccl. p. 68.

II.

LIBRARIUS SCRIBENS IMPATIENS SÆPE QUÆDAM OMISIT, QUÆ SCRIBERE DEBUERAT. Ita plures librarii *Matth. II. 1.* omisere ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ Βασιλέως. Probabile

babile quoque est, 2. *Petr. III.* 3. exstitisse: ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται. Habent enim hæc verba codex *Alexandrinus* pluresque alii, versiones novi Test. vetustissimæ, & Patres Ecclesiæ, quo argumento moti sunt *Estius* & *Millius*, ut lectionem hanc existimaverint genuinam. Ast plures librarii festinantes nimis, omisere ἐν ἐμπαιγμονῇ. Sed non opus est, horum errorum amplam dare farraginem, quum ubivis occurrant, nec difficiles sint observatu.

III.

LIBRARIUS SCRIBENS, TEXTUM SÆPE HAUD BENE INTELLIGENS SCRIPSIT PERPERAM. *Luc. I.* 64. dicitur, quod *Zachariæ* lingua *fuerit aperta* ἀνεῴχθη. Hoc non intelligens librarius, quomodo ἀνοίγεσθαι de lingua dici possit, in hujus locum suffecit διηρθρώθη, judicante *Hugone Grotio*. Exstat *Luc. XVI.* 9. ὅταν ἐκλίπητε, *si moriamini*. Hæc enim genuina hujus vocis est interpretatio. Ita certè *Theophylactus*: ἵνα, ὅταν ἐκλίπωμεν καὶ ἀναχωρῶμεν ἐκ τοῦ βίου. Quod & requirit Hebraismus in voce ἐκλίπητε latens. Hæc enim respondet voci Ebrææ גוע *expiravit*. Ita ויגוע *expiravit Genes. XXV.* 8. Ast habet hic codex Cantabrigiensis pro ἐκλίπητε vocem ἐκλίπῃ, ita, ut hæc referenda sit ad vocem μαμωνᾶ præcedentem. De quâ variatione ita *Jo. Pearsonius*, Episcopus olim Cestriensis: *Non dubito, quin* ἐκλίπητε *primo scriptum fuerit & mutatum in* ἐκλείπῃ ( ita codex *Alexandrinus* ) ab

*ab iis, qui verum* τȣ̃ ἐκλείπειν ( *quod LXX. Interpretibus* expirare,) mori *significat, sensum non observârunt.* Vide *Præfationem* ejus *pareneticam ad LXX. Interpretum versionem, Octateucho D. Grabii* nunc præfixam. *Joh. VII. 26.* inveniuntur hæc verba: ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι ȣ̃τός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός. Vix credibile eſt, bis in una periodo vocem ἀληθῶς poſuiſſe Apoſtolum. Certe & prius & poſterius ἀληθῶς pluribus in codicibus abſunt. Variantem hanc lectionem ignorantiæ librarii adſcribit *Hugo Grotius.* Ita enim commentatur: ἀληθῶς, i. e. *certis indiciis. Quod qui non intellexerunt, posuerunt* ἀληθῶς *ante* ἐστιν; *postea utrumque in quosdam codices irrepsit.* Lectiones variantes in *1. Cor. IX. 27.* ubi pro ὑπωπιάζω legitur in quibusdam codicibus vel ὑποπιάζω vel ὑποπιέζω, ignorantiæ librarii ortum quoque debent, qui vocis ὑπωπιάζω derivationem ſenſumque non intellexerat. Inde natæ interpolationes variæ, maximè, ubi vox poſita, quæ à librariis non intellecta clariorem in contextu admittere videbatur. E. g. *1. Cor. V. 6.* genuina lectio eſt δολοῖ *corrumpit*, uti probavit *Millius f. 474.* Librarii autem, quum veram vocis δολοῖ ſignificationem ignorarent, pro ea continuarunt metaphoram & repoſuerunt ζυμοῖ. Optimè *Tertullianus* ad hunc locum alludens: *Modico fermento totam fidei massam hæretico acore decepit. Decipere* autem cum voce δολȣ̃ν eandem ſignificationem tenet. Nec interpolationes ſolùm inde natæ, ſed & malæ accen-

 tuum

tuum in recentioribus codicibus positiones. E. g. *Rom. I. 30.* θεοςύγεις pro θεοςυγεῖς habet codex *Germanensis* in Gallia. Porrò ignorantia librariorum caussa fuit, cur voces conjungendas disjunxerint. *Marc. VI. 25.* *Herodias* petit ab *Herode:* θέλω, ἵνα μοι δῷς ἐξ αὐτῆς ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννȣ τȣ̃ βαπτιςȣ̃. Ubi quid ἐξ αὐτῆς significet, & quò referatur, difficile dijudicare est. Si autem conjunctè legatur ἐξαυτῆς *extemplò*, clarissimum est, quid dicere voluerit *Herodias*. Denique malæ scriptionis ex ignorantia librarii ortæ exemplum exhibet *Act. Apost. XXXI. 3.* ubi: Ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον. Quod quum non intelligerent Librarii, legerunt vel ἀναφανέντες vel ἀφέντες. Sed hæc sufficiant ad ignorantiam librariorum demonstrandam.

## IV.

LIBRARIUS SÆPIUS INCURIUS TEXTUM MALE DESCRIPSIT, UNDE TRANSPOSITIONES ET OMISSIONES MAXIME, UBI OCCURREBANT ΟΜΟΙΟΤΕΛΕΥΤΑ. Heic farraginem exemplorum dare possumus, brevitati tamen daturi operam. *Matth. V. 4. 5.* beatitudo lugentium ordine præcedit beatitudinem mansuetorum in communibus, quas habemus, editionibus, atque etiam in Codicibus MSS. Ast vers. 5. commati quarto anteponunt codices Cantabrigiensis, vulgati interpretis & Hieronymi, ut ex horum patet versionibus. Quod ex incuria librarii factum, qui cùm vers. 4. omisisset, nec id prius animadvertisset, quam scripto jam commate

quin-

quinto, nolens codicem suum rasura quadam corrumpere, turbavit commatum ordinem, & quartum versum quinto demum addidit. Eadem ratione in quibusdam codicibus *commata* 13. 14. apud *Matth. XXII.* transposita videas, etsi ex *Luc. XI* 52. comma decimum tertium huc translatum quidam putent, cum in MSS. codicibus & versionibus non exstet, nec etiam apud *Origenem & Hieronymum* reperiatur. *Luc. XXIII.* 17. 18. Codex Cantabrigiensis versum XVIII. commati XVII. præponit itidem ex incuria librarii. Ad *Rom. I.* 29. 30. 31. ita *fol.* 422. *Jo. Millius: Ordo porro verborum, id quod negligentia Scribarum accidit, alius atque alius est.* ἀδικίᾳ, κακίᾳ, πορνείᾳ, πλεονεξίᾳ. *Ita codex Claromontanus.* Ἀδικίᾳ, πονηρίᾳ, κακίᾳ, πλεονεξίᾳ. *Codex Alexandrinus.* Ἀδικίᾳ, πονηρίᾳ, πορνείᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ. *Codex Vulgati & Origenis.* Ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ. *Codex Interpretis Syri.* Hoc modo Scriptor codicis Cantabrigiensis plures voces omisit *Marc. I. 6. Ebr. XII.* 7. exstat: εἰ παιδείαν ὑπομένετε. Ubi *codex Alexandrinus* aliique habent εἰς, sensu, ut adparet, omnino nullo ex incuria librarii. Denique *Eph. II.* 14. 15. legimus communiter: τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. Sed in codice Petaviano tertio exstat: μεσότοιχον τῆς ἔχθρας. Male & ex incuria librarii, qui in suo forsan codice, uti conjicit *Millius*, habuit: μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας τῆς ἔχθρας. Ita enim legit *Tertullianus contra Marcionem L. V. C.* 17. Ast, quod sæpissime contigit, librarii rei non

ſatis intenti propter ὁμοιοτέλευτα, quæ ſcribere debebant, omiſere. Exſtant quidam codices MSS. in quibus frequentiſſimè hujus generis omiſſiones obſervare eſt. Recenſuimus ſupra codicem Evangeliorum quatuor eumque Græcum, membranaceum, in *Collegio Gonvilli & Caji apud Cantabrigienſes* exſtantem. De hoc ita *Millius*: *Scriba ſupra modum oſcitans perpetuo ferè lapſus eſt in ὁμοιοτελεύτοις. Prolegom. fol* 147. Hujus notæ quoque codex Evangeliorum in *Collegio Emanuelis* Cantabrigiæ, quem *Jac. Uſſerium* contuliſſe ſupra obſervavimus. Hujus eundem dat nobis χαρακτῆρα *Jo. Millius* ſcribens, *codex iſte, minus accuratè, quam nitide exaratus, plurimis in locis deficit ob* ὁμοιοτέλευτα. Plures taceo manuſcriptos codices N. T. quoniam vix ullus eſt, qui ab hoc vitio liberari poſſit. Magnum autem exemplorum hujus rei numerum producere poſſumus. *Matth XXVIII.* 9. verba: ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ omiſit codex Cantabrigienſis, multique alii, verſio itidem Vulgata & Syriaca, denique *Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus*. Certiſſimè propter ὁμοιοτέλευτον. Exſtabat enim in fine vers. 8. αὐτοῦ, quod decepit librarios, ut cogitarent, ſe hæc verba jam ſcripſiſſe. Id quod *Erasmus* etiam non ſine ratione conjecit *Comma* 26. *Marc. XI.* aliqui omittunt codices, quia comma utrumque tum hoc tum præcedens deſinunt in τὰ παραπτώματα ὑμῶν. Eadem ratione Interpres Syrus *Luc XXII. commata* 17. 18. omiſit propter ὁμοιοτέλευτον vers. 16. & 18. βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Joh. V.* 39. omittit verſio Gothi-

ca. Adest enim ὁμοιοτέλευτον in fine & initio vocesque eædem in commate sequenti 40. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με. Et ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Ad *Joh. VI. 56.* addit hæc verba codex Romanus, ab amicis *Roberti Stephani* collatus itemque Cantabrigiensis: καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. Hæc genuina & ex incuria librarii propter ὁμοιοτέλευτον in aliis codicibus omissa esse arbitratur Vir doctissimus *Joannes Ernestus Grabe* in *Annotatis ad Georgii Bulli Defensionem Fidei Nicenæ Sect. II. C. X. §. 1. fol. 120. §. 4.* De quo tamen valde nos dubitamus, quum omnes alii MSS. codices versiones, citationesque Patrum heic reclament. Ast probabilius est, quædam ex occasione ὁμοιοτελεύτου omissa esse *Joh. X. 18.* hæc nempe verba ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτὴν, quod arbitratus primùm est Vir sagacissimus & Copticæ linguæ peritissimus *Thomas Mareschallus.* In *Cap. X. 1. Cor.* duo inveniuntur hujus erroris exempla. *Com. 19.* hæc verba exstant: τί οὖν φημι, ὅτι εἴδωλον, τί ἐστιν, ἢ ὅτι εἰδωλόθυτον, τί ἐστιν; Sed codex *Alexandrinus* omittit verb : εἴδωλον τί ἐστιν ἢ ὅτι propter eorundem aepetitionem & ὁμοιοτέλευτον. Porrò *com. 28.* ὁμοιοτελεύτῳ decepti fuere plurimi librarii, ut, quum post vocem συνείδησιν *com. 25.* scriptum exstitisset: τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐ-

τῆς, illi hæc verba rurſus *com. 28.* poſt vocem συνείδησιν ponerent, hùc certe non pertinentia. Cujus rei manifeſtum rurſùs exemplum exſtat 2. *Cor. I. 6.* uti putavit *Eſtius*, quem verò hoc in argumento refutavit *Jo. Millius* ad *h. l. fol. 115. 512.* Sunt codices, qui *Jac. IV. 6.* ubi dictum eſt: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν poſtea omittunt hæc verba: διὸ λέγει· ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Non ſanè, ac ſi hæc citatio verborum *S. Petri* ab Apoſtolo *Jacobo* ipſomet haud eſſet facta, ſed quoniam librarii nimis incurii decepti fuere ὁμοιοτελεύτῳ χάριν, quam ſententiam adprobat quoque *Millius fol. 7000.* Quinimo 2. *Petr. III. 10.* propter ὁμοιοτέλευτον in quibusdam codicibus verba omiſſa ſunt: ςοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται. 1. *Joh. II. 23.* plurimis in codicibus poſt verba: πᾶς ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει, adduntur ſequentia: ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει, quæ poſteriora, etſi à quibusdam è margine in contextum irrepſiſſe videantur, tamen veroſimilius eſt, omiſſa eſſe propter ὁμοιοτέλευτον. Ita & in eodem hoc capite codex *Magdalenenſis 1. comm. 27.* omittit verba: ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς, librario ex incuria non obſervante hoc ὁμοιοτέλευτον in hoc commate bis occurrere adeoque bis ſcribendum eſſe. Exſtat enim in ſuperioribus: οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς. Porrò propter initium verborum ſequentium ſimile finemque codex *Petavianus 3.* non habet verba 1. *Joh. IV. 3.*

πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι, καὶ, quia eadem verba, interposita solum negatione statim sequuntur. Denique *Apocal. V. 6.* Interpres Syrus non habet verba ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν τεσσάρων ζώων, quia repetito statim ἐν μέσῳ putaverat, se hæc jam vertisse. non observans, bis hoc verbum repeti.

§. 2. Fuisse ipsum hoc causam erroris librariorum in describendo loco *1. Joh. V.* 7. non absque causa à Viris doctissimis asseritur. Ita sanè Vir doctissimus, *Jo. Ern. Grabe* in *Annotatis ad Georgii Bulli Defensionem Fidei Nicanæ Sect. II. C. X. §. 1. fol. 139.* §. 3. arbitratus est. Hæc enim ipsius sunt verba. postquam communem objectionem recensuisset, hoc comma nempe in vetustissimis manuscriptis codicibus non exstare, neque etiam in vetustissimis versionibus. „ Sed respondeo, hæc omnia haud demonstrare, quod verba ista de tribus in cœlo testibus à S. Joanne non sint scripta, sed solùm probare, quod haud diu post à negligente vel festino scriba sint omissa, indeque mancus textus in plura exemplaria sit transfusus. Atqui hujus omissionis eadem plane apparet hoc in textu ratio, qua omnia fere sacrorum & profanorum Auctorum scripta sunt mutilata, nempe repetitio earundem vocum, τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, aut postremarum, ἕν εἰσιν. Ut verò perspiciat Lector, idem in aliis S. Scripturarum & quidem S. Johannis locis accidisse, ex ipso S. Cypriano & Tertulliano, è quorum scriptis auctoritas dubii testimonii nostri probatur, duo simi-

lia

lia affero exempla. In Concilio Carthaginensi, cui S. Cyprianus veluti Primas præfuit, num. 5. p. 231. tractatuum S. Cypriani in edit. Oxon. hæc Christi verba ex Joan. III. 6. citata leguntur: *Quod natum est de carne, caro est, & quod natum est de Spiritu, Spiritus est: quia Deus Spiritus est & de Deo natus est.* Eodem modo allegavit Tertullianus libro de carne Christi cap. 18. Si itaque ex horum codicibus aliisque judicium capere liceat, in S. Joannis Evangelio post ista verba: τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι, hæc fuere scripta: ὅτι θεὸς πνεῦμά ἐστι καὶ ἐκ θεοῦ γεγεννημένον ἐστι, occasione repetiti verbi ἐστὶ postea omissa. Similiter S. Cyprianus l. 1. testimon. adv. Judæos cap. 15. in fine, p. 25. sequentia Servatoris in *Evangelio* verba adduxit: *Non relinquetur in templo lapis super lapidem, qui non dissolvatur, & post triduum aliud excitabitur sine manibus.* Quæ integra in editionibus S. Evangeliorum frustra quæras, in quibus quidem, *Marc. XIII.* 2. videas priora: οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇς, posteriora autem in solo, quem sciam, MS. Cantabrigiensi codice Græco sic expressa reperias: καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλως (ἄλλος) ἀναστήσεται ἄνευ χειρῶν. Cæterum hæc ab ipsa S. Marci manu profecta esse, vix dubitare me sinit ejusdem Historia C. XIV. 58. " Sed, quæ sequuntur, suo ipsa loco evolvenda sunt.

§. 3. Pergit autem §. 4. idem Vir doctissimus: „ Sed, ut iis quoque satisfaciam, qui controversa Joannis verba ne quidem à Tertulliano & Cypriano vel alio quodam antiquo Patre allegata largiuntur, alios

alios duos proferam novi Teſtamenti verſus, qui in editis exemplaribus ac pluribus iisque antiquiſſimis MSS. haud exſtant, neque à S. Patribus citati ſunt: quos tamen ab ipſis S. Apoſtolis ſcriptos eſſe perſuaſus ſum, quia addendi eos ratio nulla ſuppetit, omittendi autem occaſio planè eadem conſpicitur, quam in modo memoratis locis obſervavimus. Nimirum Joh. VI. 56. ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἐν ἐμοὶ μένει κἀγὼ ἐν αὐτῷ hæc in antiquo manuſcripto Cantabrigienſi ſubjuncta habes: καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγω ἐν τῷ πατρί. Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. ( Quod & ſupra memoravimus. ) Addit *Grabius*, „ Similiter in Epiſtola S. Pauli ad Hebræos cap. II. inter verſum 23. & 24. ſequens comma in quibusdam exemplaribus interjectum legitur, teſte Curcellæo: πίστει μέγας γενόμενος Μωυσῆς ἀνεῖλε τὸν Αἰγύπτιον, κατανοῶν τὴν ταπείνωσιν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Atqui prius comma ob recurrentem vocem ἐν αὐτῷ vel καθὼς poſterius autem ob iterata verba: πίστει Μωσῆς μέγας γενόμενος excidiſſe quis non videt? Quidni igitur in controverſo S. Johannis loco idem contigerit? Neque hæc, quæ modo attuli, exempla defectuum in ſacris quibusdam codicibus divinæ in conſervanda S. Scriptura providentiæ detrahunt, ſiquidem ſufficit, quod aliqua exſtent exemplaria vel libri quidam, quorum ope defectus iſtos reſarcire queamus. Ut taceam, loca iſta ad neceſſarios fidei

fidei articulos confirmandos aut prorſus non pertinere aut non neceſſaria eſſe, quod eorum veritas pluribus aliis Sacrorum Scriptorum teſtimoniis prorſus illibatis probari poſſit. " Hactenus doctiſſimus *Grabius*, cujus verba integra eam ob rem recenſuimus, quoniam ea, quæ ſtudio nos prætermiſimus, loca ob ὁμοιοτέλευτα negligentia librariorum in libris novi Teſtementi corrupta nobis ſiſtunt, de iis judicium lectori relicturi. Cæterum quoad locum *1. Joh. V. 7.* eandem cum *Grabio* ſententiam tenet *Jo. Millius*, cujus hæc ſunt verba: *Unde igitur factum dicamus, ut codicibus exciderit hic verſiculus? Minime quidem dolo malo, quod arbitror, ſed omnino caſu & pura puta negligentia librarii, qui, cum forte inter ſcribendum tolleret oculos ad illud* οἱ μαρτυροῦντες *verſ. 6. mox in idem incidens verſ. 7. intermedia* ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι καὶ τρεῖς εἰσιν, *intacta præterierit. Proclivi admodum errore, quod norunt, quibus cum veteribus membranis res eſt.* Hæc egregiè *Millius* ad *h. l. fol. 747. a.* cujus ſententiæ & nos ſubſcribimus. Nec enim cum Schelſtratio ex diſciplina arcani omiſſionem hanc derivamus. Adde primit. Tubing. P. 1. p. 80. 81.

V.

LIBRARIUS TEXTUM NON INTELLIGENS PERPERAM INTERPUNXIT. Quæſtio eſt inter eruditos, quomodo locus *1. Tim. III. 15. 16.* interpungendus ſit? Communis interpunctio eſt, ut vers. 16. incipiat: Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Alii putant ex commate

15. ad

5. ad 16. pertinere στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, secundum modum loquendi Judaicum. Vid. *Cameronis Myrothecium*, *Episcop. Instit. Theolog. L. 1. §. 1. C 8. Jo. Cleric.* & alios in diss. de artic. fidei fund. à nobis citatos. Nec videtur posterior sententia à veritate abludere, etsi certum quid hac in re pronunciare nequeamus. De interpunctione *Joh. I. 3. 4.* supra quædam adduximus, ubi memoravimus, Patres quosdam pravam hæreticorum interpunctionem fuisse secutos. Quod post *Jo. Crojum* observaverat *Millius* ad hunc locum. Vide supra dicta *C. I. §. 6.* Eadem ratione *commata 37. & 38. in Evangelio S. Johannis C. VII.* perperam interpuncta sunt, ubi certè verba ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ necessario ad *comma 37.* pertinent. Quamnam interpunctionem Sociniani aliique hæretici ad *Rom. IX. 4.* ponant, satis notum est. Certè, quod miror, *Erasmus Roterodamus* post verba κατὰ σάρκα posuit τελείαν στιγμὴν, quâ ratione sensus verborum sequentium est exclamativus: *Qui est super omnia Deus, sit benedictus in secula*, ut adeo hæc doxologia ad solum Patrem sit referenda. Quidam hanc addunt rationem, *Ignatium* eos ut hæreticos condemnare, qui dicant, Christum esse ἐπὶ πάντων Θεὸν, quum Patri sit subordinatus. In *Epist. ad Tarsenses & Philadelphenses.* Sed *Ignatius* contra eos solùm agit, qui Filium eundem cum Patre esse ajunt. Vid. *Jo. Clericus* in *Arte critica Vol. 2. p. 314. 315.* quæ & conferri potest *p. 304. 305. Ephes. I. 4. 5.* communiter post ἐν ἀγάπῃ ponitur distinctio, & id quidem perperam, cum post κατενώπιον αὐτοῦ poni de-

be-

beat, verbis ἐν ἀγάπῃ ad *commma 5.* pertinentibus. Ita ex veteribus observarunt *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *atque etiam Hieronymus* licet dubius. Ex recentioribus verò *Budæus Matth. IX. 6.* delent parenthesin *Nortonus Knachtbullus* & *Samuel Petitus*, ponuntque post ἁμαρτίας & παραλυτικῷ comma, posterior quoque non τότε sed τό, τε legit, ut sensus sit: *hocce* dicit paralytico. Quod & adprobandum esse videtur. Vid. *Observat. L. III. C. IX. p. 367.* Refert *Claudius Sarravius*, Senator Parisiensis *Epist. 176.* possidere se venerandæ antiquitatis codicem, qui scripturæ speciem præferat ultra octingentos vel etiam mille annos exaratæ, & post vocem μαρτυρίαν *Apoc. XIX. 10.* ponat punctum, ita, ut sequatur, Ἰησοῦ τῷ θεῷ προσκύνησον. Ast & hoc contextui est contrarium, vox enim Ἰησοῦ necesse est, ut referatur ad μαρτυρίαν. Sed hæc ipsa quidem de interpunctionibus sufficiant vela dissertationis nostræ paululum contracturis. Nec opus quoque esse arbitramur, de recentioribus minoribusque interpunctionibus multa dicere & quandam earum farraginem, ubi perperam positæ sunt, excutere, nec examinare pessimam sæpe capitum commatumque distinctionem à *Stephano* factam, cujus, quod memoriæ nunc occurrit, dabimus unicum solum exemplum *2. Cor VI. 18*, coll. *2. Cor. VII. 1.* Recensuerat sub finem *Cap. VI. D. Paulus* insignem DEI promissionem Filiis novi Testamenti factam, quod velit *in iis habitare & ambulare, eorum DEUS & Pater esse, si e medio impiorum exeant ab iisque sese separent, impurumque non tangant.* Quod vaticinium desumserat ex *Jeremiâ.*

Huic

Huic verò statim subjungit Vir divinus hanc admonitionem: ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀγαπητοὶ, καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος. Quæ verba sanè immediate cum prolato vaticinio cohærent, nec ab eo separari possunt, quia admonitionem ex eo concinnatam continent. Duplex enim est, ut facile apparet, peccatum, quod Apostolus heic vitandum esse dicit Corinthiis, dum eos monet, ne jugum idem trahant cum infidelibus, μολυσμὸς σαρκὸς καὶ πνεύματος. Prior impuritas per fornicationem explicatur à *Paulo* in loco parallelo *1. Cor. VI. 15. 16. 17. 18. 19.* ubi ex eodem argumento, quia nempe Corinthii, ut sancti, sint templum Dei & Spiritus Sancti, heic *2. Cor. VI. 16.* etiam allato eos à fornicatione dehortatur. Posterior idololatriam designat. *Conf. 2. Cor. VI. 16.* Unde & idola ἀλισγήματα *impuritates* nominat Apostolus *Jacobus Act. XV. 20. 29.* in quo loco itidem παραλλήλως ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων significant μολυσμὸν πνεύματος, fornicatio autem ejusque suffocati & sanguinis μολυσμὸν σαρκός. Exstat quoque perversæ interpunctionis exemplum infra Cap. XI. §. 2. Cæterum de textibus N. T. per malam interpunctionem corruptis luculenter egere *Thomas Gatakerus* in *Adversar. Miscellan. posthum. C. XVII.* & *Paulus Bauldrius*, uti infra *C. XII. Can. XII.* indicabimus.

## CAPUT DECIMUM.

*Errores vel potius depravationes Criticorum recensentur. Hi glossas ad marginem positas textui perperam inseruere. Iidem malè omiserunt verba visa superflua textumque sæpius interpolârunt, imò & studio melioris connexionis verba aliquando perperam mutârunt.*

§. I.

ENumeravimus librariorum tum DICTANTIUM tùm SCRIBENTIUM errores, partim ex ignorantia eorum, partim ex incuria ortos, plurimarum certe corruptionum in codicibus novi Testamenti MSS. causas. Quamvis autem illi numero sint plures, superantur tamen eodem à depravationibus CRITICORUM, vel ignarorum, vel nimis audacium, vel certis quibusdam præjudiciis occupatorum. Nec negari potest, horum depravationes, si cum erroribus Librariorum conferantur, majoris omninò momenti esse. Agedum easdem sed breviter, recenseamus.

I.

CRITICI VEL ARTIS CRITICÆ HAUD SATIS PERITI VEL NIMIS AUDACES VEL INCURII ETIAM, DENIQUE PRÆJUDICATIS OPINIONIBUS IMBUTI PERPERAM GLOSSAS VETERUM AD MARGINEM SCRI-

SCRIPTAS TEXTUI INSERUERE. Hujus erroris infinita possemus exempla producere, si è re nostra id videretur. Sed seligemus potiora. *Matth. I. 22.* in codice Romano Leonis X. è margine in textum traducta esse verba: διὰ Ἡσαΐȣ τȣ̃ προφήτȣ haud male conjicit Millius, quæ ipsa interpolatio & in codice Cantabrigiensi exstat. *Matth. IV. 10.* in pluribus codicibus exstat: ὕπαγε ὀπίσω μȣ σατανᾶ. Sed illud ὀπίσω μȣ è margine in textum irrepsit. Eadem ratio est vocis εἰκῆ *Matth. V. 22.* quæ in vetustissimis MSS. codd. versionibus & Patrum scriptis non exstat sed è margine in textum translata est. *Matth. VI. 1.* pro voce δικαιοσύνην reposuerat quidam ad marginem ἐλεημοσύνην interpretationis causa. Hanc enim & Hebræum צדקה designat. Alius vero critici munus perperam sustinens transtulit in textum. *Marc. I. 16.* post vocem αὐτȣ̃ in quibusdam MSS. exstat τȣ̃ Σίμωνος. Id quod addiderat quidam explicationis causa ad marginem, ne *Andreas* frater Christi esse putaretur. *Marc. II. 17.* verba εἰς μετάνοιαν in margine relinqui debebant, ad textum non pertinentia, utpote in plurimis MSS. non inserta. *Marc. VI. 32. 33.* ex margine interpolata esse ad h. l. ostendit *Millius*, in quibusdam nempe codicibus. *Luc. VII. 16.* addunt quidam codices ad finem: εἰς ἀγαθὸν, quod sine ullo dubio erat glossema ad marginem scriptum. *Luc. XI. 2.* habebat *Gregorii Nysseni* codex: ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σȣ ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς. quæ verba nil nisi glossam referunt. *Luc. XXIII. 8.* post verbum ἱκανȣ̃ quidam codices interpretamenti gratia

 addi-

addidere χρόνȣ. Ita totum comma XXXVII. *Act. Apost. VIIII.* è margine in textum fuisse traductum putat *Millius fol. 340.* Habetur *Rom. XII. 13.* varia lectio haud parvi momenti. Legunt enim pro χρείαις quidam codices μνείαις, ubi *Millius* putat, χρείαις interpretationis causâ ad marginem olim scriptum postea textui insertum esse. *Gal. III. 17.* verba εἰς Χριςὸν in *Alexandrino* codice non exstantia ad glossemata pertinere idem *Millius* conjicit. Locum *Gal. IV. 24. 25.* per glossema quoddam in textum traductum vitiatum esse existimant Viri quidam doctissimi. Ita olim Interpres *Vulgatus*, *Hieronymus*, *Ambrosius* τὸ γὰρ Ἄγαρ volebant expunctum. Inter recentiores verò hunc locum à glossemate liberare conatus est Vir celeberrimus RICHARDUS BENTLEIUS, qui in *Epistola ad Jo. Millium* suffixa *Historiæ Chronicæ Jo. Malalæ p. 96. 97. 98.* eundem penitius explicat. Scilicet arbitratur, è regione verbi Σινᾶ *comm. 24.* adscripsisse olim quempiam explicationis gratiâ Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, & hæc verba, ut fieri solet in descriptione codicum MSS. textui postea inserta fuisse. Id quod admodum videtur esse probabile, licet nullus reperiatur codex MS. in quo ista deficient. Id verò maximè facit conjectura, quod τὸ post vocem συςοιχεῖ in pluribus codicibus MSS. non reperiatur, ut adeo textus *Gal. IV. 25.* secundum emendationem *Bentleji* ita habeat: ἅτινά ἐςιν ἀλληγορȣμένα· αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, μία μὲν ἀπὸ ὄρȣς Σινᾶ εἰς δȣλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐςὶν Ἄγαρ. Τῇ δὲ Ἄγαρ συςοιχεῖ ἡ νῦν Ἱερȣσαλὴμ, δȣλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. *Felicem* hanc nun-

nuncupat *conjecturam D. Millius in Prolegom. fol. 137. b.* ubi & ait: *Mihi certè tantopere placuit atque adhùc placet hæc lectio, ut absque unanimi codicum in altera ista lectione consensu foret, genuinam eam intrepide pronunciarem.* Ast paulo aliter pronunciavit Vir doctissimus, *Hermannus Witsius*, Theologus Belga olim celeberrimus, in *Dissertatione* ad hunc locum de *Monte Agar* longe elegantissima, contra *D. Bentlejum* conscripta, ubi nimiam esse audaciam asserit, contra omnium MSS. fidem textum novi Test. Græcum emendare. Sed hæc sufficiant de glossis marginalibus in textum intrusis, quarum majorum copiam dare noluimus, ut brevitati studeremus. Nunc ad alia.

## II.

CRITICI NIMIS AUDACES MALE OMISERUNT VERBA, QUÆ EXISTIMABANT ESSE SUPERFLUA. Ecce quædam hujus rei documenta. *Matth. V. 44.* verba εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, itemque καὶ διωκόντων ὑμᾶς in quibusdam codicibus non inveniuntur, quod visa sint superflua & ταυτολογίαν inferentia. *Marc. VII. 37.* omisit Scriptor Colbertini secundi verba τοὺς ἀλάλους, quia putarat, id voce κωφοὺς jam designatum fuisse. *Marc. X. 19.* non exstant in quibusdam codicibus verba μὴ ἀποστερήσῃς, quod idem signibcent cum μὴ κλέψῃς. *Luc. X. 22.* verba: καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε in pluribus codicibus MSS. sunt omissa, quia *commate 23.* repetuntur. Denique, ut

 alia

alia taceamus exempla, *Rom. I. 29. 30. 31.* variis in codicibus non reperiuntur voces alioquin huc pertinentes πορνία, πονηρία, φθόνου, δόλου, ἀσυνθέτους, ἀσπόνδους, quia visæ erant superfluæ. Digna tamen sunt ea, quæ adduximus, loca ulteriori consideratione.

III.

CRITICI REM HAUD BENE INTELLIGENTES PERPERAM ALIQUANDO TEXTUM NOVI TESTAMENTI INTERPOLARUNT EX LXX. INTERPRETIBUS, VETERI TESTAMENTO, LOCIS PARALLELIS, EVANGELIIS ALIIS, VULGATA, ANTECEDENTIBUS ET SUBSEQUENTIBUS. Primum ex LXX. Interpretibus. Ita *Matth. XXVI. 52.* pro voce ἀπολοῦνται plurimi codices habent ἀποθανοῦνται, quæ vox communis est LXX. Interpretibus. Eadem ratione *Rom. IX. 28.* ex LXX. interpolatum esse haud sine ratione credidit *Hugo Grotius*, quia γὰρ & ὅτι se invicem insequantur, de quo supra sententiam nostram diximus. Porrò ex vet. Test. asseruimus, criticos interpolâsse textum novi Test. Ita *Luc. IV. 18.* in pluribus codicibus non exstant verba: Ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, quæ ex vet. Test. hùc traducta censet *Hugo Grotius*. Locos quoque παραλλήλους affirmavimus fontes interpolationum à criticis factarum esse. Communis lectio in *Matth. IX. 13.* est: οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Ast verba εἰς μετάνοιαν in pluribus codicibus non exstant atque

ue videntur omninò ex locis parallelis huc trans
ata esse. Simili omnino ratione *Matth. XII. 35.* erba τῆς καρδίας ex loco parallelo inserta sunt. Maximè autem ex aliorum Evangeliorum collatione natæ unt infinitæ interpolationes. Exstat *Matth. XXIII.* 3. totum comma, quod plures MSS. codices omittunt, etiam ipse *Canon Eusebianus.* Unde facile patet, versum hunc huc non pertinere. Translatus autem huc est à librariis, qui unum vel alterum Evangelium describentes Harmoniam simul Evangelicam conficiebant, &, quæ in uno Evangelio deficere credebant, vel margini adscribebant vel ipsi textui inserebant. Notus quoque est hanc in rem locus *Matth. XXIV. 36.* ubi verba οὐδὲ ὁ υἱὸς in plurimis MSS. codicibus desunt, sine dubio ex *Evangelio S. Marci XIII. 32.* hùc traducta. Quod non intellexit *Christophorus Christophori Sandius*, homo Arianus, qui verba hæc ad ipsum textum pertinere putat in *Interpretat. Paradox. in Evang. Matth. p. 86.* quia legerit ea *Origenes Tract. xxx. in Matth. Hilarius Can. 26. in Matth. Chrysostomus* in *h. l.* denique *Auctor imperfecti Operis in Matthæum Hom. 50.* Scilicet fugerat hoc *Sandium* ipsosmet Patres ex aliis Evangeliis sæpe textum interpolasse, cujus rei infinita ferè exstant testimonia. *Marc. IV. 4.* τοῦ οὐρανοῦ post τὰ πετεινὰ ex *Luca* huc translatum est, uti ex MSS. codd. patet. *Luc. IV. 8.* verba ὀπίσω μου vetustissimæ membranæ non habent, ex *Matthæo* huc traducta *Luc. XVII. 35.* quidam codices habent: δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραληφθήσεται καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται. Sed in plurimis

rimis MSS. ista desunt, & ex *Matthæi* Evangelio huc transiere. Denique *Matth. XXV. 1.* post τῦ νυμφίυ exstat quoque in quibusdam Apographis καὶ τῆς νύμφης, quam lectionem adprobare videtur Vir Reverendus *Jo. Guilielmus Peterſenius*, *S. T. D.* in Commentario Germanico *de nuptiis Agni* ad *Matth. XXV.* Ast hanc additionem ex *Apocal. XXI.* à quibusdam factam omnino cum *Jo. Millio* existimaverim De interpolationibus ex versione vulgata infra in explicatione Canonum nostrorum criticorum dicetur latius. Ast exstant quoque interpolationes, uti diximus, ex antecedentibus & sequentibus. Ex antecedentibus quidem hæc habe exempla. *Matth. V. 18.* post ἀπὸ τῦ νόμυ quidam codices addunt καὶ τῶν προφητῶν ex commate præcedenti. *Matth. VI. 18.* communes editiones sub finem ponunt ἐν τῷ φανερῷ contra plerorumque MSS. fidem è superioribus. *Matth. VII. 19.* ὖν post πᾶν in quibusdam codicibus traductum est ex *Matth. III. 10.* *Marc. VI. 2.* in aliquibus Apographis exstant post ἐξεπλήσσοντο verba ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτῦ, ex *Marc. I. 22.* desumta. *Marc. XI. 10.* communiter legitur ἐν ὀνόματι Κυρίυ. Quæ verba ex commate præcedenti huc transiisse, plurimis codicibus ea nescientibus quis dubitaverit? *1. Cor. XII. 13.* mira lectionum occurrit variatio. Inter eas est, quæ pro πνεῦμα ponit πόμα ex *1. Cor. X. 4.* Interpolationum ex sequentibus hæc sunto documenta. *Matth. V. 10.* ita citat *Clemens Alexandrinus*: ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεῦ κληθήσονται, alii, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι, quæ traducta huc sunt ex sequentibus

*comm.*

comm. 9. & comm. 48. *Matth. V. 27.* τοῖς ἀρχαίοις communes habent codices. Id quod si MSS. codd. credendum, huc haud pertinet, ex sequentibus huc translatum. Sed hujus rei infinita fere exempla exstant. Nec existimo, necessarium esse, ut plura hoc de argumento verba faciamus.

IV.

CRITICI STUDIO MELIORIS CONNEXIONIS VERBA ALIQUANDO PERPERAM MUTARUNT. Non hoc sæpius factum. Exstat tamen exemplum *Luc. IV. 7.* ubi pro πάντα quidam MSS. codices habent πᾶσα. Crediderat quippe ineptus librarius, referri πάντα debere ad ἐξουσίαν in commate superiori. Unde factum, ut textum perperam inverteret. Huc referendus quoque est locus *Gal. II. 5.* ubi vide, quæ optimè annotavit *Joannes Millius.*

## CAPUT UNDECIMUM.

*Recensentur depravationes falsariorum & impostorum aliorumque. Hæreticos textum novi Test. corrupisse malè negat Millius. De Orthodoxorum mutationibus textui sacro allatis pauca adduntur.*

§. I.

ISta quidem sufficere possunt de erroribus CRITICORUM eorumque perversis corruptioni-

 bus

bus & interpolationibus. Nunc ut brevitati studeamus, ad FALSARIORUM ET IMPOSTORUM & aliorum quoque, quos nomine hoc insignire piaculum nobis est, depravationes enarrandas pergamus. Diversi autem isti generis sunt. Quidam malo animo textum novi Testamenti depravarunt, alii bono. Priores *hæreticos*, posteriores *orthodoxos* nominabimus. Hæreticos textum novi Testamenti corrupisse forsan quivis concesserit præter *Joannem Millium*, cujus singularem hâc in re opinionem supra observavimus. Posterius verò nemo forsan inter orhodoxos affirmaverit, etsi revera id contigisse, indubiis exemplis probare queamus. Nec enim historiæ veritas heic vel reticenda vel neganda est, sed, omni studio partium seposito dicendum, quod res est. Agedum, ab hæreticis faciamus initium, quorum omnes singulasque corruptiones quidem haud recensebimus, quippe quod infiniti laboris opus foret; nec instituto nostro satis conveniens. Adeant plenum heic calicem anhelantes *Richardum Simonem & Joannem Millium*. *Marc. XV. 14.* addebant in codicibus suis Hæretici, uti refert *Hieronymus*. *Et illi satisfaciebant dicentes: sæculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non finit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* *Marc. XV. 28.* exstat communiter μετ' ἀνόμων ἐλογίσθη. Eutychiani νεκρῶν, scilicet, ad hypothesin suam de phantastica Christi morte stabiliendam. Duo prima capita Evangelii S. Lucæ suo codice exesse jussit Marcion hæreticus, uti & *Luc. IV. 37. 38. 39.* ubi historia de Petri socru

sanatâ

anatâ continetur. *Luc. VIII. 19.* verba ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ expunxit Marcion, uti & *comm.29.* ubi solum posterius delevit hemistichion, )30. 31. 32. & initium *comm. 33. Luc. XI. Tom. IX. 5.* vocem θεὸς ii deleverunt hæretici, qui Christum Deum esse negavere. *Jud. vers. 4.* post vocem δεσπότην quidam θεὸν omisere inter hæreticos, quia de Christo contextus agit, eadem ex ratione. Sed haud opus est, plura hanc in rem satis ab aliis pertractatam enarrare. Unicum solùm adhuc adferre liceat hujus rei documentum. In *1. Cor. XV. 47.* ita legimus: ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Heic ὁ Κύριος translatum esse ex codicibus Marcionitarum concludere est ex *Tertulliani L. V. contra Marcionem C. 10.* aliisque scriptoribus veteribus. Sed ad alia progrediamur.

§. 2. Nunc de orthodoxorum corruptionibus aliqua sunt observanda, quæ toto cœlo ab hæreticorum depravationibus distant. Maximè autem apparent eæ iis in locis, ubi verba Virorum Sanctorum simpliciter intellecta articulum fidei ab Ecclesia creditum destruere videbantur. Ita *Marc. XIII. 32. Ambrosius* testatur, plures codices suo tempore non habuisse οὐδὲ ὁ υἱός, quæ scriptio tamen longè antiquissima est. Nec, ut credo, hæretici hæc verba ex iis codicibus expunxerant. Sed quod vix aliter fieri potuit Orthodoxi ipsimet, quia dictum hoc Arianis favere credentes arbitrabantur id delendum esse. *Luc. I. 35.* post γεννώμενον addidere

dere Orthodoxi ἐκ τοῦ contra plerorumque MSS. fidem, de qua interpolatione ita *Jo. Millius : Ex vetere interpretamento, quod videtur : ἵνα φύσει γεννώμενον ἐκ Μαρίας εἶναι πιστευθείη ( ut loquitur Athanas. ) non autem foras in virginem introductum, quod volebant Eutychiani.* *Luc. XIX.* refert Evangelista, Salvatorem Hierosolymas aspexisse & flevisse, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ. Ast *Epiphanius* in *Ancorato C. 31.* scribit. ἀλλὰ καὶ ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων, πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας. Ὀρθόδοξοι δὲ ( id quod nota bene, ne, quod supra posuimus, malitiose carpas ) ἀφείλοντο τὸ ῥητὸν, φοβηθέντες καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος καὶ τὸ ἰσχυρότατον. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἵδρωσε, καὶ ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡς θρόμβοι αἵματος καὶ ὤφθη ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν. Huic testimonio quid contradici queat, ego sanè non video, etsi malit *Millius* eadem potius ad ultima verba quam ad priora referre, contradicentibus tamen hîc Viris doctis. *Luc. XXII. 43.* exstat: ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἐνισχύων αὐτόν. Hoc comma etsi genuinum omittit codex Alexandrinus cum aliis pluribus, eandem sanè ob rationem, quoniam putaverant quidam ex orthodoxis, deprimi deitatem Christi, si talia infirmitatum documenta de ipsâ queant recenseri. Sæpe etiam in recensionibus Chronologicis, quæ difficultatem quandam secum ferunt, videmus quædam vel corrupisse vel transposuisse eos, qui nolebant,

ebant, ut fides Scriptorum in dubium traheretur. Exstat *Act. XIII. 19. 20.* juxta communem interpunctionem: καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς. Quæ si, prout jacent, intelligantur, contradicunt utique Chronologiæ veteris Test. Unde aliter codices alii, maximè *Alexandrinus*: αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. Sed quid quæso hac corruptione opus erat? Posito enim post ταῦτα & πεντήκοντα puncto, omnia benè fluunt, uti *Millius* accuratè observavit.

§. 3. Reperiuntur quoque hujus generis corruptiones à Viris orthodoxis factæ ex inani quadam subtilitate. Asserit Paulus: Christum apparuisse post resurrectionem τοῖς δώδεκα. *1. Cor. XV. 5.* Ast aberant isto tempore *Judas* & *S. Thomas.* In quibusdam igitur codicibus propter absentem *Judam* scriptum fuit ἕνδεκα, ne scilicet mendacii argui queat Scriptor sacer, quum quivis tamen videat, συνεκδοχικῶς heic scripsisse Apostolum. Meretur quoque observari locus *Ebr. II. 9* ubi de Christo ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Aliqui verò codices habent χωρὶς Θεοῦ, quæ verba ab orthodoxis quibusdam ita inversa fuere contra *Patripassianos*, quos vocant. Primus, qui ita legit, fuit *Origenes T. I. in Joh. f. 38.* Optimè ita *Millius*: *Illud enim planè videtur, studiosum aliquem, ne*

*passio*

*passio fuisse Deitatis putetur, ut Vigilii verbis utar adnotasse ad marginem libri ὀρθοδοξίας causa χωρὶς Θεοῦ, quo denotaret nempe, passionem hanc spectasse humanum assumtam duntaxat, non autem divinam Christi naturam. Scholion autem hoc vis est, quam ut in contextum arripuerint scribæ, &* quæ sequuntur. Non agemus nunc de frequentissimis orthodoxorum interpolationibus, quas ex consuetudine recitationis Ecclesiasticæ & Evangelistariis in suos codices transmisere. Num huc pertineat Doxologia Orationis Dominicæ, aliis utique judicandum relinquimus. Suppetunt autem nobis hanc in rem exempla alia plurima, nempe *Matth. I. 18. III. 11. V. 27. VI. 13. 22. XXVIII. 20. Luc. I. 42. XXIV. 53. Joh. XVII. 11.* quæ luculentius deduxit atque explicavit *Millius.* Cur *Luc. X. 21.* loco τῷ πνεύματι codices quidam habeant τῷ ἁγίῳ πνεύματι, egregiam nobis rationem dat *Hugo Grotius*, quoniam fuerint inter veteres, qui crediderint, vocem πνεῦμα cum articulo τὸ semper Spiritum S. designare, uti existimavit quoque *Didymus.* Unde ad meliorem explanationem eos addidisse heic ἁγίῳ. *Luc. XXII. 36.* mandavit Christus, ut vendant discipuli vestimentum & emant gladium. Hoc, quum παράδοξον quibusdam visum esset, futurum tempus substituerunt, & pro πωλησάτω dixere πωλήσει, uti pro ἀγορασάτω ἀγοράσει. *Joh. X. 8.* nescio, cur veterum quidam expunxerint πρὸ ἐμοῦ, nisi quod existimaverint, positis hisce verbis verum esse id, quod Manichæi de Prophetis V. T. pronuncient sequela hoc ex loco facta, eos à Deo missos

non

non esse. *Jac. II. 18.* pro voce ἐκ quidam codices MSS. habent vel ἐκτὸς vel χωρὶς, quod ita mutârunt quidam orthodoxi, ne *Jacobus* à *Paulo* dissentire videretur.

§. 4. Nec interpolationes solum sed & omissiones inveniuntur à præjudicatis orthodoxorum opinionibus ortæ, eorum nempe verborum, quæ articulum fidei communiter creditum destruere videbantur. Ecce duo ex Evangelistis exempla. *Matth. I. 18.* omittuntur in quibusdam codicibus hæc verba: πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, & *l. c. com. 25*, codex *Barberinus 1.* non habet αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, ne suspicarentur quidam, Mariam Virginem non mansisse. *Marc. VIII. 31.* prædixit Christus, se resurrecturum μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Quod quum non factum esse quidam existimassent, cum tertio die resurrexerit optimus Salvator, perperam posuere ἐν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Ut taceamus, textum sæpe ab orthodoxis commutatum fuisse ad tollendas difficultates, quas communis lectio habere videbatur & majorem evidentiam. Ita *Matth. II. 6.* habet codex Romanus: μὴ ἐλαχίστη εἶ; quod interrogativè positum est. Quâ ratione omnino conciliari *Matthæus* cum *Micha* potest. Sed magis placet *Eduardi Pocockii*, Viri summi, sententia, qui demonstravit, vocem צעיר in Ebræo occurrentem non parvum solum & magnum & illustrem denotare, quam sententiam postea secuti sunt multi Viri doctissimi. *Luc. VII. 2.* in codice Cantabrigiensi pro δοῦλος exstat παῖς, scilicet, ut Centurionis non servus sed filius hîc intelli-

telligatur & *Lucas* concilietur cum *Joanne*. Eadem ratione *Luc. II.* 22. pro αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν vocem posteriorem mutarunt quidam perperam & contra cæterorum MSS. fidem, in αὐτῆς, ne imparitas cum Maria Christo quoque adscriberetur. *Joh. VII.* 8. uti infra Canone decimo demonstrabimus, genuina lectio est: ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. Ex quibus verbis cum Porphyrius Christum calumniaretur de mendacio, orthodoxi οὐκ mutarunt in οὔπω. Id quod fieri haud debebat. De studio ἀνθολκῆς & contentionis veterum Patrum non est, quod multa dicamus. Plura enim in textu ob id mutarunt sæpius, εἰς τὸ τῇ ὑποθέσει δουλεύειν. Hoc si quis credere non velit, legat verba *Hilarii Diaconi* à *Simone H. C. Text. N. T. C.* 29. *p.* 352. citata: *Quod fecit studium contentionis. Quia enim propria quis auctoritate uti non potest ad victoriam, verba legis adulterat.* Ita, ut cultus Spiritui S. quà Deo debitus contra Macedonianos aliosque probaretur, *Phil. III.* 3. pro Θεῷ quidam Patrum posuere Θεοῦ, ut exstet πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες *Spiritui Dei servientes*. Dignus etiam est, qui addatur, locus *Rom. V.* 14. ubi vox μὴ ab *Ambrosio* aliisque omissa est, ne videatur Apostolus scribere, imputatum iis quoque Adami peccatum esse, qui non peccaverant. Sed contextus ipse voculam μὴ requirit. Vid. *Jo. Clerici Ars Critica Vol. II. p.* 302. *sqq.* Hac ratione & καὶ πυρὶ omissum à plurimis Patribus *Matth. III.* 11. ne ex hoc loco argumentum ii deducere possent, qui post

βαπτι-

βαπτισμὸν ustionem usurpabant, vel adpareret ναντιοφανὲς, scilicet, baptismum aqua & igne simul ieri debere. Quinimo orthodoxi, ut veteres hæ-eticos Jesum à Christo separantes eò majori cum eritatis specie refellere possent, 1. *Joh. IV.* 2. verbis ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθό-τα supposuere, ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, uti ex loco *So-ratis* adparet, capite sequente, canone I. citando. Addit hisce locum *Joh. III. 6. Richardus Simon*, n quo ait Catholicos contra fidem MSS. codicum Græcorum addidisse: *Quia Deus Spiritus est.* Vid. *Hist. Crit. Text. N. C. XXIX. p. 356.* & confer ea, quæ supra ex *Grabii not. ad Bulli Defens. fid. Nic.* *p. 139.* recensuimus. Ast pessimè ii faciunt, qui lo-cum *1. Joh. V. 7.* ab orthodoxis vel etiam ab Arianis additum esse credunt, quod miror, credidisse *Hug. Grotium* in *Annot. in 1. Epist. Joann.* ab ipso etiam *Simone* hîc refutatum *l. c. p. 352. 353.* qui posterior, ubi de corruptis ex orthodoxorum audacia codicibus loquitur, magna erga eos modestia utitur, nec su-stinet, falsariorum & corruptorum titulo eos in-signire, in *Diss. Crit. de MSS. N. T. p. 48. 50. 62.* *sqq.* Quæ *Origenes* in N. T. codicibus emendare conatus est, vel potius contra omnium MSS. fidem corrupit, idem recenset *Simon in Hist. Crit. com-mentat. novi Test. C. III. IV. p. maximè 53. 54. 69. 70.*

§. 5. Possent utique hanc in rem plura eademque haud parvi momenti adferri. Sed non opus esse ar-bitrorr, huic argumento immorari diutius. Uni-cum tamen adhùc exemplum adferemus, ex quo cor-ruptionem codicum novi Testamenti ab ipsis ortho-

doxis aliquando factam arguit Vir perspicacissimus HUGO GROTIUS cum paucissimis aliis. Videtur sub finem *Cap. XX.* in *Evangelio Johannis* finis recensioni impositus, quum scribat Apostolus: *Alia quoque signa fecit Jesus coram discipulis suis, quæ non scripta sunt in libro hoc.* Hisce enim verbis innuere vult Auctor, quod ultra in relationibus suis non progredi sed pedem heic sistere velit. Accedit, ea, quæ *Cap. XXI. comm. 24.* scripta sunt, à *S. Joanne* scribi haud potuisse. Ibi enim hæc leguntur: *Hic est discipulus ille, qui testatur de his & hæc scripsit, & nos scimus, quod verum sit ipsius testimonium.* Quæ sanè *S. Johannes* de seipso scribere non potuit, nec sibi ipsi perhibere testimonium. Unde sic existimat *Grotius*: *Sicut caput ultimum Pentateuchi & caput ultimum Josuæ post Mosis & Josuæ mortem additum fuerit à Synedrio Hebræorum, ita & caput hoc XXI. post mortem Joannis additum esse ab Ecclesia Ephesina*, maximè, ut ostenderetur complementum prædictionis Christi de morte Joannis naturali, quam verbis Salvatoris malè intellectis ipsi quoque discipuli fore negabant *comm. 23.* Vide ipsius *Annot. ad Joh. XX.* 30. Eandem ferè opinionem defendere videtur Vir clarissimus *Jo. Clericus* in *Biblioth. Univers. V. XII. p. 437. 438.* & in *notis* Gallicis ad *Joh. XX. 23. 34.* ubi eam quoque rationem adfert, *comma 24. Joh. XX.* valde diversum esse à *commate 35. C. XIX.* ubi *Johannes* de se scribat, recensionem, quam det, eam ob rem fide dignam esse, quoniam viderit ipsemet, quæ referat. Ast refutat hanc *Grotii* sententiam omni, quo potest, ardore *Rich. Simon* in *Histor. Crit. Text. novi Test. C. XIII. p. 151. 152.* licet argumenta,

quæ

uæ opponit, haud magni ſint momenti. Ait enim
ı veteri quidem Teſtamento obligatos fuiſſe ſcribas
ublicos ad continuandam Moſis & Joſuæ hiſtoriam
ıortemque horum Virorum poſt eorum fata deſcri-
endam. At hoc de Eccleſia Epheſina dici non poſſe.
ed quonam, quæſo, argumento ſcribas iſtos publicos
emonſtraturus nobis eſt *Simon*? Et quid vetat, quo
ıinus ſua ſponte caput iſtud XXI. ad dere potuerint
ccleſiæ Epheſinæ Antiſtites, in qua Autographum Jo-
annæum usque ad Secul. III. delituiſſe vetus traditio
ert? Duo ſunt, quæ addit Vir doctus: forſan recenſio-
em cadite XXI. exſtantem fuiſſe transpoſitam & *S.*
*ohannem* ordinem in Evangelio ſuo non obſervare.
rius, quum nullum afferat codicem MS. in quo
lius ordo reperiatur, nullius eſt momenti. Poſte-
us vero hûc non ſpectare videtur. Conceſſo enim
uod ſane nunquam conceſſerim, maximè ubi error
poſtolo adſcribitur, quod hîc facit *Simon*, *S. Jo-*
*nnem* ordinem in recenſionibns ſuis non obſerva-
:, non tamen hoc inde fluit, ut dicas, Apoſto-
ım epilogum prius libro addere, quam finem re-
enſionibus. Quod ſanè non ſolum eſt ordinem
on obſervare, ſed debilitatem quoque judicii ar-
uere videtur. Quicquid autem hujus ſit, cum ſive
elatio C. XXI. contenta ipſius *Johannis* ſive potius
ccleſiæ Epheſinæ eſſe exiſtimetur, fides non
ædatur, & nonniſi conjecturis heic agatur, judi-
ium benevolo lectori permittimus. Atque ita, DEO
ante, originem variantium novi Teſtamenti lectio-
ıum demonſtravimus. Nunc ad canones criticos
rogrediendum eſt, ubi, qua ratione lectiones
enuinæ à ſpuriis ſint diſcernendæ, pro ea,

M 2 quam

quam institutum nostrum requirit, brevitate explicabimus.

## CAPUT DUODECIMUM.

*Heic recensentur Canones critici, quibus genuina lectio investigari queat. Id quod fieri debere ostenditur ex codicum MSS. maximè vetustiorum, versionum antiquissimarum, & allegationum in SS. Patrum scriptis occurrentium collatione, itemque ex contextu textuque Hebræo veteris Testamenti & versione quoque LXX. Interpretum, totoque vet. Test. Additur, lectionem in speciem absurdam non statim rejiciendam, nec eam, quæ in hæreticorum spuriis Evangeliis vel scriptis exstat, peti quoque hanc in rem subsidium posse ex divisione librorum sacrorum V. T. apud Judæos usitata. Denique agitur de conjecturis & emendationibus Virorum doctorum, quas ad feliciter explicandum N. T. adhibuere. Dissertationem claudit Epilogus, ubi præjudicatæ in hoc argumento opiniones denuo refutantur.*

QUod itaque felix faustumque sit, explicata errorum, qui in codicibus novi Testamenti occurrunt, origine, ostensisque eorundem fontibus, canones criticos nunc damus, quorum ope genuinæ

nuinæ lectiones indagari atque a ſpuriis diſcerni queant. Ubi id ſolum monendum eſt, Canones hoſce non ubique & ſemper valere, ſed reſtrictiones ſuas limitesque utique admittere, quum in re critica pro certitudine id ſumi debeat, quod eſt maximè probabile.

## CANON PRIMUS.

GENUINAM LIBRORUM NOVI TESTAMENTI LECTIONEM OSTENDUNT CODICES MANUSCRIPTI, ITA TAMEN, UT LECTIO VETUSTIORUM MELIOR EXISTIMARI DEBEAT LECTIONE RECENTIORUM, LECTIO ITIDEM PLURIUM MELIOR LECTIONE PAUCIORUM. Hunc canonem ipſa præſentis argumenti natura requirit atque indoles. Qui veritatem rei alicujus indagare conatur, plurium teſtimonia magis reſpicit quam pauciora. Et, qui fidem facto alicui hiſtoricam dat, iis maximè credit, qui id deſcripſere, vel ut αὐτόπται vel temporibus, quibus ea geſta ſunt, ſaltem propiores. Cui id accedit, vetuſtiſſimos codices MSS. nondum ut recentiores, tam interpolatos atque corruptos fuiſſe communiter credi. Sed agedum, exemplis canonem noſtrum illuſtremus, ut, quod poſuimus, ex iis auctoritatem indubiam nanciſcatur. *Matth. I. 23.* Codex Italicus à *Stephano* collatus, itemque Cantabrigienſis habent: Καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. Atque ita in Hebræo quoque textu invenimus. *Eſai VII. 14.* Ibi enim legitur וקראת Aſt contradicunt omnes alii codices, verſiones & S. Patrum allegationes, ita, ut *Chryſoſtomus* diſer-

tis verbis scribat: ὀκ εἶπε καλέσεις ἀλλὰ καλέσουσιν. Unde omnino concludimus, receptam lectionem καλέσουσιν in autographo *S. Matthæi* exstitisse. *Matth. II. 11.* communis ita fert lectio de Magis ex Oriente venientibus: Καὶ ἐλθόντες τὴν οἰκίαν εὗρον τὸ παιδίον. Ita legit quoque Epiphanius & Interpres Vulgatus. Ast codices MSS. omnes habent εἶδον, ut non sine causa miretur *Millius*, qua ratione hæc lectione εὗρον in omnes impressos irrepserit. *Matth. XXV. 29.* exstat in quibusdam codicibus: ὃ δοκεῖ ἔχειν. At plures habent ὃ ἔχει secundum lectionem communem, quam, quia aliqui dissentiunt codices, eapropter spuriam esse nemo adfirmaverit. *Marc. II. 2.* legimus communiter: Καὶ εὐθέως συνήχθησαν, quæ plurium MSS. auctoritate confirmatur lectio. Ast quidam codices vocem εὐθέως omittunt, iique recentiores, quorum sanè auctoritas codici Alexandrino & Cantabrigiensi vix comparanda est, ut mirer, *Millium* hîc vocem εὐθέως in textum immissam statuisse. *Marc. III. 29.* ita vulgo habent codices: ἔνοχός ἐστι τῆς αἰωνίου κρίσεως. Ast in aliis legitur ἁμαρτίας, ἁμαρτήματος, κολάσεως, quæ voces nec contextui congruunt, nec optimæ notæ MSS. aliis sunt opponendæ, unde non est, quod lectionem ἁμαρτίας heic genuinam esse putet *H. Grotius*. *Marc. V. 15.* memorat Evangelista, visum à populo τὸν δαιμονιζόμενον, τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα. Hæc posteriora verba omittuntur in paucissimis codicibus. At in omnibus aliis exstant, eamque ob rem ad tex-

tum

tum pertinere cenſenda ſunt. *Marc. VII. 26.* occurrit magna variantium lectionum farrago ad vocem Συροφοίνισσα. Heic enim vel Συροφοινίκισσα vel Συροφοινικίσση vel Σύρα Φοινίκισσα vel Σύρα Φοίνισσα alii codices legunt. Tutiſſimum autem eſt optimumque, codices MSS. plures heic ſequi, qui habent Συροφοίνισσα. Eadem ratione de varia vocis Δαλμανουθὰ *Marc. VIII. 10.* ſcriptione eſt judicandum. Hanc plures MSS. cod. iique vetuſtiſſimi præferunt, cùm pauciſſimi vel ὅρια Μαδεγαδὰ vel Μαγεδὰν vel Μαγδαλὰ vel Μαγδαλὰν habeant. *Marc. XIV. 70.* Petrum Chriſtum abnegantem ita alloquuntur adſtantes: Γαλιλαῖος εἶ καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει. Poſteriora verba omittunt codices Cantabrigienſis & primus ex Barberinis, contra cæteriorum omnium fidem, quæ ſarta tectaque heic conſervari debebat, licet *Eraſmus* & *Zegerus*, obſervante *Millio*, ipſa hæc verba ad textum haud pertinere nimis audacter adſerant. *Luc. XVIII. 14.* magna occurrit lectionum diverſitas. Communis lectio eſt: ἢ ἐκεῖνος, quam & codices quidam confirmare videntur. In aliis exſtat παρ᾽ ἐκεῖνον, vel μᾶλλον παρ᾽ ἐκεῖνον τὸν Φαρισαῖον, vel etiam μᾶλλον αὐτοῦ, ita enim *Origenes* legit. Aſt plures codices habent: ἢ γὰρ ἐκεῖνος, quos ſequi quid eſt quod vetet? *Act. XV. 20. 29.* juſſu Concilii Hieroſolymitani injungitur Chriſtianis ex gentibus converſis, ut abſtineant *à ſuffocato*. Sed voces καὶ τοῦ πνικτοῦ omittit Codex Cantabrigienſis, non diſſentientibus ſanè pluribus veteris Eccleſiæ Patribus, ſed quorum, uti arbitror, auctoritas communi codicum

MSS. consensui opponi nequit. *Rom. I. 32.* verba ultima hoc modo leguntur: οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Paucissimi codices MSS. aliter ponunt, hunc ferè in modum: οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, οὐκ ἐνόησαν, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον δὲ οἱ ποιοῦντες αὐτὰ ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες τοῖς πράσσουσι. Imo eligendam quoque hanc lectionem, reprobata communi, esse censet *Joannes Millius*, maximè, cum auctoritate Patrum plurimorum sit firmata. Vide ipsius *not. Crit. f. 422. 423.* Sed satius est, codices MSS. heic sequi, quibus communis est hæc lectio, atque ita comparata, ut textui Apostolico maximè congruat. *Rom. VII. 6.* exstat: ἀποθανέντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα, quo loco asseritur Christianorum libertas, & exemtio à servitute legis, quæ in veteri Testamento erat, ut adeò vox ἀποθανέντες ad vocem κατηργήθημεν referenda sit. In aliis tamen codicibus legitur pro ἀποθανέντες vel τοῦ θανάτου, quæ vox respicere debebat ex mente corruptoris ad vocem præcedentem τοῦ νόμου, vel ἀποθανόντος, ut significaretur, abdicatum fuisse id, in quo continebamur, utrumque perperam. Lectio enim illa ἀποθανέντες fide omnium ferè codicum MSS. confirmatur. In eodem capite *com. 25.* ita, quæ de legibus mentis & membrorum sibi invicem adversis dixerat, finit Apostolus: εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ. Ita sanè codices MSS. omnes, paucissimis exceptis,

in

in quibus vel χάρις ᾗ τῷ Θεῷ vel quod nullum heic ſenſum fundit, χάρις τῦ Θεῦ exſtat. Differuimus ſupra de loco *Rom. V. 14.* ubi particulam negativam μὴ quidam Patres omiſere, ſed quorum errorem codicum MSS. conſenſus facilè detegit. Hæc, ut arbitror, canonem noſtrum ſatis confirmant ſuperque. Unicum adhuc eſt, quod addimus, exemplum. *1. Joh. IV. 2. 3.* communis eſt lectio ἐληλυθότα, quam plurimi codices MSS. exprimunt per ἐληλυθέναι ſed numero iſtis inferiores. Porrò pro verbis: ὁ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησῦν Χριςὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα codices antiquos habuiſſe ὁ λύει τὸν Ἰησῦν tradit *Socrates Hiſt. Eccl. L. VII. C. 32.* ſed hæc lectio & codicibus MSS. noſtro tempore exſtantibus eſt contraria, &, uti ſupra obſervavimus, originem debet zelo orthodoxorum cauſæ ſuæ haud optimè conſulentium, qui textum Johannis mutarunt, ut his verbis ſuppoſitis, eo melius *Cerinthianos* & *Ebionitas* refutare poſſent, qui Jeſum à Chriſto ſeparabant, uti egregiè obſervavit *Joannes Millius* in *not. crit. ad h. l. fol. 735. 736.* Quod ſi autem ita eſt, uti demonſtravimus, in genuinis lectionibus inveſtigandis plurimum reſpiciendum eſſe ad ipſos codices manuſcriptos, eæ lectiones omnino repudiandæ ſunt, quæ nullibi in cod. MSS. reperiuntur. Hoc ex argumento, ut exemplum adferamus, rejicienda eſt *Scaligeri* lectio *Marc. IX. 49.* ubi pro πᾶς γὰρ πυρὶ contra omnium codicum fidem legit πᾶσα γὰρ πυρὶα. Ita & *Act. IX. 29.* poſt ἐλάλει τε addunt Vulgatus & Æthiops

thiops : *cum gentibus* , quæ verba huc non pertinent itidem in nullo codice MS. hactenus reperta. Sed hæc ad canonem primum sufficiant.

## CANON SECUNDUS.

VERSIONES LIBRORUM NOVI TESTAMENTI ANTIQUISSIMÆ GENUINAM INTER VARIANTES LECTIONEM SÆPIUS OSTENDUNT, NISI ALIÆ SINT RATIONES, EX QUIBUS PATEAT, INTERPRETEM PECCASSE. Ratio hujus canonis perspectu facilis est. Quum enim versiones vetustissimæ, quales sunt Italica & Syriaca, ex antiquissimis probisque MSS. & Apographis expressæ sint. utique ex versionibus hisce lectiones vetustissimorum codicum adeoque & genuinæ dijudicari & investigari possunt. Faciamus hujus rei periculum. *Hebr. XII. 20.* allegat Apostolus locum *Exod. XIX. 12. 13.* hisce verbis: κἂν θηρίον θίγῃ τοῦ ὄρους, λιθοβοληθήσεται ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται. Posteriora verba etsi in codice Ebræo extent, omittuntur tamen in quibusdam N. T. codicibus atque etiam desiderantur in Alexandrino, in aliis verò exstant, ita ut ex codicibus manuscriptis nil ferè hîc concludere possimus. Ast dirimunt controversiam hanc versiones Vulgata, Syriaca, Arabica & Æthiopica, in quibus hæc verba desunt, atque eapropter neque in Autographo Apostolico extitisse sunt existimanda. *Jac. V. 12.* communis habet lectio: ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. At versiones citatæ lectionem arguunt fuisse ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε, quam aliqui etiam codices MSS. confirmant.

firmant. Supra de loco *Rom. V. 14.* luculenter disseruimus, ubi particula negativa *μὴ* à plurimis Patribus est omissa. Ast, quum eam retineant versiones omnes antiquissimæ, non dubitandum est, eam ad textum pertinere. *Luc. IX. 23.* exstat inter mandata à Christo data: *ἀράτω τὸν ςαυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν.* Sed plures codices omittunt *καθ' ἡμέραν*, quod versiones tamen antiquissimæ retinent. Eodem in capite petunt discipuli à Christo, ut ignem de cœlo mittat contra Samaritas, *ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε.* Sed hæc verba in pluribus codicibus MSS. non inveniuntur. Exstant tamen in vetustissimis versionibus omnibus, quæ omnino arguunt, lectionem hanc esse genuinam. Duo adhuc sunt, quæ addenda esse videntur; exempla, & quidem ex utraque Petri Epistola. *1. Petr. V. 13.* exstat: *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή.* Facile patet, vocem heic esse supplendam. Itaque uxorem *Petri* hic indigitari arbitratus est *Millius* in *not. Crit.* ad *h. l. fol. 718.* Quod nec probabili saltem ratione confirmare potuit. At vocem *ἐκκλησία* ante vocem *συνεκλεκτὴ* positam observare est non in MS. solùm codice *Lincolniensi* licet ad marginem annotatam, non solùm apud *Oecumenium*, sed & in omnibus versionibus antiquissimis novi Test. Hac tamen de lectione penes alios esto judicium. Ita & *2. Petr. II. 2.* legimus: *καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀπωλείαις.* Quid *perditiones sequi* heic sit, non sine causa miratus est *Estius.* Quidni satius fuerit, legere *ἀσελγείαις*, quæ lectio, quum plurimorum cod. MSS. sit, secundum versiones quoque antiquissimas

ſimas eſt eligenda. Dum tamen hîc de lectionibus genuinis ex verſionibus N. T. repetendis diſſerimus, benè obſervandum eſt, tantam eis auctoritatem tribui non debere, quæ codicibus MSS. tribuenda eſt. Perperam eapropter fecere ii inter Pontificios critici, inter qnos maximè nominandus venit *Jo. Morinus*, Vir doctiſſimus, qui codices Græcos ad verſionem vulgatam examinavere, & quod mirandum eſt, nunc ita interpolatam, ut, quæ genuina veteris illius Italicæ lectio ſit, non amplius dijudicari queat. Multi ſanè hinc errores nati, atque in communes etiam editiones irrepſere. *Matth. VII. 2.* vulgò legitur, ἀντιμετρηθήσεται. Vulgatus *remetietur*, ad quam vocem vel librarii codices ſuos Græcos corruperunt vel editores primi perversè emendaverunt. Legendum enim eſſe μετρηθήσεται oſtendit codicum MSS. cæterarumque verſionum antiquiſſimarum conſenſus. Eadem ratione *Marc. X. 50.* pro ἀναςὰς quidam codices habent ἀναπηδήσας, quæ lectio vulgatæ originem debet, eapropter repudianda. Ita & *Marc. XV. 8.* optimæ notæ codices habent: καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος. Alii ἀναβὰς, uti Vulgatus, ex cujus verſione ita ſcripſerant ſed perperam librarii. Sed hæc luculentius explicare non opús eſt. Supra enim de codicibus novi Teſt. manuſcriptis cum diſſereremus, varios ad vulgatam exactos atque corruptos fuiſſe affirmavimus, nec diſſimulant ſanè Viri doctiſſimi. Certe ita exiſtimavit olim & *Eraſmus & Hugo Grotius*. Inter recentiores *Joannes Millius* plurimis in locis id luculenter demonſtrat. Hujus etenim commatis fuere codices illi, quos *Petrus Fagiardus*, Marchio Veleſius, contulit, & quo-

& quorum plures ipſi ſuppeditaverat Bibliotheca D. Laurentii Hiſpanica, licet, ubi codices iſti delitèſcant, cum inquiſiverit *Amelotus*, verſionis novæ Gallicæ conditor, deprehendere non potuerit, memorante *Simone* in *Hiſt. Crit. Teſt. N. T. C. XXIX. fol. 347.* qui item diſſimulare non potuit, codices quosdam Græcos ad vulgatam emendatos vel potius corruptos fuiſſe, quia librarii Græcum textum deſcribentes ob oculos poſitam ſimul habuerint vulgatam verſionem. Vide *Sainjorii Biblioth. Crit. T. I. C. 18. p. 276.* & maximè *Hiſt. Crit. Text. N. T. C. XXX. p. 360. ſqq.* etſi id negare rurſus videatur in *Diſſert. Crit. de MSS. N. T. p. 12.* De corrupto illo *Bezæ* codice, qui Cantabrigiæ adſervatur, ſupra idem memoravimus. Correcti quoque ad vulgatam fuere plures *Stephanici* codices, maximè verò *Romanus* ille, cujus mirus cum vulgata conſenſus eſt, itemque *codex* ille ex Inſula Rhodo allatus, de quo ſupra quoque quædam diximus, atque etiam alii. Quæ licet ita ſint, non tamen negandum eſt, ex verſione vulgata genuinam lectionem aliquando posſe reſtitui. Oſtendit id *Rich. Simon* variis exemplis in *Hiſt. Crit. Text. N. T. C. XXIX. p. 353. ſq.* Ita *Joh. VII.* communis lection eſt: οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Vocem verò ἅγιον omittunt Vulgatus & Syrus itemque Patres multi. Unde eam ex interpretamento natam ſuſpicantur Viri doctiſſimi, ſed quibus hiſce in locis conjecturas ſuas lubenter relinquimus. Sed ex hoc id ſaltem patet, verſionem vulgatam non, uti à multis fit, nihili habendam vel plane rejiciendam eſſe, quod oſtendit luculenter *Joannes Boiſius*, Canonicus, dum viveret, Elienſis

in

in Anglia in eruditiſſima *collatione veteris Interpretis cum Beza aliisque recentioribus in Evangeliis & Actis Apoſtolorum Londini A. 1655.* edita.

## CANON TERTIUS.

ALLEGATIONES SS. PATRUM SÆPIUS OSTENDUNT GENUINAM LECTIONEM. Hic Canon non valet, niſi adhibitis certis cautelis. Supra enim capite primo, quid de allegationibus Patrum exiſtimandum ſit, luculenter oſtendimus, atque luculenter etiam oſtendit *Joannes Crojus* in *Sacris & Hiſtoricis in novum Fœdus Obſervationibus C. XVI. & ſeqq.* Nec diffitendum, *Jo. Millium* nimium ſæpius allegationibus veterum tribuiſſe. Aliam certè ut ingrederetur viam, monuerat eum *Jo. Fellus*, Epiſcopus Oxonienſis, uti videre eſt ex *Prolegom. novi Teſt. fol. CLXII. col. 2.* cum allegationes Patrum ſæpe ex Evangeliis Apographis, ſæpe ex traditione dictorum quorundam, ſæpe etiam ex memoria factæ ſint, nec verba ſed rem ſolam in S. codice deſignatam repræſentent. Nec video, quâ ratione allegationes ſpuriæ in Patrum ſcriptis exſtantes à genuinis diſtingui queant, niſi in auxilium adhibitis MSS. codicibus atque verſionibus, queis tutius heic inniti poſſumus. Etenim neque ex ſtylo Scriptorum ſacrorum neque ex collatione allegationum veterum ſemper judicium de genuina lectione dare quis poterit, maximè, ubi variatio unius ſolùm in vocis deſcriptione deprehenditur. Nihilominus tamen Vir clariſſimus *Jo. Clericus* in literis ad *C. Junium Optimianum* ſub finem ita ſcribit: *Hæc ſi accurate obſerventur, lectiones veteres & veræ,*

mi

*mi Optiniane*, *è ſcriptis Patrum*, *præſertim antiquiorum* (Atqui antiquiſſimi Patres longe perverſius textum ſacrum allegant, quam recentiores, memoria ſæpius falſisque Evangeliis decepti, uti ſupra Cap. I. oſtendimus) *non minus haurientur & confirmabuntur, quam ex codicibus manu exaratis, qui ſuperſunt; nec periculum ullum erit, ne memoriæ fallentis ludibria aut interpretamenta ſeu inania illa ſint ſeu vera, pro variis lectionibus habeantur.* Quod luculentius ſe demonſtraturum promiſit Vir celeberrimus in opuſculo *de citandis Veteribus ad teſtimonium dicendum* concinnando, quod, ut propediem luci publicæ exponatur, exoptamus. Vide *Biblioth. Select. T. XVI. Artic. V. pag. 340. 341. 242.* Nunc ad exempla, quibus veritas noſtri Canonis demonſtratur, progrediendum eſt. *Matth. VI. 1.* communis hæc eſt lectio: προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν. Sed præter quosdam codices MSS. & vulgatam verſionem Patres legunt δικαιοσύνην, quæ vox dialecto Chriſti tempore uſitatæ magis reſpondet, quum vocem צדקה, quæ apud Hebræos eleemoſynam quoque deſignat, egregie efferat. Unde probabile eſt, judicante etiam ita *Jo. Millio*, criticum vocem δικαιοσύνην haud ſatis intelligentem ſuppoſuiſſe ἐλεημοσύνην, Patrumque lectionem eſſe genuinam. *Marc. XVI.* inde à comm. 8. poſteriori hemiſtichio in vetuſtiſſimis codicibus MSS. cætera omiſſa fuere, ut ad Evangelium Marci haud pertinentia. Sed cum *Irenæus*, *Athanaſius*, *Auguſtinus* & *Theophylactus* totam hanc recenſionem habeant, non eſt, quod de ejus veritate atque auctoritate authentica dubitemus. *Luc. III. 36.* omnes codi-

codices MSS. habent τὸ Καϊνάν, quem huc non pertinere ſatis, ut arbitror, oſtendit Hebraica veritas, & collatio Lucæ cum Genealogiis veteris Teſtamenti. Solus MS. codex Bezæ omiſit Cainanem, & quidem merito. Non enim fuiſſe eum in codice *Lucæ* autographo vel hoc ſolum oſtendit, quod *Cainan* in verſione LXX. Virorum olim non exſtitit, nec à Patribus hunc in locum admiſſus eſt. Certè omiſere Cainanem codex Vaticanus *Chronic. L. I. C. I. Beroſus* item & *Eupolemus*. *Joſephus* inſuper, *Africanus* & *Abydenus*, imo & quod primum erat memorandum, veteris Eccleſiæ Patres, *Irenæus Theophilus*, *Origenes*, *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius* & forſan alii. Quibus argumentis perſuaſi Viri doctiſſimi, quos inter recentiores noſtræ ſententiæ addictos eſſe ſcio, *Daniel Whitbyus* & *Jo. Erneſtus Grabe* Cainanem huc incuria librarii in textum admiſſum eſſe crediderunt. Ille quidem peculiari Diſſertatione in Commentario ad Evangelia exſtante & Anglicana lingua conſcripto, hic verò tum in *notis* ad *Irenæi contra hæreſes L. III. C. 33. fol. 261.* tum in Diſſertatione *de Vitiis LXX. Intertum* verſioni illatis. Sed hæc digna ſunt ulteriori diſquiſitione. *Luc. X, 1.* ἑβδομήκοντα communis habet lectio. Quidam verò codices habent ἑβδομήκοντα δύο. Sed prior lectio & MSS. codicibus, & verſionibus, maximè verò Patrum allegationibus confirmatur. *Joh. I. 28.* ita legimus: ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο. Alii codices Βηθανίᾳ. Quænam verò ex duabus hiſce lectionibus ſit eligenda, docet *Chryſoſtomus* ita ſcribens: ὅσα τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν

Βηθα-

Βηθαβαρᾶ φησιν, ἡ γὰρ Βηθανία ἐχὶ πέραν τ̃ Ἰορδάνε ἐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμε ἦν, ἀλλ' ἐγγύς πε τῶν Ἱεροσολύμων. Ita & *Origenes* cum quâdam πληροφορίᾳ lectionem communem defendit in *comm. ad Joh.* ἐπείσθημεν, scribens, μὴ δεῖν Βηθανίᾳ ἀναγινώσκειν, ἀλλὰ Βηθαβαρᾶ. *Joh. XXI.* 13. dicitur Christus *panem* sumsisse. At de gratiarum actione nil ibi exstat, quod alias tamen in Evangeliis fieri solet. Unde quidam codices habent καὶ εὐχαριστήσας, quod addidere, ne recensio *Joannis* manca esse videretur. Sed verba hæc in autographo Johannis non exstitisse, docent *Chrysostomus Theophylactus*, *Euthymius*, alii. *Rom. IX.* 5. vocem Θεὸς quidam *Cypriani* codices omittunt, id quod vitio librarii factum. Exstat enim in vetustissimis aliis codicibus *Cypriani* maximè Anglicanis, uti monet *Millius* ad h. l. fol. 442. Quinmo hanc vocem ad textum pertinere ostendit consensus Patrum, qui omnes vocem Θεὸς suis in allegationibus referunt. Vid. *Sainjorii* seu potius *Richardi Simonis Biblioth. Crit. T. II. C. 12. p. 214. 215. 216.* qui MSS. codices Cyprianicos hanc vocem vel exprimentes vel omittentes recenset. Denique canonem nostrum vel maximè confirmare videtur locus *1. Joh. V. 7.* de quo tot eruditorum Virorum exstant lucubrationes. Enim ob rem pauca huc spectantia nunc adferemus, cùm, quicquid pro auctoritate commatis hujus septimi dici queat, occupaverit *Millius* in *not.* ad *h. l. fol. 739. 770.* & sequentibus. Unicum id nobis restat probandum, locum hunc *Tertullianum* & *Cyprianum* Patres antiquissimos allegasse. Et *Tertullia-*

N *nus*

*nus* quidem *Lib. contra Praxeam* C. XXV. ita ſcribit: *Cæterum de meo ſumet* (ille ſcilicet, de quo ſermo eſt, Paracletus) *ſicut ipſe de Patris: ita connexus Patris in Filio & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, alterum ex altero. Qui tres unum ſunt non unus, quomodo dictum eſt: Ego & Pater unum ſumus, ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* Hæc *Tertullianus*, cujus verba miror non examinaſſe *Richardum Simonem*, cum tot in locis de hoc Johannis loco controverſo in *Hiſtoria* ſua *Critica* agat. Nec ſanè ea verba: *& hi tres unum ſunt*, quæ ponit Sanctus Pater, ita comparata ſunt, ut propria *Tertulliani* eſſe videantur, cum manifeſtam hîc ipſe duo inter *Johannis* dicta inſtituat collationem, & verba iſta cum auctoritate ponat. Accedit, non allegare *Tertullianum* verba: & *hi tres in unum ſunt*, quæ exſtant *comm. 8.* ſed *hi tres unum ſunt*, quæ comm. 7. reperiuntur. Ex qua loquendi ratione id etiam concludit, de ſubſtantiæ unitate hîc agi. Denique oſtendere hoc loco conabatur Vir ſanctus Trinitatem perſonarum in una ſubſtantia. Quod ſanè ex *comm. 8.* nemo probaverit, ubi de teſtibus *in terrâ non in cœlo, ſpiritu, aqua & ſanguine.* Si autem Tertulliani codex hæc verba *comm. 7.* exſtantia agnovit, vetuſtiſſimus is quidem & probatiſſimus, quid eſt, quod de genuina hujus commatis lectione dubitemus? Neque enim ſuppoſuiſſe dicere poterimus hunc locum ipſum Tertullianum, nec datur ulla ratio, cur locus iſte ſuppoſitus videri queat, quum è contrario ſupra luculenter oſtenderimus, ſufficientem eſſe rationem, cur librarius dictum hoc omiſerit, nempe ex incuria propter ὁμοιοτέλευτον.

Nunc

Nunc ad citationem *Cypriani* devenire oportet, quæ habetur de *unitate Ecclesiæ*, ubi: *Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus. Et iterum de Patre, Filio & Spiritu Sancto: SCRIPTUM EST: Et hi tres unum sunt.* Atque ita hunc locum *Cypriani* efferunt omnes codices MSS. & editiones, quæ hactenus lucem viderunt. Nihil sane poterat à *Cypriano* hanc in rem dici clarius & quod magis esset perspicuum. Repetit ferè eadem sanctissimus Vir in *Epist. ad Jubajanum*, in qua hæc leguntur: *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?* Sed videndum, quid ad hæc testimonia regerat *Richardus Simon.* Ait itaque *Cap. XVIII. p. 212. in Histor. Critic. Textus novi Testamenti*, non credibile esse, si Cyprianus comma hoc in suo codice legerit, *Augustinum* id contra Arianos non fuisse allegaturum. Quod sanè argumentum nullius esse momenti mihi videtur. Probabile enim potius est, *Cyprianum* utpote temporibus Apostolicis propriorem meliorem habuisse codicem, quàm habuit *Augustinus.* Facillimum certe fuit, comma hoc omittere, maximè si festinaverit librarius, qui Augustini exaravit codicem. Sed majoris momenti sunt, quæ addit *Simon* loco citato. Scribit enim, *Cyprianum* non allegasse totum comma septimum, sed allegasse solùm verba; *& hi tres unum sunt*, & quidem ex commate octavo. Applicatum quippe à Patribus vetustioribus fuisse Trinitati, quod dixerit *Johannes* commate 8. de spiritu, aqua & sanguine. Id quod probare conatur interpretatione *Facundi*, qui disertis verbis scribat, *in spiritu significari Patrem, in aqua Spiritum sanctum, in sanguine verò Filium.*

*lium*. Adde & Auctorem anonymum in *Platonismo develato P. I. C. XVIII. p. 225. 226.* Hanc enim interpretationem *Joannes Millius* merito adpellat incertam & lubricam, coactam, detortam ac puerilem, denique futilem & nugatoriam *fol. 743.* Etenim ea digna non est, quæ refutetur. Quis igitur eam *S. Cypriano* adscripserit? Nec sanè video, quæ *Simonis* hoc in argumento sit colligendi ratio. Ita enim fere concludit: Si *Facundus* comma septimum explicavit de Trinitate, ergò & *Cyprianus*. Sed hoc in συλλογισμῷ utique aqua hæret. Adeundus tamen hîc est *Joannes Millius* ad *1. Joh. V. 7. fol. 739. sqq.* qui *Simoni* satis sufficienterque respondit.

## CANON QUARTUS.

LECTIO, QUAM CONTEXTUS REQUIRIT, EST ADPROBANDA. Hunc Canonem ipsa rei natura scriptionisque finis confirmat. Omnes enim, qui sensa animi sui exprimunt, hanc ponunt operam, ut distinctè & ex ordine loquantur vel scribant, & quæ distinguenda sunt, non confundant vel aliquid ponant, quod iis, quæ prius dixerant, sit contrarium. Quod vel maximè de Scriptoribus sacris dicendum, quos à tali errore Spiritus Sanctus, quo inspirante & dirigente scripsere, præservavit. Exempla canonem hunc confirmantia hæc damus. *Matth. V. 47.* communis hæc est lectio: ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον. Hîc codices quidam habent φίλους. Sed ἀδελφοὺς legendum esse docet, ut arbitror, contextus. Jam enim comm. 46. de amore amicorum locutus erat Christus,

ſtus, ut adeò idem non ſine ταυτολογία comm. 47. repeti potuerit. *Matth. VIII. 15.* legimus de ſocru Petri, quod ſanata διηκόνει αὐτοῖς, ſerviverit ipſis. Sed plures codices heic habent αὐτῷ, quod & præferendum, cùm de ſolo Chriſto verba præcedentia agant. *Marc. I. 2.* exſtat: ὡς γέγραπται ἐν τοῖς Προφήταις. Ita codex Alexandrinus pluresque alii, imo & omnes impreſſæ editiones. Quidam tamen codices MSS. habent ἐν Ησαΐα τῷ Προφήτῃ. Ait *Hieronymus ad Matth. III. Marc. I.* nomen Iſaiæ additum fuiſſe ſciptorum vitio pro ἐν τοῖς Προφήταις. Unde non opus erat, ut communem lectionem ſollicitaret *Joannes Millius*, maximè, cùm contextus τὸ ἐν τοῖς Προφήταις requirere videatur, quia duo *Marcus* teſtimonia allegat, quorum primum *Malach. III. 1.* alterum *Eſaiæ XL. 3.* exſtat. *Marc. XI. 10.* communis fert lectio: εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίȣ. Quid βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίȣ ſit, ego ſaltem comprehendere nequeo, neque aliis in locis ita in N.T. legitur. Quidni ergo exiſtimemus, ſequendos eſſe eos MSS. codices, in quibus τὸ ἐν ὀνόματι Κυρίȣ omittitur, maximè, cùm interpolatio hæc comm. 9. originem debeat, ubi: εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίȣ. *Act. XXIII. 3.* poſt εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος omittunt quidam codices μὴ θεομαχῶμεν. Unde conjiciunt *Eraſmus* & *Millius*, adſcripta hùc hæc verba eſſe ex *Actor. V. 39.* Sed ipſe contextus hæc verba requirit, ſine quibus oratio τῶν Γραμματέων

N 3 eſſet

esset manca. Quicunque *Rom. IX. 28.* legerit, statim videbit contextum aliam lectionem requirere. Verba quippe ita habent: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. Quid enim repetitio ista sibi velit, non perspicio, cùm nec in textu Esaiæ Ebræo compareat. Unde existimo, secundùm contextum horum verborum, eligendam esse vel lectionem codicis Alexandtini, qui ita habet: λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. vel eam, quam supra dedimus *Cap. VIII. §. 3. num. 1.* λόγον γὰρ συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς, prout & *Theodoretus* legit. Quæ sanè optime fluunt & sine ulla offensione leguntur. Notus est locus *1. Cor. XV. 49.* καθὼς ἐφορέσαμεν τὸν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ. φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου, ubi φορέσωμεν quidam codices habent, quam posteriorem lectionem habent & *Tertullianus*, qui φορέσομεν lectionem à *Marcione* suppositam esse ait, & *Cyprianus*, & alii quoque veterum Patrum. Sed clare ostendit contextus, legendum esse φορέσομεν, *portabimus*, cùm non de præcepto sed de promissione agat. *2. Cor. V. 3.* vulgaris habet lectio: εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. Sensus communis utique docet, eum, qui veste indutus est, non esse nudum. Non itaque probabile est, talia ipsum posuisse Apostolum. Loquitur enim hic commate primo de *dissolutione* domus tabernaculi nostri, & commate secundo de suspiriis sanctorum, quibus optant, ut induantur post mortem domo cœle-

cœlesti. Itaque commate tertio ita pergit: Quanquam, licet fuerimus exuti tabernaculo corporis nostri, non tamen reperiemur nudi, scilicet, quia aliud nos manet tabernaculum, quo statim circumdabimur. Unde & hic ex contextu videre est, quæ sit genuina lectio. *2. Cor. V. 15.* exstat: εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. Quidam codices MSS. omittunt εἰ, quod supplendum esse connexio verborum docet. *Hebr. IV. 3.* vox εἰσερχόμεθα contextui & fini Apostoli, qui admonere hîc Hebræos vult, non satis est congrua. Unde hîc sequendi sunt ii codices, qui habet εἰσερχώμεθα. *Matth. VII. 14.* bene habet lectio vulgaris: ὅτι στενὴ ἡ πύλη, & quæ sequuntur, sed perperam scripsere quidam librarii τί στενὴ ἡ πύλη, quæ nullum sensum fundunt. Eadem ex ratione rejicienda quoque est lectio illa *1. Cor. XII. 2.* ὅτε ἔθνη ἦτε, quoniam ὅτε ex incuria librarii pro ὅτι positum hic vel nihil significat, vel textum Apostoli mancum reddit. Sequitur

## CANON QUINTUS.

LECTIONEM GENUINAM SÆPIUS OSTENDIT TEXTUS HEBRÆUS VETERIS TESTAMENTI. Hoc exemplis clarum fiet. Ἀμιναδὰμ legunt quidam codices *Matth. I. 4.* Sed Ἀμιναδὰβ legendum esse ostendit veritas Hebraica, quæ habet עמינדב. Eodem commate quidam librarii scripsere Ἀασὼν pro Ναασσών. Sed posteriorem lectionem genuinam esse ostendit Hebraicum נחשון. *Matth. VI. 24.* communiter legitur μαμμωνᾶ. At alii

alii codices habent *μαμωνᾶ*. Quod & melius, si Ebraicam respicias originem, in qua non occurrit *Dagesch* literæ מ impressum. *Matth. X. 25.* exstat vox Βεελζεβοὺλ. Quidam verò codices habent Βεελζεβοὺβ, quibus Syriaca versio accedit. Unde non est, cur dubitemus de emendanda hac voce ex Ebraico בעל צבוב, unde Βεελζεβοὺβ derivatum est. *Matth. XI. 21.* variè exprimitur חורצין vel χοραζαὶμ vel χοραζαὶν vel χοραζεὶν vel χωραζὶν, sed ex Ebræo facile patet, communem lectionem χοραζὶν esse genuinam. *Matth. XXVII. 46.* pro λαμὰ quidam habent codices λειμὰ vel λιμὰ vel λαμά. Ast λεμὰ esse genuinum ostendit Ebraicum למה. Nec λεμὰ planè rejiciendum esse apparet ex dialecto tempore Salvatoris Hierosolymis usitata, qua dixere למה *lemah*, uti Syri exprimunt. Ita *Marc XV. 22.* malè in quibusdam MSS. scriptum est Γοθγοθᾶν, ex origine hujus nominis Hebraica patet. Quæ exempla satis utique ostendunt, in dijudicandis variis lectionibus sæpè respiciendum esse ad dialectum tempore Christi usitatam. Memorat *Marcus C. XV. comm. 34.* Christum magna voce clamasse in cruce: Ἐλωῒ Ἐλωῒ, λαμμᾶ σαβαχθανί. Quidam verò codices habent Ἠλεὶ Ἠλεί, quæ pronunciatio & flexio dialecto Aramææ vel Syriacæ planè est contraria. Quum autem heic ponimus, textûs N. T. lectiones eas cæteris esse præferendas, quæ vel Vet. Test. textui Ebraico, vel dialecto tempore Christi usitatæ maximè conveniunt, hæc nostra non est sententia, textum N. T. Græcum semper ad textum Vet. Test. Hebraicum esse exigen-

gen-

gendum, à quo ſæpius abiere ſcriptores N. T. vel quod res ſolum non verba Vet. Teſt. ſcriptorum hi expreſſerint, vel, quòd verſionem LXX. viralem ſecuti fuerint, vel aliis quoque ex cauſis. Ita *Matth. I. 23.* non eſt, quod mutemus vocem καλέσουσι, etſi *Eſ. VII. 4.* exſtet וקראת καὶ καλέσεις. Referre quoque hùc videtur *Joannes Millius fol. 5.* locum *Matth. II. 18.* ubi: Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς. Sunt codices, ubi θρῆνος καὶ omittitur, uti & in plurimis verſionibus, queis adde *Hieronymum* & *Juſtinum Martyrem in Dial. cum Tryph. fol. 304.* *Conformiter Hebræo*, ait *Millius*. Sed id quidem vehementer nego. Textus enim Ebræus *Jerem. XXXI. 15.* ita fluit: קול ברמה נשמע נהי בכי תמרורים ubi voce נהי θρῆνος deſignatur. Quod cum non viderit *Millius*, credidit forſan Interpreti textum Hebraicum haud ſatis intelligenti. Denique ſecundum canonem noſtrum *Matth. II. 23.* legendum Ναζαρὲτ non Ναζαρὲθ, uti quidam habent codices, quoniam Ναζαρὲτ exprimit vocem Ebr. נצרת. Nec legendum *Matth. II. 6.* γῆ τῆς Ἰουδαίας ſed γῆ Ἰούδα ſecundum *Hieronymum* ad vocem Ebræam יהודה hic reſpicientem. Progrediamur nunc ad canonem ſextum.

## CANON SEXTUS.

LECTIONEM GENUINAM SÆPIUS OSTENDIT VERSIO LXX. INTERPRETUM. Id quod ex eo patet, quia Libri novi Teſtamenti

 eadem

eadem dialecto Hebraiſmis referta ſcripti ſunt, & multa continent loca, prout à LXX. viris verſa ſunt. *Marc. V. 38.* exſtat ἀλαλάζοντας πολλά. Hoc cum non intelligerint veteres librarii, ſcripſere, uti quidam conjiciunt, ὀλολύζοντας, quos forſan fugit, hanc vocem ἀλαλάζειν ſæpius apud τοὺς ό occurrere & lugubrem clamorem denotare. Eodem argumento lectionem *Luc. VIII. 20.* ἀπηγγέλη αὐτῷ, λεγόντων ex LXX. Vir. verſ. defendit *Jo. Millius fol. 174 175. Joh. XVIII. 1.* legitur: τοῦ χειμάρρου τῶν κέδρων, quam lectionem etiam habent LXX. Alii codices τῶν κένδρων vel τοῦ κέδρων. Utrumque perperam, cum οἱ ό hîc genuinam nobis ſcriptionem oſtendant. *Act. XIII. 18.* communis eſt lectio: ἐτροποφόρησεν. Sed ſatius eſt, eos ſequi codices, qui habent ἐτροφοφόρησεν, quum hæc quoque LXX. Interpretum lectio ſit. *Act. XII. 41.* communiter legitur: ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, ἔργον, ᾧ οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν. Repetitur hîc vox ἔργον, quæ videtur eſſe ſupervacanea. Et ſanè omittunt eam plurimi codices MSS. & verſiones Syriaca & Arabica. Quinimo nec exſtat ea apud LXX. Interpretes, ut adeo non dubitandum ſit, eam eſſe ex textu ejiciendam. Denique *Ebr. XII. 15.* exſtat: μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ. Ad quam lectionem hæc annotat *Millius*, digna, quæ huc transferantur: *Ita MSS. codices ſummo conſenſu. Vetuſtiſſimo certè, & jam ab ipſis Chriſtianæ rei primordiis inolito errore. Vera lectio eſt apud LXX. Interpretes, à quibus verba iſta traduxit Apoſtolus,* ἐν χολῇ.

Μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα (*subaudi ἦ, quemadmodum in antecedente membro* ( ἐν χολῇ. *Ne qua radix amaritudinis sursum germinet in felle &c. Verum accidit lectioni* ἐνοχλῇ ( *profectæ primum, ut videtur, ex librarii cujusdam* περιεργία, *qui, quod deesset verbum*, ἐν χολῇ *levi mutatione fecerit* ἐνοχλῇ ) *quod aliis fere, quæ sensum satis commodum pariunt, ut in alios continuo codices transferantur, inconsultis, ad quæ emendatas oportuit, primis exemplaribus.* Eandem hîc cum *Millio* sententiam tenet Vir Reverendus *Daniel Whitbyus.* Id certum est, quod scribit *Millius*, ἐν χολῇ genuinam esse lectionem & heic omnino sequendam. Docet enim id textus Hebraicus *Deut. XXIX.* ubi: פן יש בכם שרש פרה ראש ולענה *ne qua sit in vobis radix proferens fel & absinthium.* LXX. Interpretes ita verterunt: μή τις ἐστιν ἐν ὑμῖν ῥίζα φύουσα ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ. Vox enim πικρίας, quæ in hodiernis codicibus post ῥίζα exstat, [ ] expungitur in MS. & ἄνω notatur esse dubium vel etiam expungendum hypolemnisco. Certè utraque vox abest à textu Ebræo. Id tamen miror, *Millium* non observasse, codicem Alexandrinum *Deuteron. XXIX. 17.* habere ἐνοχλῇ, uti heic *Ebr. XII. 15.* exstat. Unde potius existimaverim, *Paulum* hanc Epistolam scribentem habuisse talem codicem τῶν ό, ubi exstabat ἐνοχλῇ, atque ita hanc vocem in epistolam ipsius irrepsisse. Cæterum notandum, Reverendum *D. Grabium* vocem ἐνοχλῇ *Deut. XXIX*, expunxisse & ad marginem reposuisse, suppo-

ſuppoſito in textu ἐν χολῇ. Id quod optimè factum eſſe cenſemus.

## CANON SEPTIMUS.

LECTIO, QUÆ LIBRIS VETERIS TESTAMENTI CONTRARIA EST, EST REJICIENDA. Hoc, ut pateat manifeſtiſſimum dabimus exemplum, quod unum ſufficiet canoni noſtro confirmando. Legitur *Matth. I. 11.* communiter: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. Quæ ſi ita à *Matthæo* ſcripta ſint, omiſit iſte generationem, quæ in V. T. recenſetur. Sed præter codices, quos memorat *Millius*, invenit *Bernardus de Montfaucon* in Bibliotheca S. Joannnis de Carbonaria RR. PP. Auguſtinian. Neapoli codicem Evangeliorum membranaceum, ubi *C. I. Matth. comm. 11.* legitur: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, quam lectionem idem notavit *Montfauconius* in codice Sec. X. egregiæ notæ, qui cùm olim Cardinalis Perronii fuiſſet, nunc in Bibliotheca Monaſterii S. Taurini Ebroicenſis conſpicitur. Videatur *Montfauconii Diar. Ital. C. XX. p. 308.* Quum itaque & hæc lectio MSS. codicibus confirmetur, & veteris novique Teſtamenti conſenſum egregie ſtabiliat, non eſt, quod de auctoritate ejus dubitemus.

## CANON OCTAVUS.

LECTIO IN SPECIEM ABSURDA NON EST STATIM REJICIENDA, NEC EA QUOQUE

QUE, QUÆ OBSCURITATEM DICTIONIS SECUM FERT, TALES ENIM LECTIONES NON SOLENT FINGI. Hunc canonem secutus est *Millius* in explicando loco *2. Cor. VII. 12.* ubi: ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς. Ultimum πρὸς ὑμᾶς in quibusdam MSS. omittitur, & rejicit quoque hæc verba *Zegerus*, ceu *quibus ipse reclamet dictionis tenor.* Sed *Millius*: *Ego quidem hac ipsa de causa retinendam duxerim, nec enim fingi solent lectiones in speciem absurdæ. fol. 525. Matth. II. 6.* exstat: οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. Quod cùm quidam ex librariis putaret, textui Prophetico repugnare, scripsit: μὴ ἐλαχίστη εἶ; *cum signo interrogationis.* Ita certe habetur in codice *Stephan.* β. quem hic allegat *Millius.* Sed hoc est nodum secare non solvere, uti supra innuimus, quum de corruptionibus ab orthodoxis factis ageremus, ex qua tractatione plura huc transmittenda forent, latius heic deducenda, nisi ad finem properaret nostra Dissertatio. Vocem δευτεροπρώτῳ omiserunt quædam versiones *Luc. VI. 1.* ne controversiæ facerent locum & sensus Evangelii esset clarus, quod eam ob rationem factum, quoniam ipsi interpretes ignorabant, quid sibi vellet Sabbatum δευτερόπρωτον. Fuit olim traditio Ecclesiastica, habuisse Christum LXXII. Discipulos. Quum autem quidam *Luc. X. 1.* viderent, positos solum esse ἑβδομήκοντα, addidere δύο sed perperam. Exstat *1. Cor. XV. 51.* locus, de quo satis olim disputatum. Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Ab hac lectione plures veterum abiere.

abiere, qui non concoquere potuerunt, omnes non dormituros, omnes vero mutatum iri, quum posterius hoc ſolis fidelibus iisque in die extremo adhuc viventibus competat ex ſingulari privilegio, uti adparet ex *1. Theſſ. IV. 15. 16. 17.* Sed præfert vulgarem lectionem aliis omnibus *Joannes Millius*, eam ipſam ob cauſam, quod à veriſimili diſtet ac abſurditatis ſpeciem aliquam præ ſe ferre videatur, id quod, ubi varient codices, haud leve γνησιότητος indicium ſit. *Neque enim*, ita pergit Vir doctus, *clariora obſcuris & in ſpeciem abſurdis mutare ſolent Interpolatores, ſed in difficilium ac obſcurorum locum commoda fermè & perſpicua ſubſtituere. Quod & hic factum rectiſſimè cenſuit Eraſmus.* Similis exſtat locus *2. Cor. I. 6.* cujus verborum conſtructio cum difficilis eſſe & ſolœciſmum ſapere viſa fuiſſet Librariis, alias lectiones excogitarunt ſed eam ipſam ob cauſam reprobandas, uti oſtendit *Millius* ad *h. l. fol. 512.* Nunc exponendus nobis venit.

## CANON NONUS.

LECTIO HISTORIÆ ET GEOGRAPHIÆ DISSONA EST REPUDIANDA, MAXIME, SI CODICIBUS MSS. NON SIT FIRMATA. Exſtat hanc in rem exemplum *Act. XII. 25.* ubi: Βαρνάβας δὲ καὶ Σαῦλος ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλὴμ, ubi codices quidam habent εἰς Ἱερουσαλὴμ, quod contra fidem hiſtoriæ ignorantes poſuere Librarii. Hieroſolyma enim abeuntes cum collecta ibidem pauperibus pecunia Antiochiam reverti debebant

bant Barnabas & Saulus. Eſt Vir doctus, qui arbitretur, *Luc. II, 2.* verba αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου eſſe ſcholion ad marginem primum poſitum & poſtea in textum intruſum, quoniam, ſi ipſe *Lucas* hæc verba ſcripſiſſet, videretur illius temporis hiſtoriam neſciviſſe. Porro codices *Act. XXV. 5.* Λύστρα ſupponunt, quæ cum Lycaoniæ urbs ſit, huc non pertinet, ſed Μύρα, quæ Lyciæ civitas expreſſe dicitur *Straboni*, *Ptolomæo*, *Plinio*. Plura hanc in rem exempla in Libris novi Teſt. exſtant, quæ facile à rerum harum ſtudioſis addi poſſunt, maximè ex Actorum capite ſeptimo, in quo *B. Stephani*, Protomartyris oratio exſtat deſcripta. Vide & *Joh. I. 28. canonemque III.* ſupra expoſitum.

## CANON DECIMUS.

LECTIONES IN EVANGELIIS SPURIIS ET HÆRETICORUM LIBRIS EXSTANTES NON OMNINO SUNT REJICIENDÆ, CUM ALIQUANDO GENUINAM LIBRORUM NOVI TEST. LECTIONEM OSTENDANT. Illuſtrari hic canon poteſt ex *Matth. XXIII. 35.* ubi communis eſt lectio ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, quæ, ſi cum vet. Teſt. conferatur, explicatu valde eſt difficilis. *Zacharias* enim, qui 2. *Paralip. XXIV. 22.* occiſus memoratur, fuit filius *Jehojadæ*. *Hieronymus*, in codice antiquiſſimo, qui penes Nazaræos erat, refert exſtitiſſe τοῦ Προφήτου, quam lectionem quoque habuit *Epiphanius*,

certè

certe huic loco apprimè convenientem, &, ni totus fallor, genuinam. Eadem ratione judicandum esse censeo de *Joh. XII.* 8. ubi Christus refertur dicens: ἐγὼ ὄπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. Quæ lectio vel ex eo videtur suspecta, quia olim *Porphyrius*, juratus Christianismi hostis, ex his verbis Christum mendacii arguere sustinuit. Unde non ὄπω sed οὐκ legit homo nefarius, quam lectionem cùm præferant quoque codices Cantabrigiensis & Cyprius, item Interpres vulgatus, Syrus, Persa & Patrum aliqui, utique censemus eam esse genuinam & οὐκ in ὄπω mutatum ab orthodoxis, ut objectionibus adversariorum eò melius respondere possent. Id quod & supra à nobis est observatum. Vide tamen *Joann. Cleric. Art. Crit. Vol. II. p.* 301. 302.

## CANON UNDECIMUS.

GENUINAM LECTIONEM ALIQUANDO OSTENDIT DIVISIO LIBRORUM VET. TEST. APUD JUDÆOS USITATA. Quod sequenti exemplo probaturi imus. *Act. XIII* 33. ita habet communis lectio: ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται. υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Hoc secundum vulgatam Psalmorum divisionem ita positum. Legunt tamen quidam Patrum, quorum loca citat *Joannes Millius*, ψαλμῷ τῷ πρώτῳ, quod & in codice Cantabrigiensi invenitur. Nec sanè existimamus, hanc lectionem rejiciendam esse, quum Psalmi, qui hodie primum & secun-

ſecundum efficiunt, olim uno fuerint comprehenſi, uti & plurium Rabbinorum mente teſtatur *David Kimchius.*

## CANON DUODECIMUS.

CONJECTURÆ VIRORUM ERUDITORUM ET REI CRITICÆ PERITORUM ALIQUANDO VERAM LECTIONEM OSTENDUNT, SI EMENDATIONEM RES IPSA ORATIONISQUE SERIES ET STYLUS SCRIPTORIS POSTULET, HIS TAMEN CUM CAUTIONIBUS ADHIBITIS, UT EMENDATIO LINGUÆ GENIO ET SCRIPTORIS STYLO SIT CONSENTANEA, NEC A MSS. CODICIBUS NIMIUM RECEDAT. Sed fatendum, contra hunc canonem datasque aautiones omnes ferèe peccaſſe, qui corrupta novi Teſtam. loca emendare conati ſunt, maximè verò veteris Eccleſiæ Scriptores. Inſtar omnium eſſe poteſt *Hieronymus*, cujus emendationes ſæpius haud magni ſunt momenti. Hujus rei ut exſtet documentum, vidamus, quid de loco *Matthæi C. XVI. com. 17.* ſentiat. Hîc enim quum vulgo ſcriptum ſit βὰρ Ἰωνᾶ atque ita etiam præferant codices MSS. *Hieronymus* ſollicitat textum & ſcribendum putat βὰρ Ἰωάννα. Quâ conjectura vehementer peccat, cùm Chriſti tempore non aliter vocem hanc quam Ἰωνᾶ expreſſerint. Inter recentiores textum N.T. emendare qui ſunt auſi, ſæpius quoque hallucinantur. De *Tanaquilli Fabri*, Viri ſanè doctiſſimi, emendationibus N. T. quid ſit cenſendum, luculenter

ter explicavit *Jo. Clericus* in *Arte Critica Vol. II. P. 3. Sect. 1. C. 16. §. 11. p. 273. 274.* ubi loca *Rom. X. 17. 1. Cor. VIII. 10.* quæ *Faber Epistol. Critic. P. II. Epist. ult.* emendare conatus erat, exponi videas. Ita de *Scaligeri* quoque, *Casauboni* aliorumque de nonnullis novi Test. lectionibus conjecturis luculenter egit *Joannnes Millius* in *Prolegom. novi Test. fol. 136. 137.* De *Scaligeri* quidem animadversionibus in novum Testamentum haud magna sunt, quæ pronunciat *Richardus Simon.* in *Hist. Crit. Commentat. novi Test. Cap. LII. fol. 778.* ubi scribit, *eas tam parvi esse momenti, ut digna non fuerint, quæ Criticis Anglicanis insererentur.* Id certum est, conjecturas ejus sæpius eruditioni ipsius non respondere. Ita *Marc. IX. 49.* ubi legitur πᾶσα θυσία, legendum esse judicabat *Scaliger* πᾶσα πυρία, quæ vox hâc significatione Græca non est, adeoque ad emendandum novum Testamentum non potest adhiberi. Confer *Millium l. c. & Cleric. Art. Crit. Vol. 2. P. 3. Sect. 14. p. 277.* *Casauboni* emendationes Scaligeranis haud meliores esse arbitratur *Millius*, inter quas eam maximè observandam censemus, quam adhibuit ad locum *Joh. VII. 29.* ubi pro εἰμὶ legit εἶμι cum *Henr. Stephano & Tanaquillo Fabro.* Eandem quoque habet lectionem in paraphrasi sua *Nonnus.* Sed, quum apud Poetas hæc vox maximè usurpetur, & emendatio hæc quoque longius quæsita sit, non video, quomodo queat approbari, præsertim, cum *Nonnus & Theophylactus*, cujus quoque auctoritatem heic prætendunt lectionis hujus Fautores, eandem disertè non ponant sed in eum solùm sensum istam expli-

cent,

cent. Idem fere de emendasionibus *Erasmi*, *Lucæ Brugensis*, *Stephani*, *Bezæ*, *Drusii*, *Castellionis*, *Hug. Grotii*, *Th. Gatakeri*, *Capelli* aliorumque affirmavrrim. Nota est quoque *Danielis Heinsii* ad *Marc. XI. 13.* conjectura, ubi Vir doctissimus pro ὡ legit ὧ. Sed hæc lectio nimis subtilis est. Ex quo id concludo, non esse assumendam. Emendationes enim, nisi facilè fluant & ad oculum ferè queant demonstrari, jure merito sunt suspectæ. Refert quoque *Millius* conjecturam *Budæi* ad *Eph. I. 4. 5.* ubi ait Vir in hac literatura omnino versatissimus post κατενώπιον αὐτȣ̃ ponendum esse punctum. Quod satis probabile est, qnum ita legant Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Hieronymus. Multæ quoque habentur conjecturæ Virorum doctorum ad difficilem locum *Ebr. XI. 37.* præter veteres Origenem, Eusebium, Theophylactum, Desiderii Erasmi, Theodori Bezæ, Hug. Grotii, Franc. Junii, Tanaquilli Fabri & Thomæ Gatakeri, sed quas omnes meritò rejicit *Millius*, cum non opus fuerit, lectionem consensu omnium codicum MSS. firmatam sollicitare. Elegans est quoque emendatio, quam *Jacobus Gothofredus*, Vir doctissimus, adhibet ad locum intricatum *1. Cor. XI. 10.* ubi exstat: διὰ τȣ̃το ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξȣσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τȣ̀ς ἀγγέλȣς. Ubi pro ἐξȣσίαν legit ἐξȣβίαν & pro διὰ τȣ̀ς ἀγγέλȣς scribendum putat διὰ τȣ̀ς ἀγελαίȣς vel διὰ τὰς ἀγέλας. Vide ipsius ὑπόμνημα *de Imperio Maris p. 14. & 15.* Sed & hæc emendatio nimium subtilitatis habet multisque aliis difficultatibus premitur. Vide tamen peculiarem, quam hoc

de loco dat, Jo. Braunii sententiam in *Select. Sacr. L. I. C. III. §. 69. f. 62. 63.* & *L. I. C. VIII. §. 139. p. 129.* Dedit etiam quasdam emendationes Vir clarissimus *Jo. Clericus* in notis ad commentarium *Henr. Hammondi* in novum Testamentum, quas ex parte in arte critica quoque recenset. Supra memoravimus, quid de loco *Act. VII. 16.* statuat, ubi putat, pro Ἀβραὰμ olim in MSS. lectum, ΙΑΒ, postea τὸ Ι. vetustate deletum fuisse & librarios malè legisse Ἀβραὰμ, quod legendum fuerit Ἰακὼβ. Ita idem emendavit quoque locum *1. Cor. V. 12. 13.* Vid. *Ars Critic. Vol. 2. p. 347. seqq.* Ut taceam emendationem ad *1. Cor. XI. 10.* ubi legit διὰ τὰς ἀγγελίας, vel etiam διὰ τοὺς ἄνδρας. Certè & de his emendationibus mihi videtur, eas longius paululum quæsitas esse nec naturali, ut ita dicam, cursu fluere. Denique sparsas hic illic habemus per Ephemerides eruditorum conjecturas *Pauli Bauldrii*, Historiæ Sacræ in Academia Ultrajectina ante aliquot annos Professoris, uti edoceor ex oratione in eum funebri ab *Adriano Relando*, Viro clarissimo, habita. Methodus sane ipsius satis egregia est, quam ita enarrat *Relandus*: *Quum in sensum hujus vel illius locutionis aut vocis inquireret, verba Græca non disjuncta à se invicem scribere consueverat, sed continuo nexu copulata sine apicibus ullis aut punctis (quo modo ferè in marmoribus antiquis & membranis cernere est) ita ut ipse pro ingenio sectiones divideret, voces separaret, spiritus & accentus (quos veteres ignorabant) appingeret, unde sensus à communi diversus & multò commodior sæpissimè proveniebat. fol. 25. 26.* Confer quoque

quoque *Bibliothecam Auctorum novorum à Lud. Neocoro* & *Henr. Sikio* editam, ubi conjecturæ istæ Bauldrianæ recensentur. Hanc methodum credo *Bauldrium* didicisse a *Tanaquillo Fabro*. cujus discipulus & gener fuit. Adhibendam autem eam in locis N. T. benè eplicandis esse vel ex hisce locis duobus patet. *Marc. VI. 25.* communiter legimus ἐξ αὐτῆς, quod nullum fundit sensum, si contextum respicias. At si legeris ἐξαυτῆς, omnia clara sunt & perspicua, uti benè conjecit *Millius*. *Jac. V. 12.* legitur εἰς ὑπόκρισιν. Satius autem videtur legere: ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε, maximè, cùm codex Alexandrinus aliique ita habeant, & præter hos vulgatus, Syrus, Arabs & Æthiops Interpretes. Vide quæ diximus ad *canonem secundum*. Sed, ut quod verum est, fatear, infeliciter pleraque emendavit Bauldrius textumque ad conjecturas suas torsit, uti facile possemus ostendere, si ita institutum nostrum ferret. Vix verò in hâc conjiciendi & emendandi arte tam felix quisquam fuit, uti RICH. BENTLEJUS, cujus ad locum *Gal. IV. 25.* emendationem supra recensuimus. Nihil videtur esse manifestius, quam verba Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ glossam esse, quæ in textum irrepserit. Unde optandum sanè foret, ut Vir iste doctissimus ad interpretationem librorum novi Testamenti ex amplissimo, quem possidet, eruditionis suæ thesauro quædam conferret. Sed hæc est temporis hujus infelicitas, quæ non patitur, Viros doctissimos & artis criticæ peritissimos, animadversiones suas in lucem protrudere. Verum ista quidem, uti arbitror, de Canone hoc ultimo sufficiunt, ad quem hoc unicum addimus,

mus, in iis novi Teſtamenti locis, ubi vel additur quid vel tollitur, magis pronunciandum eſſe pro αὐθεντίᾳ lectionis additæ, quam ſublatæ, quum addendi cauſa nulla ſit, tollendi aliqua. Hæc regula infinitis probari poſſet axemplis, ſi noſtri inſtituti eſſet, heic latius excurrere. Sufficiat hoc unum, quod, dum hæc ſcribimus, memoriæ nunc occurrit. *Luc. VI. 26.* communiter legitur: ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι. Sunt codices, qui omittant πάντες. Sed cur additum fuerit, ego ſanè non video. Unde & legendum πάντες arbitror, uti benè pronunciavit juxta canonem hunc *Millius fol. 167.* Quod dum ſcribimus, venit in mentem recordari, *Lindanum*, Theologum Pontificium *de optimo genere interpretandi* ponere, omnes MSS. codices Stephanicos XVIII. præter unum π notatum habere πάντες ſive *omnes*. At *Jo. Millius* diſertis verbis ſcribit, deeſſe πάντες in Stephanicis omnibus. Vide *Lindanum L. II. C. 4. p. 41. a.* & *Millium fol. 167. b.* Cui verò fides heic adhibenda ſit, ego ſanè neſcio, doleoque, lectiones *Millianas* ſæpius ab aliorum lectionibus ex iisdem MSS. codicibus petitis diſcrepare. Sed contrahenda tandem vela ſunt, finisque Disſertationi noſtræ imponendus.

EPI-

# EPILOGUS.

Atque ita, dante Deo, id, quod nostri erat instituti, exsecuti sumus. Num vero finem nostrum attigerimus, aliorum esto judicium. Id lubentes ultroque fatemur, multa superesse adhuc accuratiori disquisitione digna. Nec, quæ ad hoc argumentum ritè pertractandum requiruntur, subsidia, nobis adsunt, quum pauci sint codices N. T. vetustiores, quibus inniti tutum sit. Adde, eos, quos ut vetustissimos ætas nostra veneratur, interpolatis & intrusis locis plurimum scatere, ut adeo magno cum judicio præditum esse oporteat, qui elimati quid hanc in rem conficere fuerit conatus. De canonibus criticis, quos dedimus, id unicum monemus, singulos singulis locis eadem vice non adhiberi posse, & posteriores prioribus omnino cedere debere. Nec sane putamus, canones hosce omnibus lectionibus genuinis dijudicandis sufficere. Plura enim loca mihi novi Testamenti libros eorumque varias λέξεις sedulo perscrutanti, dubia mansere, & ubi ἐποχὴν adprehendere visum mihi fuit convenientissimum. Nec enim temerè quidquam pronunciandum esse exi-

ſtimavi, ſed candide atque fideliter agendum. Quod uti in omnibus rebus, præprimis verò criticis, ita maximè in ſacris fieri debet, atque ubi de Verbo DEI quæſtio eſt. Denique id unum ſupereſt, ut pro variis lectorum hoc in argumento ſententiis iſta moneam. Qui exiſtimant, collectionibus variarum lectionum anſam dari incredulis, libris novi Teſt. inſultandi, ii maximè errant. Nôrant Athei & tota incredulorum gens, antequam *Jo. Millii* & aliorum prodirent editiones codices N. Teſt. MSS. à ſe invicem diſſentire. Jactabant inſuper, diſſenſiones haſce tanti eſſe momenti, ut totius Chriſtianiſmi dogmata incerta reddant atque talia, quæ ut naſus cereus, fingi refingique queant. Hos homines, ſi qui ſint hæc noſtra lecturi, hortor, ut ab inſulſa hac objectione vel ſola variarum, quæ exſtant, lectionum inſpectione dimoveri ſe patiantur. Siquidem, ubi de primario Chriſtianæ doctrinæ argumento, ubi de miraculis factisque, quibus Chriſtianiſmum eſſe ſuperſtructus, agitur, ibi nullæ inveniuntur lectiones, quæ textum ſenſumque varient. E contrario pleræque omnes, quotquot hodie exſtant, levis momenti ſunt adeoque vix attendendæ. Hæc ſi quis benè conſideraverit, certè pro Deiſmo ful-

cien-

ciendo nullum à variis lectionibus petet auxilium. Sed inveniuntur alii, qui negant, dari varias lectiones novi Test. quia non solum res, sed & verba, imò & literæ sint inspiratæ, quum ne jota quidem vel punctulum in lege exstans perire possit *Matth. V. 18.* Sed hæc ipsa ὀ κατ᾽ ἐπίγνωσιν dicuntur. Plura, quod fatemur, Deus per Spiritum Sanctum inspiravit immediate, ut more Scholastico loquar, Scriptoribus sacris. In plurimis, maximè in verbis adfuit immediate Spiritus S. *directio*, quæ homines sanctos ab omni errore præservavit. Tanta quoque fuit providentia divina, ut textum sacrum hucusque integrum nobis conservaverit atque illibatum. Quod etsi de singulis singulorum codicum vocibus dici nequeat, affirmari tamen potest ea ratione ut dicamus, *ex omnium codicum collatione lectionem à Spiritu sancto adprobatam facile deprehendi posse.* Quo posito non superest, quod desideret Vir doctus & artis criticæ gnarus. Cum iis autem, qui de eo male loquuntur, quod non intelligunt, &, ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι, βλασφημοῦσι *Jud. comm. 10.* serram controversiæ non reciprocabimus. Cæcus certe sit, oportet, qui felicitatem nostræ ætatis non prædicet, quæ tot Viros tulit, qui egregie & feliciter in hoc stadio de-

deſudarunt. Quorum ſane labores labores ego magni facio magnique ſemper faciam, id intenſis precibus à ſummo Numine efflagitans, ut voluntatem ſuam eaque, quæ à nobis credi & obſervari vult, ſcriptis Virorum ſacrorum nobis manifeſtata atque propoſita, perſpicua magis magisque reddere, eosque, qui à *ſanctâ illa fide nobis traditâ* diſſentiunt, ad meliorem mentem revocare pro gratia ſua dignetur.

FINIS.

# DISSERTATIO
## DE
# OBLATIONE EUCHARISTIÆ
## IN
## PRIMITIVA ECCLESIA
## USITATA,
## QUA
## OSTENDITUR,

veteres in celebratione Euchariſtiæ non-
niſi panem & vinum, non autem corpus &
ſanguinem Chriſti obtuliſſe, inſimulque il-
lorum Theologorum Anglicanorum, qui
hanc panis vinique oblationem proprium &
propitiatorium novi Teſtamenti ſacrifi-
cium eſſe aſſerunt, ſententia mo-
deſtè expenditur.

# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

R*Itus Eucharisticos ex ritibus Judaicis, maxime Paschalibus, derivatos esse ostenditur §. 1-6. Oblationem postmodum ex ex Judaicis cærimonis addiderunt veteres, ipsique forsan Viri Apostolici §. 7, Argumenta Hickesii, quibus eandem ex Scripturis Canonicis derivat, examinantur, petita ex Matth. V. 23. 24. verbis institutionis, 1. Cor. IX. 13. X. 20. 21. Hebr. XIII. 10. Rom. XV. 15. 16. §. 8-12. Argumenta Card. Bellarmini pro sacrificio Missæ in compendio refutantur. §. 13. Respondetur ad objectiones Zephyrini de Pace ex Hebr. XIII. 10. Jerem. XXXIII. 18. Mal. I. 10. 11. petitas. §. 14. Typus agni Paschalis cum antitypo Eucharistiæ confertur. §. 15. Concilii Tridentini canon de sacrificio Missæ propitiatorio expenditur, idemque cum sacrificiis veteris Testamenti comparatur. §. 16. Bossueti sententia de oblatione Eucharistiæ proponitur. §. 17. & refutatur. §. 18. 19. 20. Argumenta contra oblationem sacrificiumque Eucharistiæ exponuntur. §. 21. Dictum Barnabæ à Zephyrino prolatum explicatur. §. 22. Aliud ejusdem effatum de intestino non loto Sacerdotibus comedendo expenditur. §. 23. Clementis Romani effata adduntur. §. 24. 25. 26. ubi & adjiciuntur*

*tur argumenta ex Justino Martyre deprompta.* §. 27. *Athenagoræ & Cornelii Episc. Rom. dicta adduntur.* §. 28. *Clementis item Al.* §. 29. *& Origenis.* §. 30. *Constitutionum porrò Apostolicarum* §. 31. *sqq. De oblatione pro mortuis quædam adjiciuntur.* §. 34. 35. *ubi Tertulliani & Cypriani placita expenduntur. Augustanæ Confessionis & Ecclesiæ Anglicanæ itemque Whistoni de eadem sententia proponitur.* §. 36. *Argumenta Zephyrini ex canonibus Apostolicis petita refutantur.* §. 37. *Tertulliani & Cypriani loca pro oblatione expenduntur.* §. 38. *De sententia Dionysii, Cyrilli Hieros. Græcisque Liturgiis Jacobi, Marci, Petri, Basilii, Cyrilli Al. & Chrysost. disseritur, locaque de oblatione afferuntur.* §. 39. *Adduntur, quæ ex Liturgiis Latinis, Ambrosiana, Gelasiana, Gothica, Gallicana, Francica, Mozarabica, Flaciana & Gregoriana dici possunt.* §. 40. *Sacrificium corporis Christi repetitum ex hisce Liturgiis probari non posse, veteribusque Patribus & Scholasticis plurimis haud creditum fuisse observatur, utpote in Concilio demum Tridentino in articulos fidei relatum.* §. 41. *Sententia Ecclesiæ Anglicanæ de oblatione Eucharistiæ ex Liturgiis Eduardi VI. & Scotica exponitur, queis Liturgia Ed. Stephani, Grabii & Whistoni adduntur.* §. 42. *Quid in tota Dissertatione dictum sit, in compendio exhibibetur* §. 43.

# DE OBLATIONE VETERUM EUCHARISTICA.

## §. I.

QUi ritus Euchariſticos à Servatore adhibitos paulo penitius conſideravit, modicamque ſaltem rerum Judaicarum habuerit cognitionem is puto non diffitebitur, cærimonias ab optimo Servatore inſtitutas, atque ad Sacramentum corporis ſanguinisque accommodatas, a Judæis transſumtas, atque ad hunc uſum ab ipſo ſanctificatas eſſe. Quamvis enim Vetus Teſtamentum adventu ſuo abrogaſſet Dominus, externos tamen ritus plurimos ita ſervavit, ut divinam ipſis gratiam atque effectum ſpiritualem ſuperadderet. Ita baptiſmum apud Judæos olim in uſu fuiſſe, ejusdemque ritus à Chriſto adoptatos, ut Proſelyti ad Chriſtianiſmum aqua initarentur, doctiſſimorum quorumvis eſt ſententia. Ita Hierarchiam Judæorum cum Chriſtianorum Hierarchia egregie contulit Vir clariſſ. Campegius Vitringa, tum in libris de Synagoga vetere, tùm in aliis, quos ad illuſtrandum hoc argumentum compoſuit. Ita ipſam Orationem Dominicam ex precibus Judæorum conflatam eſſe oſtenderunt

Viri

Viri doctiſſimi Joannes Lightfoorus * & Hermannus Witſius. ** Ipſa tandem Euchariſtiæ inſtitutio ritibus Judaicis tota fere conſtat atque abſolvitur. Quod, ut via pateтur ad ſequentia quæ nobis dicenda ſunt, velut in compendio hîc demonſtrabimus, hac tamen ratione, ut oſtendamus, Salvatorem in ultima Cœna ita Judaicos adoptaſſe ritus, ut ab iis in quibusdam receſſerit quoque veterumqne Legem à ſe abrogatam fuiſſe hac ratione declaraverit.

### §. II.

Et quidem quod poſtremum attinet, à lege Judaica utique diverſa fuit Euchariſtiæ inſtitutio, quod poſt cœnam Paſchalem fuit celebrata. Judæis enim hâc abſolutâ nihil amplius licuit comedere juxta canonem Gemaricum, qui in cod. Peſachin exſtat: אחר אפיקומן אין לאכול שום דבר *Poſt* ἐπίκωμον *( placentam, quam Judæi hodie loco Agni Paſchalis comedunt, ) non eſt amplius quicquam comedendum*, ad quem locum R. Mordechai Pulcher hæc commentatur in Leſuſch hachor: וכיון שאפיכומן הוא זכר לפסח הנאכל על השובע נוהגים שלא לאכול שום דבר אפי פירות אחר אכילת אפיקומן כדי שישאר טעם האפיקומן בפיו כמו שנהגו אבותינו באכילת הפסח: h. e. *quandoquidem* ἐπίκωμον *eſt memoriale Agni Paſchalis, qui comedi ſolitus fuit à ſaturis, inde conſueverunt, nihil quicquam amplius, ne quidem fructus* τοῦ ἐπικώμου *comedere, ut guſtus* τοῦ

* Hor. Hebr. in Matth. VI. 9. ſeqq.
** Exercit. VI. in Orat. Dom. §. 32. ſeqq.

*τοῦ ἐπικώμου remaneat in ore, quemadmodum Patres nostri circa esum Agni Paschalis idem quoque olim observare solebant.* Eadem ferè habet R. Moses Maimonides in הלכות חמץ ומצה ubi ובאחרונה אוכל מבשר הפסח אפי' כזית ואינו טועם אחריו כלל ובזמן הזה אוכל כזית מצה ואינו טועם אחריה כלום כדי שיהיה הפסק סעודתו וטעם בשר הפסח או המצה בפיו שאכילתן היא המצוה: *Et postremo comedebant de carne Agni Paschalis particulam olivæ instar, nec postea quicquam amplius gustabat. Hoc verò tempore comedit particulam olivæ instar de torta azyma & post eam nihil quicquam amplius gustat, ut cessatio cœnæ ejus sit, & sapor carnis agni Paschalis vel tortæ azymæ maneat in ore ejus, quia horum comestio est præceptum divinum.* Ex his apparet, sacram cœnam non comparari posse cum סעודה מפסקת δείπνῳ ἀπολυτικῷ seu *cœna dimissoria*, quam Judæi olim tanquam secundas mensas addebant convivio sacrificiali seu epulo ex oblatis confecto, quæ sententia fuit Josephi Scaligeri libro sexto de emendatione temporum. Cum enim δεῖπνον id ἀπολυτικὸν ex bellariis constiterit, quæ Græcè ἐπίκωμον אפיקומן aut קנוח patrio idiomate juxta Scaligerum à Judæis appellabantur, scilicet si קנוח סעודה dicere velis, omnino epulo Paschali succedere non poterat juxta traditionem Judaicam alia quædam סעודה Ita enim habet canon ipsorum vulgatus Pes.ch. 119. 2. in Misna: אין מפטירין אחר הפסח אפיקומן μετὰ τὸ πάσχα οὐκ ἀπολύουσι τὸ δεῖπνον ἐπικώμῳ. Nec libri rituales Judæorum de tali quadam *Suda maffékes* epulum Paschale infe-

 quen-

ſequente quicquam habent, ita ut Jo. Buxtorffius optimo jure hic contradixiſſe Scaligero videatur in diſſertatione de cœna domini, quæ ſexta eſt Diſſertationum Philologico-Theologicarum.

§. III.

Quamvis autem inſtitutio Cœnæ Dominicæ traditionibus Judaicis in eo ſit contraria, quod eadem convivium Paſchale fuerit inſecuta, alia tamen ratione ex Eccleſiæ Judaicæ ritibus derivari poteſt; ſi rem probe attendamus. Scilicet, cum ſacrificia olim offerrentur, cedebat pars oblatorum Sacerdotibus & offerentibus, qui inſtituto convivio ſacrificiali vel epulo ex oblatis horum reliquias conſumebant. Conf. Exod. XVIII. 12. XXXII. 6. XXXIV. 15. ſeqq. Levit. II. 3. 10. VI. 16. 17. 18. 26. VII. 6. ſeqq. Num. XXV. 2. Deut. XII. 17. ſqq. 1. Sam. I. 3. 4. IX. 13. Pſalm. CVI. 28. Hoc itaque ex oblatis atque immolatis confectum epulum imitaturus Salvator corporis ſanguinisque ſui, quæ oblaturus erat in arâ crucis, participes nos eſſe voluit in epulo Euchariſtico, ex oblatis corpore ac ſanguine ſuo confecto. Quod quidem eo probabilius eſſe videtur, quoniam ipſa Paſchalis cœna fuit convivium ſacrificiale, utpote ex agno conſtans, qui Deo in loco ſancto ſacrificandus erat. Deut. XVI. 2. ſqq. Qui præ aliis hâc ratione cœnam Dominicam delineavit, eſt Radulphus Cudworthus, Anglus, cujus de vera notione cœnæ Dominicæ libellus conferri * meretur. Nec ſane video, quid contra hanc inge-

* Prodiit in lingua Anglicana ſub titulo: *a diſcourſe concerning the true notion of the Lord's ſupper by Ralph*

ingeniosissimi Viri sententiam dici possit, nisi forsan credat quispiam, novum ex ea pro præsentia reali corporis & sanguinis Christi in cœna Dominica argumentum exsculpi posse. Qui ita cogitaverit, à vero non abludet, id enim, quod oblatum est, convivium sacrificiale conficit, non ea, quæ oblata non fuere. Nec sufficit, quod nonnemo ait, symbola Eucharistica sacrificium in cruce factum repræsentare. Neque enim *epulum ex oblatis* olim constare debebat ex iis, quæ *repræsentabant oblata*, sed ex ipsismet oblatis, quod utique probe notandum est. Unde haud egregie ab eodem factum, cùm *sanctarum nugarum* vocabulo eam insignivit sententiam, qua Christum in S. cœna propriæ suæ substantiæ nos participes reddere asserimus. * Cæterum non dissimulandum est, Georgium Hickesium contra Cudworthi sententiam haud ita pridem quædam dixisse ** Etenim novam eandem appellat, atque eapropter rejiciendam, quod à sententiâ veteris Ecclesiæ tota abeat. Ita autem ad locum Tertulliani *** à Cudwortho productum, ubi *participa-*



*Cudvvorth D. D.* London 1642. Postea in minore forma recusus fuit, in majore verò additus Systemati Intellectuali. Eadem ferè dixerat Stuckius in Antiqu. Conviv.

* Conf. Historiam criticam Reipublicæ litterariæ Gallicè scriptam T. I. Art. V. §. 7. p. 145. seqq. Dogma de præsentia reali p. 147. vocatur *un saint galimatias.*

** In libro Anglico: *the Christian Priesthood asserted*, h. e. Sacerdotium Christianum assertum C. II. §. X. p. 165. seqq.

*** Totus Tertulliani locus hic est: *Nonne solemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, &* participatio sacrificii & *executio officii.* lib. de Oratione sub finem.

*cipatio sacrificii* memoratur, respondet, ut dicat, de pane & calice oblatis *participationem* accipiendam esse, id quod nec ipse Cudworthus negaverit. In eo itaque diversam à Cudwortho sententiam tenet Hickesius, quod oblationem epulumque ex oblatis combinet omniaque uno simul actu eodemque fieri contendat, Cudworthus verò oblationem dudum à Christo factam nunquamque repetendam afferat sacramque cœnam nonnisi epulum sacrificiale esse existimet, quod utique repeti semper possit atque etiam repetendum sit. Tum verò haudquaquam fallitur Hickesius, cùm ait, epulum ex oblatis concipi non posse, nisi oblata adsint, Cudworthum verò statuere, S. cœnam epulum ex oblatis esse, licet juxta eum panis vinumque offerri non debeant.* Si verò quis, qui præsentiam realem statuerit, in Cudworthi sententiam voluerit descendere, argumentum ab Hickesio prolatum suâ mole ruet. Nec negari tamen potest, S. Eucharistiam in eo ab epulo sacrificiali differre, quod hoc ex sacrificio pro peccato, cujus sanguis in sanctum sanctorum inferri debuit, & quale Christus fuit 1. Cor. V. 21. Hebr. IX. 12. non confici, nec sanguis unquam bibi potuit. Levit. VI. 30. Deut. VII. 27. Sed ostendendum tandem nobis est, quâ ratione ritus Eucharistici à Christo instituti cum ritibus Judaicis conveniant. Id quod non sine ratione hîc facimus, cum id oblationi veterum illustrandæ egregie possit inservire, ut ex sequentibus apparebit.

§. IV.

Primum itaque Christus pani benedixit ac super

* L. c. p. 270.

per eo gratias egit. Εὐλογήσας, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. aut εὐχαριστήσας Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 24. ἔκλασε. Qua in re ista εὐλογία aut εὐχαριστία constiterit, à Judæis discendum est. Absolvitur autem ea juxta hos sequentibus verbis, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ: *Benedictus sis, Domine, Deus noster, Rex mundi, qui producis panem è terra.* * Quæ verba dum recitat Pater familias ambas suas manus pani impositas habet. Nec dubium est, Christum hâc εὐλογίᾳ sæpius usum fuisse, cùm pani benediceret. ** Inde & à veteribus cœna Dominica εὐχαριστία fuit appellata & à Paulo poculum sacramentale nominatur τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, כוס של ברכה sive כוס של קדוש aut prouti juxta dialectum Thalmudicam exprimitur אכסא דברכתא 1. Cor, X. 16.*** Necessitatem hujus benedictionis inculcat Paulus, cum scribit: Πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον, ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. 1. Tim. IV. 4. 5. Quæ & ipsa juxta Judæorum placita dicuntur. Ita enim Berach. f. 35. 1. אסור לאדם שיהנה מן העולם הזה בלא ברכה: *Probibitum est homini, ulla re frui in hoc mundo sine*



* Conf. Misna Cod. Brachos. C. VI. §. 1.

** Vide Matth. XIV. 14. XV. 36. Marc. VI. 41. Luc. IX. 16. Joh. VI. 11.

*** Totam tamen Christi εὐλογίαν in sola illa Judæorum benedictione constitisse omnino non crediderim, contrarium in dissertatione *de Consecratione Eucharistia* demonstraturus.

*ſine benedictione.* & col. 2. l. c. כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאילי גוזל להקבה: *Quicunque fruitur re aliqua ex hoc mundo ſine benedictione, perinde eſt, ac ſi ſpoliaret Deum.* Non autem apud Judæos benedictio poterat pronúnciari, niſi apprehenſo prius pane benedicendo. Unde λαβὼν ante vocem εὐχαριστήσας vel εὐλογήσας exſtat, aut ἔλαβεν ἄρτον. Ita in Leſuſch hattechelet num 167. §. 3. לא יברך עד שיתפס הלחם בידו שיראו הכל שעליו הוא מברך: *Non benedicit, donec ſumſerit panem in manum ſuam, ut videant omnes, quod ſuper panem benedicat.* Idem in Schylchan aruch legitur: אין לברך קודם שיתפס הלחם: *Non benedicendum eſt, antequam quis apprehenderit panem.* Quod ex Orach chajim prolixius diducit Jo. Buxtorffius in Synagogæ Judaicæ C. XII. XVIII. Quemadmodum autem pani fuit benedictum, ita & vino, juxta vulgatum canonem: צריך לברך על כל כוס וכוס *Benedicendum eſt ſuper quolibet poculo.* Scilicet Pater familias poculum benedictionis conſecraturus מקבלו בשתי ידיו *ambabus manibus ſuis illud apprehendit,* cùm incipit conſecrare נוטלו בימינו *tollit illud dextra.* Benedictio autem poculi hæc eſt: ברוך יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן: *Benedictus ſis, Domine Deus noſter, Rex mundi, creans fructum vitis.* Inde eſt, quod, uti ſupra notavimus, poculum conſecratum vocatur poculum benedictionis, non autem קוס הלל uti quidam arbitrati ſunt, cum hæc denominatio in Talmude non inveniatur. קדוש autem poculo adſcribitur, non verò pani, uti male Camero in Myrothecio ad

Matth.

Matth. XXVI. Cæterum & merum & mixtum vinum poterat ad conſecrationem adhiberi. Conſecrabant enim ביין חדש ביין ישן ביין חי ביין מזוג uti habetur in Toſephos. Vinum tamen requirebatur rubrum מצוה לצאת ביין אדום *Præceptum eſt, ut vino rubido præſtet hoc officium.* Ita Talmud Hieroſol. ſed Babylonicum צריך שיהא בו טעם ומראה *Neceſſe eſt, ut ſit in eo ſapor & aſpectus vini*, ubi habet gloſſa שיהא אדום *ut ſit rubidum.* Communiter tamen adhibebatur κρᾶμα ſive vinum aqua dilutum. Unde iſta phraſis: מוזגו *miſcent* ei poculum. Quinimo ad vinum purum alia adhibebatur benedictio juxta Berach. 50. 2. ubi & *ſapientes* tandem decidunt, *non benedicendum eſſe ſuper poculum benedictionis, donec immiſceatur ei aqua.* Scilicet ut gloſſa habet יינם חזק מאד *vinum eorum valde ſtrenuum* erat, ita ut vix absque admixta aqua bibi potuerit. Quod eapropter notamus, ut appareat, primitivam Eccleſiem ritum hunc conficiendi κράματος à Judæis ſumſiſſe vinumque aqua mixtum conſecraſſe. Ita omnino in Conſtit. Apoſtol. L. VIII. C. XII. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος καὶ ἁγιάσας. Juſtinus M. Apol. I. Ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. & rurſus: ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. Irenæus *temperamentum calicis* L. IV. C. XXXIII. §. 2. & L. V. C. II. §. II. τὸ κεκραμένον ποτήριον memorat. Cyprianus Epiſt. LXIII. haud obſcurè innuit, *in ſanctificando calice Domini aquam ſolam offerri non*

*posse.* Origenes tamen Homil. XII. in Jerem. ait de Christo discipulis poculum Eucharisticum dante : ὐχ ὅτι ἐκέρασεν. ὁ Ἰησῦς γὰρ εὐφραίνων τὺς μαθητὰς ἀκράτῳ εὐφραίνει. f. 219. Observant Viri doctissimi, Armenios canone XXXII. Synodi Trullanæ damnatos fuisse, quod in Eucharistico calice solum vinum sine aqua sacræ mensæ apponerent. Nec negari potest, hanc traditionem de vino Eucharistico aqua miscendo innumeris ferè Patrum dictis fulciri posse. Servatur eadem adhùc tùm in Græca, tum in Romana Ecclesia. Notat hoc Card. Bona Rerum Liturgic. L. II. C. IX. §. 3. qui §. 4. addit : *Græci bis aquam miscent, semel frigidam, cùm in prothesi sancta dona præparant, pungente Sacerdote panem sancta lancea, & dicente:* Unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis & aqua, *& Diacono infundente vinum & aquam, deinde calidam post consecrationem, immediate ante communionem, petente Diacono à Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo verò benedicente his verbis :* benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc & semper & in secula seculorum. Amen. *Tum Diaconus infundit in calicem, dicens :* fervor fidei plenus Spiritu sancto. Amen. *Rationem reddunt hujus secundæ mixtionis Scriptores Græci apud Goar. in notis ad Missam Chrysostomi num. 167. & apud Arcudium L. III. suæ concordiæ cap. 39. tum quia aqua calida è latere Christi exivit, tum quia per eam fervorem S. Spiritus intelligi volunt.* Nec dissimulat quoque Hickesius, in prima Eduardi VI. Liturgia *temperamentum calicis* præceptum fuisse. Ibi

Ibi enim de Sacerdote consecrante : *putting thereto a little pure and clean water.* Vide Christianum Sacerdotium assettum C. II. p. 103, Martinus quoque Lutherus hanc veteris Ecclesiæ consuetudinem retinuit. Ita enim in Catechismo majore de sacramento altaris p. 553. *Verbum illud est, quo hoc Sacramentum fit atque discernitur, ne tantum simpliciter vinum & aqua, sed Christi corpus & sanguis sit ac dicatur.* Postea tamen in Ecclesiis Protestansium hæc consuetudo fuit abrogata, utpote indifferens ac à Domino haud præscripta. Quod vehementer dolere video J. E. Grabium, tum in notis ad Irenæi citata loca, tùm in notis ad Irenæi citata loca, tùm in Præfatione ad tract. de duobus Arabicis MSS. Bibl. Bodl. p. 9. edit. sec. Errat tamen Vir doctissimus, cùm ait, *Judæos Paschale epulum haud ritè mero vino sine aqua se celebrare putavisse*, cùm contrarium egregie demonstret Lightfootus ed Matth. XXVI. 27. qui tamen, cùm ad 1. Cor. XI. 25. commentatur, erudite observat, *temperamentum calicis* sanguini veteris Testamenti aqua mixto Exod. XXIV. 5. 6. Hebr. IX. 19. egregie respondere. In Grabii partes descendit quoque Whistonus, qui in Tr. de Constitut. Apostol. C. VI. §. 20. p. 709. omnino putat, in Eucharistia vinum aqua miscendum esse. Id quod novæ quoque, quam confecit. Liturgiæ inseruit, ubi : *the Priest shall then mix the wine with the water*, cum in Præfatione Liturgiæ præposita jam aliqua hanc in rem dixisset. Cæterum egtegiè totum hoc aegumentum exsecutus est Jo. Gerhardus, Theologus olim Jenensis, in locis Theologicis, articulo, qui de S. cœna agit, C. VIII. de cramate Eucharistico, ubi demonstrat, ri-

tum hunc, utpote indifferentem, tanquam necessarium non esse obtrudendum. Ut verò ad id, unde digressi sumus, redeamus, notandum nobis est, poculum eucharisticum demum μετὰ τὸ δειπνῆσαι post cœnam consecratum fuisse. Luc. XXII. 20. 1. Cor. XI. 25. Unde glossa in Talm. Babyl. Berach. f. 51. 1. כוס של ברכה ברכת המזון *Poculum benedictionis est, cum benedicitur post cibum.* Consecrato verò poculo, quivis ad bibendum admittitur. Ita Col-bo n. 25. f. 21. col. 4. אחר ברכת היין שותה כל אחד מהם מכוס של ברכה מלא לוגמיו: *Post consecrationem vini bibit unusquisque ex poculo benedictionis haustum.* Atque hæc de λήψει & εὐλογίᾳ sufficiant.

§. V.

Benedictione facta, fregit Christus. ἔκλασε. Consuetudo hæc pari ratione à Judæis desumta fuit. Ita Berach. f. 39. 2. מברך ואחר כך בוצע *Benedicit* Pater familias, *& postea frangit.* Quod repetit Maimonides in הל' ברכות ubi C. VII. בעל הבית מברך המוציא ומשלים הברכה ואחר כך בוצע: *Est* autem *præceptum* Judaicum, *panem integrum frangere* juxta illud: מצוה לבצוע ככר שלמה quemadmodum & benedictio *super panem integrum* על פת שלמה recitanda erat. Notandum tamen, in cœna Paschali ante benedictionem panem fractum, hocque in ritu illam ab aliis conviviis diversam fuisse, quod probè observavit Lightfootus in Ministerio Templi Hieros. C. XIII. §. 7. & ad Matth. XXV. 26. Allegantur ibi verba Maimo-

Maimonidis, causam diversitatis hujus explicantis: *Quare autem non benedicit super duos panes eo modo, quo aliis diebus festis? Quia hic vocatur* לחם עוני *panis paupertatis. Pauperibus autem res est cum frustis, atque hic pariter sunt frustra.* Vide הלכות חמץ ומצה Inde idem הלכ׳ ברכות C. VII. §. 4. מן המובחר לבצוע ככר שלימה *Optimum est, si frangatur panis integer.* Quo & pertinet id, quod in Orach chajim num. 167. §. 14. dicitur: אם כולם אוכלים מככר אחד בעל הבית הבוצע נותן פרוסה מככרי לפני כל א׳ וא׳ *Si omnes comedant de pane uno, tum pater familias frangens panem dat unicuique frustum de pane suo.* Debebat autem fractio panis fieri, antequam *Amen* à respondentibus dictum esset, juxta Berach. f. 47. 1. אין בוצע רשאי לבצוע עד שיכלה אמן מפי העונים: *Frangens panem ne frangat ante prolatum Amen ab ore respondentium.* Atque hanc ipsam τοῦ ἀμὴν responsionem imitata quoque est primitiva Ecclesia, tum Orientalis, tùm Occidentalis. Ita enim distributio symbolorum eucharisticorum describitur in Constit. Apost. L. VIII. C. XIII. *καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν, λέγων· σῶμα Χριστοῦ· καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω· ἀμὴν. ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω· αἷμα Χριστοῦ, ποτήριον ζωῆς· καὶ ὁ πίνων λεγέτω· ἀμὴν.* Eadem ferè habentur apud Justinum M. Apol. II. f. 98. *καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ ἀμὴν.* In Occidentali autem Ecclesia eandem obtinuisse consue-

ſuetudinem patet ex libro IV. Ambroſii de Sacramentis C. V. *Dicit tibi Sacerdos*: corpus Chriſti, *& tu dicis*: Amen, *id verum eſt*. Plura teſtimonia collegit Card. Bona Rer. Liturgic. L. II. C. V. §. 6. C. XIII. §. 1. C. XVII. §. 3. & de divina pſalmodia C. XVI. 17. n. 5. Fracto autem pane ſequebatur illius diſtributio, additis quibusdam verbis ad præſens negotium ſpectantibus. Panes azymi porriguntur apud Judæos, hiſce adjectis: הא לחמא דעניא די אכלו אבהתנא בארעא מצרים: כל דכפן ייתי וייכל: וכל דצריך ייתי ויפסח: quæ verba in Græcum ſermonem commodiſſimè ita translata fuere: *ὅ ἢ ἄρτος ταλαιπωρίας, ὃν ἔφαγον οἱ πρόγονοι ἡμῶν ἐν τῇ γῇ Αἰγύπτου· πᾶς ὁ πεινῶν δεῦρο καὶ φαγέτω· πᾶς ὁ χρείαν ἔχων δεῦρο καὶ πασχατιζέτω.* His poſt excidium Hieroſolymitanum ſequentia adjecta fuere: השתא הכא לשנה הבאה בארעא דישראל השתא הכא עבדי לשנה הבאה בארעא דישראל בני חורין: *νῦν μὲν ἐνθάδε, εἰς νέωτα ἢ ἐν τῇ γῇ Ἰσραήλ. νῦν μὲν ἐνθάδε δοῦλοι, εἰς νέωτα δὲ ἐν τῇ γῇ Ἰσραὴλ ἐλεύθεροι.* Quemadmodum autem panes azymi additis hiſce verbis porriguntur, ita ſymbola euchariſtica conſecrata à Chriſto diſtributa fuere cum adjuncto epiphonemate: *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου.* Ubi itidem & vox *σῶμα* ex Judaica *φράσει* debet derivari. Judæis enim Agnus Paſchalis aſſus inque menſa poſitus olim dicebatur גופו של כבש הפסח vel גופו של פסח *Corpus Paſchatis.* Hùc ſine dubio alluſit Chriſtus, ut innueret, diſcipulos quidem ſuos hactenus *corpus Paſchatis*

*ſchatis* comediſſe, hoc eſt, typum corporis ſui in mortem mox tradendi, nunc verò ſe ipſis dare verum *corpus ſuum*, in locum typorum veteris Teſtamenti tanquam complementum ſucceſſurum.

## §. VI.

Reſtat, ut cæteros ritus Judæorum, qui cum ritibus euchariſticis à Chriſto inſtitutis conveniunt, breviſſimis tangamus. Prima euchariſtiæ celebratio hymno finita fuit. Καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον. * Hymnus, quem cecinere, fuit idem, quem Judæi poſt comeſtum Agnum Paſchalem canunt, Pſalmos CXIII. CXIV. CXV. CXVI. CXVII. & CXVIII. complexus, vocaturque ab ipſis הלל duasque in partes dividitur. ** Prima continet Pſ. CXIII. & CXIV. & ante cibum recitatur. Altera reliquos comprehendit Pſalmos & cœnam paſchalem inſequitur, exhauſto ſcilicet poculo quarto & ultimo, cui additur ברכת השיר *benedictio cantici*. Cæterum vox ὑμνεῖν adeo familiaris Judæis olim fuit, ut in Midras Tillim. f. 4. 2. & 42. 1. Midras Tanchuma, Breſchis Rabba Sect. 16. Midras Coheles f. 301. 4. הימנון exſtet. Tales quoque hymnos in primitiva Eccleſia aut lectos aut cantatos fuiſſe vel ex ſolis apparet Conſt. Apoſt. ubi L. VIII. C. XIII. hæc leguntur: Ψαλμὸς δὲ λεγέσθω τριακοστὸς τρίτος ἐν τῷ μεταλαμβάνειν πάντας τοὺς λοιποὺς. Addit Juſtinus M. Chriſtianos in celebratione

* Vide Matth. XXVI. 30. Marc. XIV. 26.

** De diviſione hujus hymni à Rabbinis *magnum Hallel* dicti diſceptatum fuit olim inter ſcholas Schammæanam & Hillelianam. Vide **Jo. Lightfooti Horas Hebraicas ad Marc. XIV. 26.**

tione Eucharistiæ θεῷ εὐχαρίστους ὄντας διὰ λόγου πομπὰς καὶ ὕμνους πέμπειν. Apol. II. f. 60. Ast de hoc quidem argumento in diss. de consecratione Eucharistiæ nobis agendum erit. Uti autem Judæi certam lectionem paschalem habent, quam in cœna paschali solemniter certoque ordine ac ritu legunt הגדה nuncupatam, quæ vox καταγγελίαν,* annunciationem significat, ita Corinthiis Eucharistiam celebrantibus *annunciationem* mortis Domini injunxit Paulus: ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνετε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ. 1. Cor. XI. 26. ad quæ verba hæc scripsit Joannes Lightfootus: *Notum est, quid fuerit* הגדה *in cœna paschali, enunciatio scilicet magnalium Dei in liberatione populi ex Ægypto. Eandem, ut videtur, retentam voluerunt Judaizantes hi Corinthii in cœna Dominica, ac si in istam commemorationem solùm instituta & supperaddita fuerit Eucharistia. Vox* καταγγέλλετε *optime respondet voci Haggada, & dum eos monet Apostolus, mortem Christi illud esse, quod erat annunciandum, colligi potest, eos de hac re errasse, ac respexisse aliò.* Ex quibus omnibus patet, *sumtionem*, εὐλογίαν, fractionem, nomenclationem *corporis* Dominici & ποτηρίου τῆς εὐλογίας, distributionem certis cum verbis conjunctam, hymnum Eucharisticum & annunciationem mortis Domini, ex ritibus Judaicis, si externa spectes, originem sumsisse, aut potius, optimum Salvatorem hos ritus, utpote in Judæis receptos, cum Sacramentum

* Conf. Exod. XIII. 8.

tum corporis sui institueret, adoptâsse, retinuisse & sanctificasse. Id quod erat demonstrandum.

## §. VII.

Cum itaque Sanctissimus Salvator in institutione cœnæ Dominicæ ad Judæorum ritus sese accommodâsset, atque in suos usus ad celebrandum novi Testamenti Sacramentum eos transtulisset, haud crimini sibi fore arbitrabantur Viri Apostolici, si oblationem quoque donorum consecrandorum, cui adsueti in sacris erant Judæi, illis superadderent. Etenim cum ipsimet fuissent Judæi, inde à juventute istis sacris defungi consueverant, * tantisper ea retenturi, quæ mandato Domini novique Testamenti genio haud forent contraria. Novas enim constitutiones, ad quas & Irenæus in fragmento nostro alludit, circa ritus nempe sacros Apostolos confecisse, negari nequit, si unicum spectes Pauli verbum: τὰ δὲ λοιπὰ, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι. 1. Cor. XI. 34. Addi possunt loca, in quibus idem Apostolus γνώμην suam ab ἐπιταγῇ Κυρίου distinguit. 1. Cor. VII. 6. 10. 12 25. Quò forsan Παραδόσεις διὰ λόγου pertinent, quæ memorantur 2. Thess. II. 15. Cæterum ad has διατάξεις δευτέρας τῶν Ἀποστόλων oblationem Eucharistiæ refert Irenæus noster, cujus in secundo nostro fragmento hæc verba

* Hæc prima origo. Altera ab Agapis derivanda, ubi quivis juxta 1. Cor. XI. suum apportabat. Abrogatis autem iisdem dona tamen offerebantur non ad epulum sed ad conficiendam Euch. ad pauperes alendos & Eccles. Ministros sustentandos.

ba ſunt: *οἱ ταῖς δευτέραις τῶν Ἀποςόλων διατάξεσι παρηκολουθηκότες ἴσασι.* Quamvis enim in omnibus Eccleſiis eam primitus ab Apoſtolis inſtitutam non fuiſſe exiſtimem, in iis tamen credo ſtabilitam, quæ ex Judæis collectæ erant, quorum ritus tantiſper retinere voluerant Apoſtoli, indifferentes nempe & innocuos, ne animos à Chriſtiana fide redderent alienos. Vide Act. XVI. 3. XVIII. 18. XXI. 23. ſeqq. 1. Cor. IX. 20. 22. Secuti poſtmodum hunc oblationis ritum ſunt Viri Apoſtolici, ita, ut ſenſim ſenſimque in univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem is evaſerit, quam qui negaverit, næ is omnis Eccleſiaſticæ antiquitatis imperitus admodum videbitur. Faceturque omnino inter noſtros celeberrimus Theologus Joannes Gerhardus, *in primitiva Eccleſia more receptum fuiſſe, ut ad Euchariſtiæ celebrationem acceſſuri panem & vinum offerrent, ex quibus pars quædam in Euchariſtia fuerit conſecrata, preceſque ſuper hâc ipſâ oblatione pro gratioſâ illius acceptatione dictæ.* Conf. Confeſſ. ipſius Cathol. ſub initium articuli, qui de ſacrificio Miſſatico agit.

§. VIII.

Eſt quidem Vir celeberrimus, Georgius Hicke- S. Theol. olim Doctor & Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, qui in eruditiſſimo libello, quem *Chriſtianum Sacerdotium aſſertum* vocat Anglicoque conſcripſit idiomate, omnem movet lapidem, ut ex divinioris canonicæque Scripturæ monumentis *oblationem* exſculpat *Euchariſticam.* Ita autem heic procedit, ut ea argumenta, quibus Eccleſia Romana ad proban-

bandum Missæ sacrificium utitur, sua faciat, etsi *oblatio*, quam statuit, *Eucharistica* infinitis modis à sacrificio Missæ distet. Initium facit* à Matth. V. 23. 24. ubi: ἐὰν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, & quæ sequuntur. Rectè ait, δῶρον hic significare oblationem, de quâ Matth. VIII. 4. XXIII. 18. sermo sit. At protinus in aliam delabitur sententiam, additque, Christum hæc Discipulis suis dixisse, adeoque per anticipationem nomine δώρου oblationem eucharisticam intellexisse. Affert postmodum plura anticipationis ejusmodi exempla, multaque Patrum loca, qui citatum locum de oblatione Eucharistica explicant. Quibus id primum est quod regerimus, Christum sermonem in monte non coram solis discipulis habuisse, sed coram populo quoque. Id quod patet tùm ex Matth. V. 1. ubi ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, tùm ex Matth. VII. 28. hîc enim: καὶ ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο ΟΙ ΟΧΛΟΙ ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Itaque Judæis maximè ista dixit, qui ipsi nondum nomen dederant. Alterum, quod reponimus, est, Christum sine dubio ita locutum fuisse ad populum, ut ab ipso discipulisque potuerit intelligi. Ast, instituto nondum corporis Dominici Sacramento, vix comprehendi potest, qua ratione populus sensum eorum, quæ Christus dixerat, percipere potuerit, si de oblatione Eucharistica illa explicari debeant. Porrò sine necessitate nulla unquam supponenda est anticipatio, saltem, ἵνα τῇ ὑποθέσει δουλεύωμεν. Nec anticipationes dictorum

Q alibi

* C. II. §. VI. p. 42. sqq.

alibi occurrentes argumentum anticipationis hoc quoque in loco ſtatuendæ eſſe poſſunt. Eas verò dari nemo forſan eſt qui diffiteatur, adeo ut labore iſto colligendarum anticipationum ſuperſedere queant Viri doctiſſimi. Denique ex Patrum locis nihil aliud conficitur, quam eos, cum de reconciliatione tamquam præparatione ad ſacram communionem locuti ſunt, ad hoc Salvatoris dictum alluſiſſe, ſuisque uſibus illud accommodaſſe, id quod & hodie ab iis Proteſtantium Homiletis fit, qui nil minus quam oblationem euchariſticam proprie ſic dictam ſtatuunt. Si qui autem inter ſanctos Patres ſint, qui allegata Chriſti verba de ſymbolis euchariſticis in altari offerendis proprie explicanda cenſuerint, ii utique nondum traditionem efficiunt Apoſtolicam aut explicationem, quam nulla oppoſiti formido dubiam reddat.

## §. IX.

Pergit Vir eruditus, & ad demonſtrandam oblationem euchariſtiæ verba inſtitutionis Dominicæ allegat, ubi τȣ̃το ποιεῖτε occurrit, quod vertendum exiſtimat *hoc offerte.* Heic largiſſimè omninò concedimus, vocem ποιεῖν, quod eruditè ab ipſo demonſtratum eſt, maximè ſecundum modum ſcribendi Helleniſticum ſignificare *offerre.* Quod cùm ex libris vet. Teſt. luculenter pateat, ubi verſio Græca pro עשה verbum ποιεῖν habet, loca quoque novi Fœderis allegat noſter, in quibus verbo ποιεῖν eadem oblationis ſignificatio adſcribitur. Sunt ea quæ 1. Tim. II. 1. & Ebr. XI. 28. exſtant. Sed, ut verum fateamur, nihil impedit, quo minus in utroque

que loco ποιεῖν per *facere* ac *celebrare* exponamus. Eadem dicenda omnino sunt de verbis S. Clementis Ep. I. ad Cor. §. 40. οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι. Egregie enim ποιοῦντες hîc per *facientes* redditur, nec video cur dicendum sit *offerentes oblationem*, hoc enim durius sonat. Accedit sanctissimum Clementem hîc de προσφοραῖς τῶν λαϊκῶν loqui. Quod facile animadvertet, qui penes se cogitaverit, Clementem sub finem articuli hujus repetere, quæ antea prolixius paululum dixerat, atque summi Sacerdotis, cæterorum Sacerdotum, Levitarum ac Laicorum officia ita distinguere, ut ad hos in præcedentibus verbis referri nihil possit, nisi τὸ ποιεῖν τὰς προσφορὰς, quæ oblatio, si Laicorum sit, utique Sacerdotalis non est. Nec de verbis ex Justini M. Apol. I. prolatis aliter judicandum esse existimamus. Quum enim ibi dicitur: καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται, omninò vertendum est *gratias agit*, non *gratias offert*, quod valde improprium est. Si vero pro verbis ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, diceretur ἔπειτα ποιεῖται, invenisset utique quod desiderasset Hickesius. Hæc tamen dum dicimus, non diffitemur, verbum ποιεῖν alibi à Justino Martyre per latinum *offerre* reddi posse, nisi ex ea ratione id per *conficere* exponi velis, quoniam τῷ προσφέρεσθαι contradistinguitur in Dial. cum Tryph. Jud.

p. 259. Atque in altero hujus Dialogi loco p. 345. dicitur εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας ποιεῖν, ubi commodiſſimum erit, ſi vertas *facere*. Non eſt inſtituti noſtri, reliqua adducere teſtimonia, quæ Vir laudatiſſimus ex Epiſtola Cornelii, Epiſcopi Romani ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, & Jo. Chryſoſt. Hom. 83. in Matth. 26. profert, cum, quod & de præcedentibus locis diximus, verbum ποιεῖν rurſus per τὸ facere explicari queat. Ipſe tandem hoc fatetur Hickeſius, cum ait, verba Irenæi, *dedit præceptum faciendarum oblationum*, in Græcis forſan hæc fuiſſe, ἐντολὴν τοῦ ποιῆσαι θυσίας παρέδωκεν vel ἐνετείλατο ποιεῖν θυσίας; atque Tertullianum quoque dicere: *oblationes facimus*. Ποιεῖν igitur juxta veteres *facere* ſignificat, iis ipſis in locis, ubi de oblatione agitur. Aſt non opus eſt, ut prolixius hæc diducamus, cum fateamur, ποιεῖν tùm apud profanos Autores, tùm in Græca verſione, tùm in liturgiis aliquando *oblationis* innuendæ cauſa poſitum eſſe. Hoc tamen non impedit, quò minus, ubicumque poſſumus, ordinariam communemque ſignificationem extraordinariæ præponamus, cum ad hanc eligendam nulla nos cogat neceſſitas. Unde & doctiſs. Vir ait, τὸ ποιεῖτε, ad totam actionem & adminiſtrationem euchariſtiæ referri poſſe, atque ita cultum ſacrificii denotare, quod utique ex priori poſitione non ſequitur, niſi quod in quæſtione eſt, ſupponas, euchariſtiæ eſſe ſacrificium. Quæ verò ex Irenæo & Cypriano affert noſter, in ſequentibus penſitabimus. Apparet autem, Chriſtum mandato hoc τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν

ἐμὴν

ἐμὴν ἀνάμνησιν, innuere voluiſſe, ſacramentum corporis ſui non ſolum à diſcipulis celebrandum, ſed &, cum celebretur, in memoriam ſui ſumendum atque accipiendum eſſe. Hinc illud: τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, ubi ſane verti nequit: *hoc offerte quotiescunque biberitis, in meam memoriam.* 1. Cor. XI. 25. Addi poteſt comma ſequens, ubi ποιεῖν per ἐσθίειν & πίνειν, verba autem εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν per καταγγελίαν τοῦ θανάτου τοῦ Κυρίου explicantur. Denique non eſt ex Patribus Latinis ullus, qui ita verba citata vertat: *hoc offerte in meam memoriam. Facite* enim ſcribunt omnes. Nec, ut arbitror, opus eſt, nodum in ſcirpo, ut ajunt, quærere.

§. X.

Ex voce altaris tertium pro oblatione eucharistica argumentum Hickeſius deducit.* Hanc S. Paulus ponit 1. Cor. IX. 13. ubi οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. Aſt, ſi rectè calculum ponimus, de Sacerdotibus vet. Teſt. loquitur hic Paulus, atque hos cum iis confert, qui Evangelium annunciant, eum in finem, ut quemadmodum illi rebus oblatis alebantur, ita & hos propter annnnciationem Evangelii alendos eſſe ab iis, qui Evangelium audiunt, demonſtret. Alium itaque locum addit Vir doctus, qui Ebr. XIII. 10. exſtat: ἔχομεν θυσιαστήριον, ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες. Scilicet, ſi in no-



* C. II. §. VII. p. 53. ſqq.

vo Teſtamedto *altare* eſt, ergo & *oblatio.* Id unum probandum eſt, θυσιαςήριον, de quo Paulus loquitur, eſſe θυσιαςήριον proprie ſic dictum. Crediderim potius, menſam dominicam hîc θυσιαςήριον appellari, quòd cnm θυσιαςηρίοις veteris Teſtamenti conferatur, uti typus cum antitypo. Ea quippe eſt Pauli mens: *Ex ſacramento corporis dominici, quod celebramus, iis comedere non permittimus, qui Judaicis adhuc ritibus legique cærimoniali operantur, ciborumque ſervant diſtinctionem* juxta comma 9. *Cauſa autem, cur id faciamus, hæc eſt, quia Chriſtus extra Hieroſolymas paſſus primo adimplevit adeoque abrogavit ritum Judaicum, juxta quem eorum animalium corpora extra caſtra comburebantur, quorum ſanguis in ſanctum inferebatur, ſecundo nobis hâc ratione intimavit, ut exeuntes ad illum extra portas relictis ſcilicet omnibus Judaicis cærimoniis, ignominiam ejus feramus, utpote qui crucifixi Jeſu audiamus ſectatores.* Vide comma 11. 12. 13. Per θυσιαςήριον autem proprium altare hîc non intelligi ex eo apparet, quia comm. 9. ritus legis Judaicæ cærimonialis rejiciuntur, quia comm. 10. prohibemur τῇ σκηνῇ λατρεύειν, quia porrò juxta comma 13. exeundum eſt ἔξω τῆς παρεμβολῆς, ubi nullum altare, quia denique eæ oblationes, quæ in novo Teſtamento fiunt, non ſunt niſi θυσία αἰνέσεως ſive καρπὸς χειλέων ὁμολογούντων τῷ θεῷ & εὐποιΐα ſive κοινωνία comm. 15. 16. Denique, ſi Chriſtus ſacramentum corporis ſui in altari non conſecravit, quod

* C. II. §. XII. p. 68. ſqq.

quod omnes largiuntur, aut oblatio fieri ſine altari poteſt, aut ſacramentum cœnæ dominicæ non fuit oblatio.

## §. XI.

Pergit clariſs. Hickeſius * & ad 1. Cor. X. 20. 21. provocat. Hîc Apoſtolus: ὐ δύνασθε τραπέζης Κυρίȣ μετέχειν καὶ τραπέζης δαιμονίων. At verò nec de oblatione nec de altari hîc quicquam dicitur, ſed de epulo ex oblatis aut convivio ſacrificiali, cum quo ſupra jam S. cœnam comparavimus. Egregie Cornelius à Lapide in hunc locum n. 60. 61. *Apoſtolum per menſam dæmoniorum non intelligere altaria idololatrica gentilium, in quibus gentiles dæmonibus immolàbant, ſed menſas, in quibus, poſt ſacrificia peracta, ex cibis & potibus ſacrificatis convivia inſtituebant vel domi vel in templis. 1. Cor. VIII. 10. X. 27. 28.* Regerit tamen Vir doctiſſimus, menſam Domini cum menſa dæmoniorum ideo comparari, quod in utraque ea prius offerantur, quæ poſtmodum comedenda & bibenda proponuntur. Sed hùc, uti arbitror, Apoſtolus non reſpicit, etſi utique dici poſſit, epulum euchariſticum epulum eſſe conſiſtens ex corpore & ſanguine Domini, in cruce oblatis. At non opus eſt, ut eousque procedamus. Hic enim ſenſus eſt verborum Apoſtolicorum: *Non licet vobis intereſſe epulis ſacrificialibus Gentilium, quia hiſce epulis cultum Diis ſuis reddunt eaque in iis comedunt, quæ in honorem Deorum ſuorum mactavere. Cùm his autem nolim ut ullam vos communionem habeatis.*



* C. III. §. IX. p. 80. ſqq.

*beatis. Aliud habetis epulum, quod in honorem veri Dei celebratis, scilicet cœnam dominicam, ubi corpus & sanguinem Domini accipitis.' Horum participes fieri insimulque poculum dæmoniorum bibere & ex eorum mensa comedere non potestis.* Clara hæc sunt atque evidentia, etsi de oblatione nihil memoretur. Nec in similibus aut comparationibus omnia ad vivum resecanda sunt. Exempli loco sint, quæ explicamus, Pauli verba. Ait enim: *ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει.* Christiani verò Sacerdotes nihil *θύουσι*, *mactant*, unde nolim eos appellari *θύτας*, *mactatores*, quo nomine tamen Ministros Evangelii innuit noster Hickesius. * Cæterum haud negaverim, *τράπεζαν* pro *θυσιαστηρίῳ* aliquando poni, uti & apud Hebræos שלחן גבוה aliquando pro altari in Talmude ponitur. Nostro tamen loco ea significatio non convenit, ubi ad epulum ex oblatis respicitur, mensaque innuitur, cui oblata imponuntur, non ut offerantur, sed ut comedantur. Quod ipse vidit Hickesius, qui de mensis, in quibus epulæ sarcrificiales celebrabantur, multa erudite disserit.

## §. XII.

Ultimum quem Hickesius producit ** locum, ut oblationem Eucharistiæ probet à Christo Apostolisque traditam, Epistola Pauli ad Rom. C. XV. comma 15. 16. exhibet, ubi: *εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐ-*

* Cap. II. §. IX. p. 86.
** C. II. §. X. p. 92. sqq.

εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Hæc verba noster ita παραφράζει. *Nihilominus, fratres, scripsi ad vos audacius paululum, in memoriam vobis revocaturus, quod per gratiam officii Apostolici, quæ mihi data est à Deo, juxta vaticinium Jesajæ LXVI. 20 sim Minister Jesu Christi ad Gentiles, ad fratres vestros ex omnibus nationibus tanquam oblationem Domino offerendos, sacerdotali munere exercens Evangelium Dei, ut oblatio vel sacrificium Gentilium conversorum per me tanquam Sacerdotem Evangelicum facta sit ipsi accepta, dissimilis omninò sacrificiis victimarum sale conditarum, at similis oblationi Evangelicæ sanctæ eucharistiæ, sanctificatæ per Spiritum S.* Addit porro observationes varias Vir eruditus, lectu dignissimas, de vocibus λειτουργὸς, προσφορὰ, ἱερουργεῖν & τελετή. Pace tamen ipsius dixerimus, hæc omnia longius petita & textui illata esse. Quidni potius dixerimus, per προσφορὰν τῶν ἐθνῶν simpliciter intelligendam esse oblationem eucharisticam, licet nec hoc ex eo firma ἀπόδειξει derivari queat, quod Patres antiquissimi eam προσφορὰν τῶν ἐθνῶν appellitent. Solam itaque *allusionem* à Paulo ad eucharistiæ sacramentum factam probare contendit, quæ cum mera conjectura nitatur, utique ad probandam eucharistiæ oblationem haud videtur ex omni parte sufficere. Quinimo sunt, qui ex hoc loco probare conantur, nullam in novo Testamento dari externam oblationem, cum oblationi veteris Testamenti heic contradistinguat Paulus nonnisi spiritualem illam in prædicatione Evan-

gelii consistentem, per quam Gentiles convertantur, & tamquam sacrificium Deo offerantur. Rom.XII.1. Est enim in conversione aliquid, quod egregiè cum sacrificiis veteris Testamenti convenit, immolatio atque destructio veteris hominis sive voluptatum carnis pravarum, & dedicatio illa atque consecratio qua tota anima nostra corpusque Deo dedicantur atque offeruntur. 1. Cor. VI. 20. Atque ita, ut puto, demonstratum est, argumenta à D. Hickesio prolata, etsi magnam Viri eruditionem diffusamque antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam luculenter ostendant, rem tamen haud conficere, quam probandam sibi sumserat, oblationem nempe eucharisticam ex ipsis quoque canonicis novi Testamenti libris adstrui posse.

## §. XIII.

Qui Romanæ Ecclesiæ placita de sacrificio Missæ defendunt, alia paululum via incedunt. Non enim cum his conferri potest Theologi Anglicani sententiâ, qui panem saltem vinumque in eucharistia offerri ait, ante consecrationem quidem tanquam dona, quæ ex creaturis suis Deus offerri jusserit, post consecrationem verò tanquam mysticum corpus & sanguinem Jesu Christi, cùm Romana Ecclesia non panem solum vinumque, sed & verum corpus verumque sanguinem Christi Deo in missa se offerre credat. Rationes, quibus hæc oblatio confirmetur, prolixè adduxit Card. Bellarminus L. I. de Missa C. VI. & sqq. Nolumus repetere, quæ contra eum plures dixere, ne actum agere videamur,

mur. Id tamen diſſimulare non poſſumus, eſſe inter noviſſimos, qui hoc deargumento ſcripſere, Virum oppido eruditum, qui omni qua potuit, veritatis animique pacem Eccleſiaſticam ardentiſſimè quærentis ſpecie aſſumta, oblationem Miſſaticam denuo illuſtrare atque ipſo ex codice ſacro probare ſuſtinuit.* Eſt is *Zephyrinus de pace*, ſub quo nomine quis lateat, nos latet, unde quæ contra ipſum dicemus, ſine ulla dicentur præjudicata opinione vel odio præconcepto, quod ab omni Chriſtiano omnino alienum eſſe debet, & cui evitando ipſemet laudatiſſimus Vir, qui iſta ſcripſit, inſignem operam collocâſſe videtur. Agedum igitur, rationes ipſius paulo examinemus penitius. Et primo quidem de iis, quæ ex Bellarmino affert, parum heic addemus, cum titulos ſaltem referre argumentorum Viro docto placuerit. Id unicum miror, Zephyrinum noſtrum illa tam valida & clara eſſe arbitrari, ut nihil hactenus ſolidi repoſitum eſſe iis exiſtimet. Ita enim arbitror, quemvis qui ſine præjudicata opinione illa, quæ Bellarminus affert, examinaverit, etſi quoque ſacrificium Miſſàticum credat, non tamen omnibus doctiſſimi Cardinalis argumentis calculum adjecturum, ſed vi veritatis victum quædam ipſius peni-

* Vide *Die nöthige vviederauffrjchtung der erſten Chriſtlicheu Kirche vorgeſtellet durch vvohlgemeinte Alt-Chriſtliche Gedancken über das project zu vereinigung der Catholiſchen und Proteſtirerden Religionen. Braunſchvveig 1709. 4.* Titulus latine poſitus hic eſt: *Neceſſaria reſtitutio primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ propoſita per obſervationes ex primitivo Chriſtianiſmo petitas in conſilium de Catholica & Proteſtantibus Religionibus uniendis.* Locus, quem innuimus, exſtat Prop. III. Qu, I. §. 5. ſqq. p. 112. ſqq.

penitus rejectum esse. Quod utique paucissimis dabo demonstratum. Argumentum à Melchisedecho fictitiaque illius oblatione petitum sua mole corruit. Hebræa veritas habet: הוציא *protulit*, Græca versio ἐξήνεγκε. Gen. XIV. 18. Scilicet, cùm è prælio rediret Abrahamus cum suis, Melchisedechus, Rex Salem, humanitatis officio defuncturus, pane & vino fatigatos refecit. Apparet hîc, Melchisedechum panem vinumque non Deo obtulisse, sed Abrahamo, ipsumque hoc fecisse non ut Sacerdotem, sed ut Regem Salemi, ita ut mirum videatur, hæc de oblatione quadam sacerdotali exponi. Nec Græcum quoque ἐξήνεγκε significat *obtulit*, uti arbitratur Hickesius*, sed *protulit*, quam vocem & Cyprianus adhibet Epist. LXIII. *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum*, licet postea *proferre* per *offerre* explicet. Quinimo Melchisedechum non Deo sed Abrahamo panem & vinum obtulisse ait Tertullianus adv. Judæos: *Melchisedech ipsi Abrahæ jam circumciso, revertenti de prælio, panem & vinum obtulit incircumcisus.* Et Clemens Alex. Strom. L. IV. f. 392. Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ὁ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν εἰς τύπον εὐχαριστίας. Itaque Clemens istam panis vinique distributionem cum communione eucharistica saltem confert, non autem oblationem quandam, quæ in Scriptura non memoratur, cum alia oblatione, quæ in Eucharistia fieri debeat. Quod eapropter ponimus, ne consensus Patrum de Melchisedechi oblatione nobis objiciatur. Dissentiunt enim ii, licet post Clem.

* In Christiano Sacerdotio asserto C. II. §. 10. p. 117.

Clem. Alex. fere omnes ſacrificium veramque oblationem, quæ typus euchariſtiæ fuerit, Melchiſedecho attribuant. Nec tamen & hi omnes in unam deſcendunt ſententiam, cum Chryſoſtomus Comm. in Pſ. CX. ita ſcribat: *καὶ διὰ τί εἶπε, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ; καὶ διὰ τὰ μυστήρια, ὅτι κἀκεῖνος ἄρτον καὶ οἶνον προσήνεγκε τῷ Ἀβραάμ.* Denique difficile admodum eſt, ſententiam Romanæ Eccleſiæ cum Patrum explicatione combinare. Ita enim poſt plures alios Auguſtinus L. 83 Quæſtionum Qu. 61. *Sacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus ſacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſſionis memoriam commendavit, ut ILLUD, QUOD Melchiſedech obtulit Deo, per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri.* Idem ergo quod obtulit juxta Auguſtinum Melchiſedech, in oblatione euchariſtica quoque offertur. Ergo nonniſi panis & vinum offerenda ſunt, corpus enim ſanguinemque Chriſti offerre Melchiſedechus non potuit. Aut itaque erravit Auguſtinus, cum dixit, ſacrificium Euchariſticum *idem* eſſe cum ſacrificio Melchiſedechi, aut corpus & ſanguinem Chriſti non offerenda amplius eſſe dicendum eſt, ſed ſolum panem & vinum, quæ tamen ut talia, utpote res inanimatas, in novo Teſtamento non amplius poſſe offerri, ait Jacobus Benignus Boſſuetus.* Poterant omnino teſtimoniis Patrum oblationem panis

* In libello: Explication de quelques difficultés ſur les prieres de la Meſſe §. 4. ubi p. 21. *dans la nouvelle alliance on n' offre plus à Dieu des choſes inanimées, ni autre choſe, que Ieſus Chriſt.*

panis & vini a Melchisedecho factam asserentium uti Anglicani Theologi, qui panem vinumque in Eucharistia offerendum putant, ast nequaquam Ecclesiæ Romanæ Doctores, cùm si nimis urgeatur Melchisedechi typus & oblatio, ipsa quoque præsentia realis cadat. Cæterum mirum oppidò est, in Epist. ad Ebræos, ubi C. VII. sacerdotium Melchisedechi cum sacerdotio Christi data opera confertur, oblationem illius cum oblatione hujus eucharistica non conferri, si quidem hæc fuerit à Domino tradita. Hic itaque de oblatione Melchisedechi articulus ævum Apostolicum ferre non videtur, ortusque est ex interpretatione quadam allegorica; quæ Patribus olim communis fuit, ea quæ vetere in Testamento gesta erant, ad novum qualitercunque sæpius accommodantibus. Id unum dolendum est, hanc Melchisedechi oblationem Liturgiis antiquissimis postea insertam fuisse, quod ex libro Ambrosii (si quidem Ambrosii sunt, quæ citamus) de iis, qui mysteriis initiantur C. VIII. & de Sacramentis L. IV. c. 3. 6. L. V. C. I. patet. Unde & in Canone Missæ: *supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.* Non tamen dissimulandum est, Petrum de Marça in tr. de sacrificio Missæ ingeniosam his omnibus responsionem invenisse, cùm dicit, *Melchisedechum panis & vini species, Deo prius abs se oblatas, ad agendas de Abrahami victoria gratias ipsi dein atque commilitonibus edendas bibendasque præbuisse.* Hoc enim posuit, ut verbi Hebraici חוציא Græcorumque

corumque ἐξήνεγκε & διδȢς, Latini itidem *proferre* vim effugeret. Supponit autem quod in quæstione est, nondumque probatum, scilicet Melchisedechum *panem & vinum Deo obtulisse*, quod silente Scriptura dicere non possumus. Ex uno hoc exemplo perspicere poterat Zephyrinus, argumenta Bellarmini tanta utique non esse, queis nihil responderi possit. Cætera quæ de typo Agni Paschalis & sacrificiis veteris Testamenti adduntur, ita comparata sunt, ut in solidum & quoad omnes circumstantias cum S. Eucharistia conferri nequeant. Etenim ultra tertium comparationis, cui typi ratio innititur, procedi nunquam debet, agnique Paschalis cæterarumque victimarum sacrificium potius sacrificium corporis Christi in cruce factum repræsentat, quam communionem eucharistiæ, quæ cum epulo ex oblatis comparari melius potest. De vaticinio Malachiæ alibi sufficienter egimus. Locus verò qui Joh. IV. 24. exstat, de cultu spirituali novi Testamenti agit, interno eo omnibusque cærimoniis contradistincto. Denique vox λειτȣργȣ́ντων Act. XIII. 2. tàm generalis est, ut nulla appareat ratio, cur ad sacrificium Missaticum ea sit applicanda, maximè nisi id prius aliunde sit probatum. Quod verò Zephyrinus ait, atque ex declaratione Imperatoris Caroli V. *Interim* dicta confirmare contendit, sacrificia esse juris naturæ, adeoque & inter Christianos celebranda, id cum nullâ afferatur ratio, eadem facilitate negatur qua affirmatur. Nec enim exempla Caini & Abelis cultusve Gentilium aut leges Judæis datæ legem naturalem conficiunt, nec quia Christus Deo Patri in sacri-

ſacrificium ſeſe obtulit, ex lumine naturæ ſacrificandi elucet neceſſitas. Quæ omnia conciſo ut ſolet ſtylo ita ediſſeruit Vir maximè Reverendus B. D. Andreas Adamus Hochſtetterus: *Sacrificia non legi naturali ſed poſitivæ revelationi primis hominibus factæ originem debent; quum ratio pervidere nequeat, quo demum modo vel cæde animantium vel carnium, aut extorum adipumque oblatione Deus placari poſſit. Nulla enim inter mortem beſtiæ & iram Numinis eſt proportio.* Addi poſſunt loca, in quibus Deus Judæorum ſacrificia rejicit, eorumque loco obedientiam ab iis poſcit. 1. Sam. XV. 22. Eſ. I. 11. Jerem. VII. 22. Hoſ. VI. 6. Mich. VI. 6. 7. 8. Matth. IX. 13. Ebr. X. 4.* *Ex quo intelligitur*, ait Vir laudatiſſimus, *ſacrificia ad Jus naturæ immutabile non pertinere, cujus objecta per ſe Deo placent.*

## §. XIV.

Dum autem Zephyrinus ſacrificium Euchariſtiæ ex S. codice probatum it, repetit primo ** locum Hebr. XIII. 10. quem ſupra §. 10. ita enucleavimus, ut fere nihil ſuperſit hîc dicendum. Et rectè omninò Lawſonus dixit, quem Zephyrinus citat: *Phraſis hæc* ( nempe, comedere ex altari ) *legalis eſt. In quibusdam legis ſacrificiis pars Deo cedebat, pars ſacerdoti, pars quoque populo illa offerenti. Ut autem ſoli Judæi jus habebant edendi de ſuis ſacrificiis, ita ſoli Chriſtiani de ſuis.* Ex his enim conficitur, Euchariſtiam nihil aliud eſſe quam *epulum*

* Vide Collegium Pufendorfianum Exerc. IV. §. 39. pag. 205. 206.

** Pag. 120.

*lum ex oblatis*, & altare nihil aliud quam menſam cui oblata imponuntur, at denuo non offeruntur. Unum hoc addimus, eſſe inter veteres, qui per θυσιαςήριον Chriſtum intelligant. Ita Cyrillus Alexandrinus de Chriſto: *αὐτὸς οὖν ἄρα ἐςὶ τὸ θυσιαςήριον, αὐτὸς ἢ τὸ θυμίαμα καὶ ἀρχιερεὺς.* Lib. IX. de adorat. p. 310. Ita plures alii, in quorum verbis recenſendis non opus eſt ut prolixi ſimus, qui infra examinabimus, num in veteri Eccleſia altare proprie ſic dictum habuerint Chriſtiani. Porrò verba Jerem. XXXIII.18. pro ſacrificio Miſſatico adfert noſter.* Ibi enim Propheta: *Ex Sacerdotibus Levitis non exſcindetur vir à facie mea, ſacrificans ſacrificium & adolens oblationem & perficiens ſacrificium quotidie.* Hîc etſi de futuro Meſſiæ regno agatur, omnia tamen impropria ſunt, ipſo judicante Zephyrino, qui ait, Prophetam hominibus ſui temporis ſe accommodare, regnumque & ſacerdotium Chriſti ſub ejusmodi typis deſcribere. Exſtant enim hîc Levitæ, non ſanè proprie tales, horum enim miniſterium fuit abrogatum, iidem *coram facie Domini* hoc eſt coram templo Hieroſolymitano ſiſtuntur, quod hodie deſtructum jacet, additur holocauſtum, quale nec ipſa dici Miſſa poteſt, victima, quæ Chriſtianos inter nullibi invenitur. Si itaque omnia hæc proprio intellecta ſenſu ad novum Teſtamentum haud quadrant, cur, quæſo, proprium Miſſæ ſacrificium ex his verbis deducit Zephyrinus? Nec, quæ addit, rem conficiunt, ſacerdotibus Chriſtianis incumbere, ut præter preces alia quoque offerant. Hanc enim propoſitionem ex textu Jeremiæ derivari vix poſſe arbitror, qui ſpiritualia novi Teſtamenti ſacrificia ſub externorum cruento-

R rumque

* p. 121.

rumque ſacrificiorum ſui temporis imagine deſcribit. Sed ponamus, de proprio loqui ſacrificio Prophetam. Quid ex hoc Zephyrinus? *Hoc nullum*, ait, *aliud quam ſacrificium Miſſaticum eſſe poteſt*. Videtur heic ignoraſſe Vir doctus Theologorum Anglicanorum ſententiam, ſtatuentium, panem & vinum propriam novi Teſtamenti oblationem eſſe à Domino inſtitutam. Atque hæc ſententia verò propius utique accedit, quam altera, quâ ſacrificium creditur Miſſaticum. Id quod & ad locum Hebr. XIII. 10. reponi poteſt. Concedamus, ſi ita viſum fuerit, Chriſtianos altare habere propriè ſic dictum, oblationemque, iſto in altari faciendam. Ergo hæc oblatio eſt corpus & ſanguis Chriſti, dicet Zephyrinus, ego verò negabo penitus. Datur enim alia adhuc oblatio panis & vini, ſymbolorum ſcilicet nondum conſecratorum, quam vetus ſtatuit Eccleſia, & præcipuè Irenæus. Hæc creaturarum inanimatarum oblatio nimium quantum diſtat ab oblatione illa Miſſatica, quam Zephyrinus ſtatuit ex nullo utique Scripturæ loco probanda. Eadem ferè reponi poſſunt ad dictum Malach. I. 10. 11. quod Zephyrinus ad cauſam ſuam defendendam profert. Patet ex antecedentibus, Prophetas vet. Teſt. cultum novi Fœderis figuris typicis veſtitum ſæpius repræſentare, quod ipſum agnoſcere Zephyrinum diximus. Hîc verò nullam omninò figuram admittendam, ſed omnia literaliter explicanda eſſe contendit. Quod ſi ita eſt, non ſine ratione quærimus, ubi inveniatur nunc illa oblatio incenſa, quæ veteri in lege præſcripta fuit, atque in dato Malachiæ loco deſcribitur verbis מקטר מגש ומנחה טהורה Etenim *Mincha* veteris Teſtamenti ita offerebatur, ut pars ejus cum thure combure-

* P. 21. ſqq.

retur

retur in altari, pars sacerdotibus comedenda cederet. Levit. VI. 8. sqq. Quid igitur est quod in sacrificio Missatico incenditur aut comburitur, si quidem proprie ista velis intellecta? Sed addit Zephyrinus, preces piorum non adeo puras esse, ut vocari queant מנחה טהורה *oblatio munda*, cui nulla adscribi macula queat. Nullum autem dari sacrificium purum nisi Missam. Addit Bellarmini verba ex Lib. I. de Missa C. X. §. 2. p. 122. 123. quæ, prout monuit Zephyrinus, haud obiter legimus. At nec hæc mihi persuadent, de Missatico sacrificio Malachiam loqui. Oblatio quippe *munda* opponitur oblationi Judæorum immundæ, qui immundum panem, victimasque cœcas, claudas & morbis confectas offerebant, parcentes sumtibus, quos sacrificiis impendere erat necesse. Accedebat ipsorum malitia opusque, quod vocant, operatum, quo optima quoque sacrificia profanabantur. Huic externæ & immundæ oblationi opponit itaque Malachias cultum novi Testamenti internum, spiritualem, mundum, eum certe, quo juxta Rom XII. 1. nosmetipsos θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ sistimus. Hæc θυσία cur munda vocari nequeat, non video, quicquid dixerit Bellarminus. Nec enim *mundum* idem est ac *pollutioni non obnoxium*. Vide Joh. XIII. 10. XV. 3. Eph. V. 26. Tit. II. 14. Jac. I. 27. Nec si penitius hæç considerer Zephyrinus, diffitebitur, ista longius petita esse, quæ de munda oblatione Bellarminus scripsit. Cæterum id semper repetendum est, oblationem externam panis & vini innuere potuisse Malachiam, dona quippe Eucharistica demum consecranda, etsi de corpore & sanguine Christi in Missa

denuò offerendo ne quidem cogitaverit. At ne externam quidem oblationem innuit, cum ea, quam describit, dudum abrogata sit, & ne in ipsa quidem Romana Ecclesia inveniatur, utpote in qua oblationis pars cum thure haud incenditur. Porrò cum oblatio vel laica vel sacerdotalis sit, disquirendum est, de quanam hîc Malachias agat. De laica certe omnibusque tum Sacerdotibus tùm aliis communi oblatione agit per totum caput, etsi huic circumstantiæ insistere non necessarium esse credamus, ut probemus, de sacrificio Missatico Prophetam haud agere. Hæc omnia in unum collata docent, de spiritualibus sacrificiis Malachiæ verba esse intelligenda. Denique tùm eum, quem primum explicatum dedimus, Jeremiæ locum, tum Malachiæ vaticinium explicat προφητεία Jesaiæ παράλληλος C. LXVI. 19.20.21. quæ ita se habet: *Et annunciabunt gloriam meam in gentibus, & adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus oblationem Domino in equis, in curru. . . . . super montem sanctitatis meæ Hierosolymas, dicit Dominus quemadmodum filii Israel oblationem ferunt in vase mundo in domum Domini Et ex illis sumam Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Ex his patet, stylum Propheticum sensum proprium non ferre. Gentiles conversi Jesaiæ vocantur oblatio, unde & Paulus dicit προσφορὰν τῶν ἐθνῶν Rom. XV. 16. quæ utique mere spiritualis est. Addit Propheta, Dominum ex Gentilibus Levitas sumturum, quod ut arbitror, nemo proprie explicabit. Quod autem dicitur, omnes gentes Hierosolymam venturas, Deumque ibi adoraturas juxta comma 23. id cum grano salis accipiendum est. Non malè enim

enim Abarbenel in Jes. fol. 95. 4. בלתי אפשר שבכל חדש ושבת יבואו כל בני עולם לירושלים: *Non possibile est, ut singulis noviluniis & sabbatis omnes, quotquot sunt in mundo, veniant Hierosolymas.* Addi possunt, quæ de Malachiæ loco diximus in notis ad Iren. Fragm. Anecd. p. 110. sqq.

## §. XV.

Pergit ad præcipuam difficultatem Zephyrinus, objectionem Protestantium occupaturus, cum dicunt, in verbis institutionis nihil de sacrificio aut oblatione dictum esse. Nihil autem hîc habet ferè quod regerat. Verba ipsius in latinam Linguam versa damus *: *Verbis utique solis non præcipuè nec solum inniti debemus, si modo ex ipsa actione sacrificii veritas demonstrari possit. Sacri Scriptores terminos technicos tam accurate haud observavere, & omnia ne quidem descripsere ita, uti gesta fuerunt optandumque omnino esset, ut verba Domini Jesu, quibus tum Patri suo gratias egit, nobis in forma reliquissent, sic enim sine dubio plus lucis accederet argumento tanti momenti.* Repetit postea typum agni Paschalis mactati, nec attendit, quod supra jam §. 13. diximus, typos cum antitypis extra tertium, quod vocant, non comparandos. Exemplo nobis sit ipse agnus Paschalis, qui cum Missa Ecclesiæ Romanæ ex omni parte conferri non potest. Quod, ut ostendamus, verba Jo. Gerhardi hîc nostra faciemus. Ita autem ille **: *Missa est sacrificium, ut volunt,*



* Pag. 125.

** Confess. Cathol. L. II. P. II. Art. XV. C. I. Arg. 2. p. p. 1034. 1035.

*lunt, incruentum, ſed agnus Paſchalis cruente eſt oblatus. Miſſæ ſacrificium ſingulis diebus repetitur, ſed agnus Paſchalis ſemel duntaxat in anno fuit immolatus. Miſſæ ſacrificium à ſolis ſacerdotibus offerri poteſt, aſt agnus Paſchalis à quovis Patrefamilias mactabatur. Hoſtiæ in Miſſa immolatæ & conſecratæ reſervantur, ſed de agno Paſchali nihil fuit reſervandum. Miſſæ ſacrificium dicitur eſſe propitiatorium, ſed agnus Paſchalis non erat ſacrificium propitiatorium pro peccato, ſed tantum in memoriam liberationis ex Ægypto mactabatur & manducabatur.* Aſt nec omnibus hiſce reſponſionibus opus eſt, cum agnus Paſchalis, quatenus eſt ſacrificium, typus ſit, non ſanè cœnæ Euchariſticæ, ſed ſacrificii Chriſti in cruce facti, quod patet ex 1. Cor. V. 7. Quod verò cœnam Paſchalem attinet, quæ utique epulum ex oblatis eſt, eam typum cœnæ dominicæ eſſe ultro concedimus. Unde & ſua mole ruunt, quæ ex Wicelii tractatu Germanico de ſacra euchariſtia vel miſſa P. VIII. §. *Melchiſedechs typum* afferuntur. Cæterum, quæ Zephyrinus §. 11.* contra Artic. XXIV. Aug. Confeſſ. profert, facile poſſunt dilui, cum confeſſores non dicant, ſe ſacrificium Miſſæ retinuiſſe, & per vocem Miſſæ Liturgiam ſacram, conſecrationem, diſtributionem & communionem intelligant. Itaque non opus erat, ut prolixè iſta refutaret Zephyrinus.

## §. XVI.

Cùm varia ſacrificiorum genera dentur, quærit Zephyrinus, ad quodnam ſacrificium corporis & ſanguinis Domini referendum ſit? Ait autem, ſe contro-

* Pag. 132. ſqq.

troverſiam de ſacrificio propitiatorio omiſſurum. Quod cur faciat, nos quidem latet. Niſi enim iſta fuerit determinata, nulli unionis articuli condi poterunt, cum Concil. Trident. Seſſ. VI. Can. 3. hoc vibret anathema: *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema ſit.* Tria ſerè ſunt hoc in canone obſervanda. Primò, quod Proteſtantes ii non ſint, qui cultum euchariſticum θυσίαν αἰνέσεως & εὐχαριςίαν appellare cœperint, Uarumque enim ex veterum liturgiis ſcriptisque deſumſere. Nec eſt, ut arbitror, inter Proteſtantes ullus, qui dixerit, in S. euchariſtia nihil fieri quam gratiarum actionem laudumque prædicationem. Hæc enim omnia cùm & extra euchariſtiam fiant, hanc conficere totam non poſſunt. Sunt tamen plura Patrum loca, quæ oſtendunt, in primitiva Eccleſia gratiarum actioni laudibusque Divino Numini dictis θυσίας nomenclationem plurimum tributam eſſe. Atque iſta poſtmodum proferemus, cùm de ſententia primitivæ Eccleſiæ circa oblationem euchariſtiæ pronunciandum nobis erit. Inde & propter ſacrificium laudis & εὐχαριςίας S. cœna vocatur θυσία πνευματικὴ, ἁγία, μυςικὴ, ἄναιμος, ἀναίμακτος, & quæ ſunt ejusdem poteſtatis, factumque eſt egregiè, quod laudi precibusque ſacrificii nomen adhuc fuit relictum. Quinimo ne omnibus quidem hæc poteſt tribui ſententia, Euchariſtiam eſſe nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti. Ii enim, qui juxta Confeſſionem Auguſtæ Vin-

delicorum A. MDXXX. Imperatori Carolo V. exhibitam præſentiam realem credunt, non commememorant ſaltem in euchariſtia ſacrificium corporis Chriſti in cruce peractum, ſed & per communionem participationemque ſacramenti ſacrificii illius participes ſe fieri arbitrantur. Ceterùm quæ hîc rejicere videtur Concilium, expreſſis terminis ſtatuuntur à Johanne Chryſoſtomo, cujus hæc verba ſunt, quæ & in Fragm. Anecd. Irenæi p. 127. 128. adduximus: *μία ἐςὶν ἡ θυσία, οὐκ ἄλλην θυσίαν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν.* ΜΑΛΛΟΝ *δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας.* Hom. XVII. in epiſt. ad Hebr. Plura Patrum loca allegavimus cit. loc. quæ hîc conferenda ſunt. At his non immorabimur. Ait Synodus Tridentina, ſacrificium Euchariſtiæ eſſe propitiatorium, atque ſub pœna anathematis id credendum vult, quod in Scriptura non exſtat, quæ ſacram cœnam nec *ſacrificium* dicit, nedum *propitiatorium.* Ita tamen Patres Tridentini ſacrificium Miſſaticum nuncupant propitiatorium, ut à ſacrificio corporis Chriſti in cruce peracto id diſtinguant. Scilicet, propitiatio per ſacrificium crucis tam perfectè *acquiſita* eſt hominibus, ut pretio redemtionis noſtræ utpote infinito nihil queat accedere. Hebr. IX. 11. ſqq. X. 1. ſqq. 1. Joh. II. 2. Si itaque per ſacrificium crucis acquiſita eſt propitiatio, ſacrificio euchariſtico non demùm *acquiritur* aut *impetratur*, niſi *impetrationem* pro *applicatione* ſumſeris. Apparet hîc, quam æquivoca ſit illa propitiationis vox, quæ tùm pro acquiſitione & impetratione, tùm pro applicatione ejusdem ſumi poteſt, januamque innumeris logomachiis aperit. Si enim dixeris, euchariſtiam propitia-

tionem

tionem per ſacrificium crucis factam fidelibus *applicare*, atque hac ratione eam vocaveris propitiatoriam, nemo eſt inter Proteſtantes qui contradixerit. At verò ſi crediderit, cultum euchariſticum propitiationem acquirere & impetrare, dixeris forſan aliquid, quod ab Eccleſiæ Romanæ ſententia abhorret. Ita enim Concil. Trid. Seſſ. VI. C. 1. Miſſam vocat *ſacrificium ſingulare, quo Chriſtus in noviſſima cœna corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulerit, quoque cruentum illud in cruce peractum repræſentetur, atque ILLIUS SALUTARIS VIRTUS in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum APPLICETUR.* Quinimo auſim dicere, horrendam fore illam ſententiam, ſi quis propitiationem demùm per ſacrificium Miſſaticum acquiri impetrarique dixerit, ac ſi per ſacrificium crucis acquiſita non esſet. Quod ſi autem hæc ſententia Tridentinis Patribus non fuit, videntur ii ob terminum æquivocum, quem Proteſtantes non admittunt, hos *anathemate ferire*. Rem enim tenent Proteſtantes, verbum rejiciunt. Credunt, ſumtione panis vinique euchariſtici cum fide conjuncta merita propitiationemque Chriſti ſibi applicari, iſtam autem ſumtionem propitiatoriam eſſe pernegant, ne operi operato videantur aliquid adſcribere, aut credere, quòd propitiatio iſtâ actione demum acquiratur. Omnis tamen hæc de ſacrificio propitiatorio diſceptatio eſt inutilis, cum S. euchariſtiam ſacrificium eſſe, prius probandum ſit, poſito enim hoc ad ſpecies ſacrificiorum poſtea deſcendi poteſt. Sunt autem ſpecies ſacrificiorum quatuor, שלמים אשם חטאת עולה holocauſtum, ſacrificium pro delicto, ſacrificium

 pro

pro peccato, ſacrificium euchariſticum. Erant itaque in vet. Teſtamento ſacrificia ἱλαςικὰ & εὐχαριςικά. Ἱλαςικὰ ſive propitiatoria erant ſacrificia offerenda ad expianda peccata, ita tamen, ut expiatio interna ex opere operato ſacrificii haud conſequèretur, quod toties in Prophetis notatur, ſed expiatio ſaltem externa, civilis & cærimonialis. Non enim in Teſtamento vetere acceptum Deo eſſe poterat ſacrificium, niſi ex animo profluens pœnitentē bonoque in Deum affectu pleno. Neceſſaria tamen cuivis erant ſacrificia hæc ἱλαςικὰ, quia remiſſionem peccatorum tantiſper ſuſpendebant, donec perficèrentur, Deo ita volente, ut cum internis pœnitentiæ actibus externus quoque ſacrificii cultus conjungeretur. Notandum etiam, ex ſacrificiis ἱλαςικοῖς non omnibus licuiſſe comedere, & ſi ex quibusdam epulum ſacrificiale confici poterat, ſolis illud ſacerdotibus, non offerentibus, ceſſiſſe. Porrò, ut dicere cœpimus, hæc ſacrificia ἱλαςικὰ non ex virtute quâdam propriâ propitiabant, quod Paulus innuit Hebr. IX. 9. 13. 14. X. 11. ſed ex virtute alienâ, Meſſiæ ſacrificio impetranda atque acquirenda. Denique ſi antitypum ſacrificiorum ἱλαςικῶν quæſiveris, Chriſtus ille eſt, in cruce immolatus. Confer Jeſ. LIII. 6. Joh. I. 29. Rom. VII. 3. 1. Cor. V. 7. 2. Cor. V. 21. Gal. III. 13. 1. Petr. I. 19. Hebr. IX. 10. XIII. 11. 12. 13. Apoc. V. 6. 9. 12. Atque hoc ſacrificium ſemel in cruce factum eſt, nunquam repetendum. Ebr. IX. 12. 24. ſqq. X. ſqq. Apparuit enim Chriſtus coram Patre ſuo in cœlis, non ut ſæpius ſeipſum offerat, ſive modo cruento ſive incruento. Hoc enim per ſe patet, quod cruento modo in cœlis ſe offerre nequeat,

queat. At nec in terris sese offert, qui μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους. Ex his omnibus autem concludimus, sacrificia ἱλαστικὰ eucharistiam non præfigurasse. In eucharistia enim nulla fit propitiatio, sed facta præsupponitur, nec facta solum sed & applicata, cum nec celebrare eam nec accipere dignè possit, nisi qui per pœnitentiam fidem, vitæque sanctimoniam Deo jam acceptus. Unde in hoc sacramento, ut accurate sententiam nostram eloquamur, non est nisi propitiationis applicatæ confirmatio atque sigillum, quod confertur. Porrò sacrificia vet. Test. propitiatoria comburebantur, holocausta quidem tota, cætera verò ex parte, nec nisi Sacerdotibus licitum erat ex reliquiis comedere. Omnia autem hæc sacrificio Missatico applicari nequeunt, quod, si quidem veritas ejus probari posset, melius eucharisticum dixeris, maximè cum מנחה *oblatio* & נסך *libamen* ad שלמים *sacrificia pacifica* referenda quvque sint. Poterant & aliquando pacifica comedi ab offerentibus, id quod communionem eucharisticam exprimere itidem aptum est. Ast in viam nobis redeundum est, unde digressi sumus. Zephyrinus noster probatum it*, sacrificium Missæ esse sacrificium commemorativum eucharisticum & applicatorium. Sed nec quisquam Protestantium diffitebitur, in celebratione S. eucharistiæ commemorari mortem Christi, gratias itidem agi pro beneficiis spiritualibus à Deo acceptis, ipsis donis benedici eademque consecrari, denique eum Christi merita sibi applicare, qui vera fide illam acceperit. Incassum hæc omnia probat noster, qui probare

* Pag. 137. sqq.

bare prius debuerat, euchariſtiam eſſe ſacrificium, & quidem propriè ſic pictum. In hoc etenim cardo rei vertitur. Cæterum, ſi id probatum ſit, de denominatione hujus ſacrificii haud magnopere erit laborandum.

## §. XVII.

Nemo tamen eſt, qui majore cum veri ſpecie ſacrificium Miſſaticum defengerit Jacobo Benigno Boſſueto, Epiſcopo olim Meldenſi, Viro & facundo & erudito atque ad controverſias cumm applauſu gerendas nato. Is enim, non ut alii, clamore ſublato criminationibusque cumulatis rem ſuam egit, ſed novis adinventis nondumque refutatis rationibus viam iniit ab omnibus ſaltem non tritam, à tricis Scholaſticis alienam, & quâ Proteſtantes crediderat eo aggredi loco, quo parum munita videbatur eorum cauſa. Sunt itaque, quæ ſcripſit, digna oppidò, quæ legantur, & penitiori omnium ſubjiciantur conſiderationi. Cæterum argumentum de oblatione Miſſæ nullibi tractavit prolixius, quam in explicatione quarundam difficultatum circa preces Miſſaticas ad novum Catholicum*. Ut autem, quodnam pretium rationibus ipſius ponendum ſit, conſtet, opus eſt, ut ſententiam ipſius hîc curatius exponamus. Ait itaque Boſſuetus, Euchariſtiæ celebrationem duabus actionibus comprehendi, oblatione, ad quam & conſecratio pertineat, & communione ſive participatione. Oblationem tribus rebus abſolvi, Eccleſiam enim primò offerre panem & vinum, ſecundò corpus & ſangui-

* *Explication de quelques difficultés ſur la priéres de la Meſſe à un Nouveau Catholique. à Paris. 1689.*

ſanguinem Jeſu Chriſti, tertiò ſe ipſam ſuasque preces cum precibus Chriſti præſentis conjunctas *. Et primo quidem ait Eccleſiam panem vinumque offerre, ſed non ut talia, res enim inanimatas Deo in novo Teſtamento offerri amplius non poſſe, ſed ut ſymbola in corpus ſanguinemque Domini mutanda atque conſecranda. Hinc ante factam conſecrationem Deum rogari, ut accepta habeat & benedicat hæc dona panis & vini, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, ut hanc oblationem benedictam, ratam, adſcriptam, rationabilem acceptabilemque facere dignetur, ut nobis corpus & ſanguis fiat Chriſti **. Addit, ſacrificium Miſſaticum vocari holocauſtum, id eſt, victimam igne conſumtam, quia panis & vini ſubſtantiæ igne ſpirituali, id eſt, Sp. S. conſumantur. Hinc ortam eſſe conjicit illam ſuper oblata precem: *Sacrificia tuis oblata conſpectibus ille ignis divinus aſſumat* aut *conſumat, qui diſcipulorum Chriſti tui per Sp. S. corda ſuccendit.* Fer. VI. in octav. Pentec. in libro Sacr. Gregor. M. * Ex hiſce omnibus concludit, veram Miſſæ oblationem eſſe oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, panem enim vinumque mutari virtute omnipotente illius, qui ea creet, benedicat & ſanctificet, id eſt, qui eadem formet in altari, ut ſint fons benedictionis & gratiæ. Unde dici utique poſſe, hanc Chriſti ſanctificationem & oblationem adhuc continuari in Miſſa, dum *ipſe ſemet ſanctificet propter* nos, Joh. XVII. 19. Conſiſtere autem oblationis eſſentiam putat Boſſuetus in conſecratione, hâc enim ſiſti coram Deo Patre corpus & ſanguinem Filii ſui, quod

* §. 3. ** §. 4.
*** §. 7.

quod *ſiſti* utique re ipſa idem ſit ac *offerre*, atque hâc ratione imitari Sacerdotem in terris, quod Chriſtus faciat in cœlis, ubi compareat pro nobis coram Patre ſuo. Hebr. VII. 25. IX. 24. 26. Etenim ait, repræſentari in euchariſtia Chriſtum eodem fere modo, quo eum Johannes viderit Apoc. V. 6. uti ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον, ſc. ut vivum & mortuum nempe ſignis mortis veſtitum, quia Corpus è ſanguine ſeparatum ſit, & hanc immolationem addit eſſe ſpiritualem, qua offeratur Chriſtus Deo Patri in memoriam mortis ſuæ, ad hujus virtutem nobis perpetuò applicandam *. Repetit poſtmodum hæc Boſſuetus, dicitque, Chriſtum in Miſſa ſemetipſum offerre, & oblationem ſuam ſemper continuare, quia ſit Advocatus noſter, qui ſemper vivat, ut ſemper immoletur **. Statuit porrò, ſacrificium Miſſæ eſſe verum, quia in locum omnium ſacrificiorum vet. Teſt. ſucceſſerit, Chriſtusque ipſe in eo offeratur, unicum, licet quotidie renovatum & continuatum, quia in eo eadem ſemper offeratur victima, ſacrificium denique peculiaris omninò naturæ, cùm, qui offertur, idem ſit, qui omnia nobis conferat æternamque felicitatem etiam largiatur ***. Cum autem Boſſuetus ad eam deſcendit quæſtionem, num ſacrificium Miſſæ ſit propitiatorium, duas rationes affert, cur ea affirmari debeat. Prima eſt, quod corpus & ſanguis Chriſti, præſentia in altari, non poſſunt non Deo accepta eſſe eumque nobis conciliare, ſecunda, quod Chriſtus in Sacramento præſens pro nobis intercedat & interpellet, omnem autem interpellationem Chriſti eſſe propitiatoriam ⁂. Quæ omnia tamen in ſequentibus

ita

* §. 8. ** §. 11. p. 46. *** §. 11. p. 48. 49. ⁂ §. 13. p. 55.

explicat,ut dicat, ſacrificiumMiſſaticum non eſſe ſupplementum ſacrificii crucis, nec ejuſdem reiterationem, ac ſi eſſet imperfectum,ſed potius ejuſdem applicationem perpetuam,ſimilem ei,quamChriſtus in cœlis facit quotidie coram Patre, vel potius celebrationem continuatam ſacrificii crucis, ita ut certo ſenſu ſacrificium redemtionis dici poſſit, cùm redemtionis opus ſacrificio Miſſatico applicetur, continuetur & conſummetur *. Quinimo ait Vir ingenioſiſſimus, ſacrificium Miſſæ, eo ipſo quod ſit ſacrificium laudis & gratiarum actionis, etiam ſacrificium eſſe propitiatorum. Deum enim laudibus & gratiarum actione propitiari, porro eundem propitiari præſente Filii ſui Corpore & ſanguine, quo ſemel propitiatus fuerit *(a)*. Redit ad oblationem Boſſuetus, repetitque eam in conſecratione conſiſtere, quâ Chriſtus in ſacramento præſens reddatur, qui & pro nobis intercedat, & cicatrices plagãrum ſuarum Deo offerat, licet non neget, elevationem & fractionem quoque ad oblationem pertinere. Denique ait, & conſumtionem corporis & ſanguinis Chriſti, quæ in communione euchariſtica fiat, oblationem eſſe, cum victimæ conſumtæ olim, vinumque effuſum ſit in ſacrificiis & oblationibus. Atque iſta addit conficere ſacrificium realiſſimum, ſed ſpirituale & myſticum ** Cæterùm his omnibus nondum ad finem perduxit Boſſuetus ea argumenta, quæ ad oblationem euchariſtiæ probandam prolaturus erat. Provocat enim *** (quod præcipuum eſt,) ad ipſam inſtitutionem cœnæ Dominicæ à Chriſto factam, variaque adducit;

(*a*) §. 13. p. 59. (*b*) §. 17. p. 65. ſeqq.
(*c*) §. 20. ſeqq. p. 79. ſeqq.

sit, quæ oblationem ipsi innuere videntur. Primum est, quod Christus gratias egisse & benedixisse dicitur. Scilicet putat, Christum panem in manus sumsisse & juxta veteres liturgias monstrasse Patri, oculis in cœlum sublatis. Ita sanè in Constit. Apostol. L. VIII. C. 12. exstat: ἐν ᾗ νυκτὶ παρεδίδοτο, λαβὼν ἄρτον ταῖς ἁγίαις καὶ ἀμώμοις αὐτοῦ χερσὶ καὶ ἀναβλέψας πρὸς σὲ τὸν Θεὸν αὐτοῦ καὶ Πατέρα, & quæ sequuntur, in multis veterum Liturgiis repetita. Arbitratur verò Bossuetus, his ipsis actibus externis oblationem innui. Secundum argumentum ex consecratione petit, quæ corpus sanguinemque Christi coram Deo Patre sistat præsentia. Tertium ex verbis τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον Luc. XXII. 19. & τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον 1. Cor. XI. 24. item τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον Luc. XXII. 20. derivat. Hæc omnia & sacrificio crucis & eucharistiæ convenire putat Bossuetus, atque de sacrificio cœnæ ita intelligenda esse, ut διδόμενον, κλώμενον, ἐκχυνόμενον sumantur, prout jacent, in præsenti tempore eâque significatione, quâ sacrificii τελείωσις aliàs solet innui. Itaque existimat, Christum corpus suum jam in institutione cœnæ dominicæ verè immolasse, dedisse & fregisse, sanguinemque effudisse, & quidem *pro nobis*, quem terminum ait rursus denotare sacrificium, cum sacrificio crucis alias adplicetur. Progreditur deinceps ad comparationem Paschatis & S. cœnæ, monstraturus, utrumque ex sacrificio & sacramento constare. Id tamen miror, Bossuetum vocem ποιεῖτε non per *offerre* explicare, cum alibi hanc potestatem habeat *sacrificiumque* denotet *. Ast ipsemet sibi hanc, quæ

* §. 24. p. 99.

quæ præcipua eſt, difficultatem format, non dicere Chriſtum, quod ſe offerat, verbumque hoc in formula inſtitutionis non exſtare. Hîc ita reſpondet. *Sponſus ſacer non ſemper dicit, ſe amare ſponſam, quia tandem nomenclatio nimium repetita vilis evaſura eſſet, ſed quod verbis nequaquam eloquitur, factis monſtrat vel maximè.* Addit aliam objectionem, quæ magni itidem momenti eſt, dicere Paulum, quod Chriſtus ſemel tantum ſe obtulerit, ſeque amplius non offerat. Heic ait, vocem *offerre* duplicem habere ſignificationem, vel enim innuere eam immolationem, quæ morte actuali perficitur, vel expoſitionem coram Deo in altari. Hanc Paulum, non illam tenuiſſe. Ut vero oblationis vocem oſtendat noſter in Scriptura de ſacra cœna dici, Malachiam allegat cap. I. 11. cujus verba quomodo interpretanda ſint, notato Patrum in dicti explicatione diſſenſu jam ſatis expoſuimus in notis ad Iren. fragm. Anecd. p. 113. ſqq. oblationis verò veritatem oſtendit ex ipſa ad Hebr. Epiſtola C. IX. comm. 24. ubi: ὁ Χριςὸς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. *Apparere* autem *coram facie Dei pro nobis* idem eſſe ac *ſe offerre pro nobis*. Sequentia tamen verba comm. 25. Boſſuetus non adjicit, quibus dicitur: οὐχ ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτὸν, & comm. 26. ἐπεὶ ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου: ex quibus apparet, cum oblatione vera paſſionem quoque conjunctam eſſe, nullamque dari oblationem niſi crucis. Allegat & idem locum Hebr. XIII. 10. quem vero ſatis jam enucleavimus. Atqui hæc omnia tanto verborum ornatu tantoque eruditionis apparatu ſcripta

S ſunt

ſunt ab Epiſcopo Meldenſi, ut niſi clariſſima divinorum Oraculorum lux oculos illuſtraret, crederes, ea omnia vera atque indubia eſſe. Paucis itaque oſtendamus, quid in Boſſueti doctrina cum S. Scriptura comparata nobis videatur deſiderari poſſe.

## §. XVIII.

Et primo quidem, totam ferè in præſentia Chriſti reali oblationem poſitam credit Boſſuetus; hinc ait, conſecrationem idem eſſe cum oblatione hujusque animam conficere. Quinimo procedit eousque, ut dicat, apparitionem Chriſti coram Patre in cœlis oblationem eſſe. Hîc animo vix comprehendere valeo, quomodo *præſentem eſſe* & *apparere* idem ſit ac *offerri* & *ſacrificari*. Nec profectò communem, quæ in Eccleſia Romana obtinet, notionem hîc Boſſuetus ſequitur. Concil. Trid. Seſſ. VI. C. 2. Miſſam vocat *ſacrificium divinum*, *quo Chriſtus* non ſolùm *contineatur*, ſed & *incruente immoletur*. Si nuda præſentia oblationem conficit, Miſſa verum propriumque ſacrificium non eſt. Quinimo & qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, præſentiam realem credunt. At nec Boſſuetus ipſe dixerit, eos oblationem corporis Chriſti retinuiſſe, nec ii eam fatebuntur in cultu ſuo fieri, etſi communi conſecratione utantur. Cæterum conſecratio juxta Eccleſiæ Romanæ ſententiam ab oblatione accuratè omninò diſtinguenda eſt. His enim verbis: *Hoc eſt corpus meum*, nihil offertur, ſed id demùm conficitur, quod eſt offerendum. Quod verò addit Epiſcopus Meldenſis, panem & vinum in ſacrificio Miſſæ ut talia non offerri, id cur dicat neſcio. Scilicet cùm panis & vinum ante conſecrationem offerantur, res utique

que Deo offeruntur in ſe inanimatæ, quocumque reſpectu eæ demùm offerantur. Quinimo, ut ex ſequentibus patebit, Eccleſia trium primorum ſeculorum nonniſi panem & vinum obtulit, uti vel ex ſolis patet Conſtitutionibus Apoſtolicis, ubi L. VIII. C. 12. hæc oblationis verba inveniuntur: *προσφέρομέν σοι τῷ Βασιλεῖ καὶ Θεῷ κατὰ τὴν αὐτοῦ διάταξιν τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο. . . . καὶ ἀξιοῦμέν σε, ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα*, & quæ ſequuntur. Vix crediderim, quemquam per *ἄρτον* & *ποτήριον* hîc corpus Chriſti ſanguinemque ipſius intellecturum. Exſtat enim in ſequentibus: *ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα Χριστοῦ σου.* Talis igitur panis, tale vinum intelliguntur, quæ contradiſtincta ſunt corpori & ſanguini Domini. Addimus, in vetere Eccleſia, tùm Græca tùm Romana, primitias, decimas fructusque & dona oblata fuiſſe, non ſine precibus, ut eadem ſanctificarentur, id quod alibi in Notis ad Iren. fragm. Anecd. p. 40. ſqq. jam innuimus. Hæc ignorâſſe Boſſuetum haud conjecerim, quæ enim edidit ſcripta, adultam atque ex omni parte perfectam eruditionem ſapiunt. Id verò arbitror, eum nimio diſputationis æſtu percitum hæc in memoriam ſibi haud revocâſſe, quæ noſſe utique poterat, ſi liber fuiſſet ab affectibus animus minusque perturbatus. Similis verò error eſt Boſſueti, cum ſacrificium Miſſaticum cum holocauſtis veteris Teſtamenti confert. Ait enim: Quemadmodum holocauſta veteris Teſtamenti conſumebantur igne, ita & panis vinique ſub-

ſtantiæ conſumuntur igne ſpirituali Sp. S. Hæc utique cum ſuperioribus non cohærent. Id enim offertur, quod conſumitur. At quod juxta Boſſuetum conſumitur in ſacrificio Miſſatico, eſt ſubſtantia panis & vini, ergo ſubſtantia panis & vini offertur. Ultimam verò hanc propoſitionem negat, ut vidimus, Epiſcopus Meldenſis, oſtenditque adeo, principia, quæ ponit, concluſionesque ſibi non conſtare. Unde & inutilis eſt, quam addit, allegatio precum ex Liturgia Gregoriana, præterquam, quod per *ignis divini aſſumtionem* nihil aliud quam *ſanctificatio* aut benevola acceptio innuitur; id quod ex ἀποδόσει patet. Non enim Spiritus corda diſcipulorum annihilavit, ſed dum ſuccendit, ſanctificavit & illuminavit. Accedit, ipſam panis vinique annihilationem & rationi & revelationi contradicere. Majori cum veritatis ſpecie conſumptionem eucharisticam huc trahit Boſſuetus *, aitque, vinum olim fuiſſe oblatum effuſione, offerrique adeo vinum eucharisticum à nobis, dum effundatur in nos, id eſt, dum à nobis bibatur. Aſt pace tanti Viri dixerimus *offerre* & *bibere* actiones eſſe valde diſtinctas. Ita & offerre victimam in altari, & comedere epulum ex oblatis diverſiſſima erant apud veteres. Tranſit porro noſter ad ſanctificationem panis in Miſſa memoratam, aitque eam conſiſtere in Tranſſubſtantiatione, ita ut panis vinique ſubſtantia eſſe deſinat, inque locum eorundem ſuccedat corpus Chriſti vivum, noviter creatum, cum ſignis tamen mortis ac cicatricibus, idem tamen cum eo corpore, quod ex Maria prodierit, mortuum fuerit & aſcenderit in cœlos.

* §. 17. p. 68.

los. Itaque creationem, benedictionem & sanctificationem panis consistere in transmutatione vel transformatione illius in corpus Christi. Verba Bossueti adponemus, ne crimen falsi forsan nobis imputetur: *Itaque intelligenda hic nobis est*, inquit, *species quædam productionis corporis & sanguinis in Eucharistia tam veræ & tam realis, quam fuit illa, quæ facta est in beato sinu Virginis Mariæ ipso conceptionis atque incarnationis Filii Dei momento, & quæ illi* (sc. corpori Christi) *certo modo det novum esse* (novam existentiam) *ita ut super mensam sanctam tam verè sit, ac fuit in sinu Virginis & est nunc in cœlis. Unde vox* facere *hic adhibetur ad ostendendam veram & realissimam actionem, qua conficiatur in hoc sancto mysterio verum corpus & verus sanguis, idemque omninò, qui factus fuit in sinu Mariæ* * Alibi ** eadem repetit noster verbis adhùc cla-



* §. 4. 5. p. 28. *Il faut donc entendre ici une espéce de production du corps & du sang dans l' Eucharistie aussi veritable & aussi réelle, que celle qui fut faite dans le bien-heureux sein de Marie au moment de la conception & de l' incarnation du Fils de Dieu; production, qui lui donne en quelque façon un nouvel étre, par lequel il est sur la sainte table aussi veritablement, qu'il a été dans le sein de la Vierge & qu'il est maintenant dans le ciel. C' est pourquoi on se sert ici du mot de* faire, *pour marquer une veritable & réelle action, qui se termine à faire dans ce saint mystere un vrai corps & un vrai sang & le même, qui fut fait au sein de Marie.*

** §. 17. p. 67. 68. *Nous avons dis, que la consecration est une espece de création nouvelle du corps de Iesus Christ par le Saint Esprit; ce sacré corps y reçoit un nouvel être, & c' est pour cela que saint Pacien, un saint Evéque du quatrieme siecle, celebre par sa doctrine, appelloit l' Eucharistie* le renouvellement du corps: innovatio corpo-

adhùc clarioribus: *Diximus, consecrationem esse speciem novæ creationis corporis Jesu Christi per Spiritum S. Hoc sanctum corpus ibi recipit novum esse, & Propterea S. Pacianus Episcopus Sec. IV. appellavit eucharistiam* innovationem corporis. Epist. ad Symp. T. III. B.bl. PP. *Sed hoc corpus noviter productum est, ut consumatur perdatque hàc ratione novum, quod accepit, esse; qui ipse victimæ actus est semetipsam certo sensu consumentis, licet in rei veritate ipsa semper maneat tota & semper viva.* Tria sunt, quæ hîc dicuntur. Primò, corpus Christi in eucharistia noviter produci; secundò idem hoc corpus esse cum corpore ex Ma ia nato; denique, annihilari & consumi id comestione. Qui adcuratius hæc secum consideraverit, fatebitur, non solum istud comprehendi non posse, sed & contradictionem maximam involvere. Etenim corpus noviter creatum non potest esse corpus illud, quod ante XVII. secula jam creatum & à Maria Virgine progenitum fuit. Porrò corpus noviter creatum in terris non potest esse corpus illud, quòd, cùm mortuum esset & sepultum, resurrexit postea & ascendit in cœlos. Rursus corpus quod in nihilum reducitur, cùm consumitur, non potest esse corpus Christi in cœlis, quod manet. Si verò in nihilum reducitur per comestionem corpus Christi, cur dicit Irenæus, quod eo alatur substantia nostra, & cur exstat in Missaticis precibus, quod *viscera nostra eo saginentur*? Cur in martyrio

ris. *Mais ce corps nouvellement produit ne l'est que pour être consumé, & pour perdre par ce moien ce nouvel être qu'il a receu; ce qui est un acte de victime qui se consume elle-même en un certain sens, encore qu'en verité elle demeure toûjours entiere & toûjours vivante.*

tyrio Laurentii, quod fuerit ebrius ſanguine Chriſti, & quod ſanguis Chriſti adhuc in venis ejus pullulaverit, cùm pateretur? confer & Notas noſtras in Iren. Fragm. Anecd. p. 72. ſq. Denique juxta Boſſuetum dicendum erit, Chriſtum corpus habere in cœlis, unicum illud & ſingulare, at innumera in terrâ corpora, quæ quotidie & creentur & annihilentur. Atque hæc omnia dicuntur præter Scripturam. Tantæ quippe molis erat, dogma Tranſſubſtantiationis defendere, ſpeciemque veritatis illi conciliare. Cæterum communis Eccleſiæ Romanæ ſententia, quâ corpus Chriſti in Miſſa oblatum idem cum corpore Chriſti crucifixo eſſe dicitur, hâc ratione penitus labefactatur, ſi Boſſueti valeat ſententia. Sed in refutandis ejus rationibus progrediamur ulterius.

## §. XIX.

Poſtquam ſanctificationem panis vinique per conſecrationem & Tranſſubſtantiationem explicaverat Epiſcopus Meldenſis, ipſi quoque Chriſto hanc ſanctificationem applicat, aitque eandem adhuc in Miſſa continuari. Dicere enim Chriſtum: καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν Joh. XVII. 19. ubi ἁγιάζειν idem ſignificet ac *offerre*. Hæc cur addat Boſſuetus, non video. Primò enim duriſſimum mihi videtur ἁγιάζειν per *offerre* explicare. *Ipſe me*, inquit Salvator, *ſanctum pro iis ſiſto, ut & ipſi ſancti ſint in veritate.* Nihil hîc, ut arbitror, de oblatione dicitur. Allegavit tamen iſta noſter, credo, ut explicaret ea, quæ longe poſt conſecrationis verba dicuntur: *per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc*

*omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis & præstas nobis.* Cum enim de donis jam consecratis hîc dicatur, quod sanctificentur, sanctificatio verò Christo adscribi non posse videatur, verba ipsiusmet Christi apud Johannem dicta producuntur, ut contrarium appareat. Ast perspicuum est, ea quæ ex Liturgia latina produximus, verba de solis pane & vino agere, non de corpore & sanguine Christi, cùm Christus ille sit, *per quem* dicta symbola *semper bona creentur, sanctificentur, vivificentur & præstentur nobis.* Nec, ubi sanctificatio Christo tribuitur, innuitur oblatio. Ita 1. Cor. I, 30. dicitur: Χριςὸς ἐγενήθη ἡμῖν ἁγιασμὸς, id est, *Christus nos sanctificavit.* Adde Hebr. X. 14. Cæterum quæ in sequentibus ponit Bossuetus, tam intricata sunt, ut confusas admodum in animis legentium ideas gignant. Mox enim ait, sacrificium eucharistiæ esse spirituale & applicatorium, quod utique concedunt Protestantes, quia sacrificii in cruce facti fit commemoratio in celebratione eucharistiæ, & propitiatio per illud facta iis applicatur, qui vera fide eucharistiam accipiunt; mox verò addit, sacrificium Missæ esse verum, Christum ipsum in eodem offerri, quod tamen ex nullo Scripturæ loco probatur, sacrificium crucis in sacrificio Missatico non repeti quidem, sed continuari & renovari, quæ omnia gratis dicuntur; denique, licet hoc sacrificium, Missaticum nempe, verum propriumque sit, esse tamen id sacrificium peculiaris omnino naturæ adeoque à sacrificiis veteris Testamenti diversum, quia quod offertur, nobis omnia conferat. Inde & hoc Missæ sacrificium esse propitiatorium, quia propitiatio in cruce

cruce facta in hoc continuato crucis ſacrificio continuetur inſimul & perficiatur. Ex quo omnino conſequitur, Boſſuetum credidiſſe, quod ſacrificium Miſſæ non ſolum ſit applicatorium, ſed & ſatisfactorium, acquiſitorium & impetratorium, quæ omnia ne ipſum quidem Concilium Tridentinum ita pronunciavit. Nec ſanè negatur à nobis, corpus Chriſti in Euchariſtia præſens, Deo utique acceptum eſſe, ſed propter propitiationem ſemel factam id de novo utique non propitiat aut reconciliat, cùm reconciliatio per ſacrificium crucis ita perfecta & conſummata ſit, ut totus mundus cum Deo per Chriſtum ſit reconciliatus. Vide 2. Cor. V. 19. 1. Joh. II. 2. Hebr. IX. 25. 26. 28. X. 10. 11. 12. & comm. 14. dicitur: ΜΙΑ ΠΡΟΣΦΟΡΑ ΤΕΤΕΛΕΙΩΚΕΝ εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους, ita ut nulla amplius προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας ſit nobis neceſſaria juxta comm. 18. quæ verba omne ſacrificium repetitum, continuatum aut renovatum excludunt. Nec video, quâ ratione Boſſuetus dicere poſſit, ſacrificio Miſſæ redemtionem per Chriſtum factam applicari, cum addat, eam eodem ſacrificio conſummari. Cum enim nolit dicere, ſacrificium crucis eſſe imperfectum, dicere inſimul debet, illud continuatione nulla aut renovatione aut conſummatione opus habere, ſi quidem ſibi velit conſtare. Egregium verò eſt quod addit, ſacrificium euchariſtiæ eapropter eſſe propitiatorium quoque, quod ſit ſacrificium laudis & gratiarum actionis. Id enim ambabus manibus concedunt Proteſtantes, ſed ex eo arguunt etiam, ſacrificium hoc eſſe improprium, quod tamen Boſſueto diſplicet, licet idem ſacrificium euchariſtiæ nuncupet myſticum &

ſpirituale. Quomodo autem noſter interceſſionem corpori Chriſti in euchariſtia præſenti, quod tamen ſolo in uſu juxta verba inſtitutionis præſens eſſe credimus, adſcribere poſſit, vix poſſumus perſpicere. Demus autem, ſi placet, hoc tantiſper; num ergo interceſſio erit nova propitiationis acquiſitio, de qua quæritur, quæ non eſt niſi acquiſitæ propitiationis applicatio precibus hiſce impetranda? Impropriè itidem dicitur, Chriſtum Deo Patri in Euchariſtia cicatrices plagarum ſuarum offerre. Formant enim hæc ideam craſſam & ferè Capernaiticam, haud ſane congruam iis, quæ addit Boſſuetus, ſacrificium euchariſtiæ eſſe ſpirituale & myſticum.

§. XX.

Ad caput tandem argumenti accedimus, argumenta Boſſueti ex verbis inſtitutionis hauſta conſideraturi. Et primo quidem ex eo, quod Chriſtus panem ſumſit, Patri monſtravit, oculos in cœlum ſuſtulit, gratiasque egit, nulla omninò formari poteſt propria oblatio propriumque ſacrificium. Egregie hæc diluit doctiſſimus Baſnagius, cujus verba hic noſtra faciemus. Ita autem ille: *Si hoc ſacrificium eſt, Chriſtus ſacrificavit toties, quoties manducavit, & Epiſcopus Meldenſis totidem ſacrificia celebrat, quot convivia init, nam ſuppono, quod benedicat cibis, Deo eos monſtrando, & quod, dum precatur, oculos tollat ad cœlum* *. Addit Boſſuetus, verba

* Verba Gallico ſcripta idiomate ſonant melius: *Si c' eſt la un ſacrifice, I. CHRIST en avoit établi un toutes les fois qu' il avoit mangé, & Mr. de Meaux celebre autant de ſacrifices qu' il fait des repas; car je ſuppoſe qu' il be-*

ba διδόμενον, κλώμενον, ἐκχυνόμενον, in præsenti tempore, prout jacent, intelligenda esse; Christum enim in eucharistia reipsa corpus suum immolasse & sanguinem suum effudisse. Heic nescio, num dici possit, corpus Christi unquam vere & proprie *fractum* fuisse. Contrarium apparet ex Joh. XIX. 33.36. ubi: οὐ κατέαξαν αὐτοῦ τὰ σκέλη. ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ. Si itaque fractio propria ne in sacrificio crucis quidem facta est, cur in cœna dominica eam proprie factam vult Bossuetus, in qua fractio panis figura saltem passionis mortisque dominicæ fuit. Ast ipse sibi respondet Vir doctissimus. Ait enim *frangere* idem esse quod *distribuere* *. Rectissimè omninò! Ergò fractio non est immolatio, ergò κλώμενον sacrificium non denotat. Cæterum vellem, probasset Vir summus, Christum cœnam sacram instituentem eo ipso actu fractum, passum sanguinemque ipsius extra venas fusum fuisse, omniaque hæc hodiè etiam fieri in sacrificio Missatico. Ast supponit hoc, non probat, supponit inquam hoc, silente Scriptura, quæ unicam saltem Christi passionem mortemque novit, non duplicem, quam Bossuetus fingit. Accedit, verba præsentia pro futuris sæpius poni, imo & præterita; ut denotetur, instare hoc, de quo loquimur. Ita Paulus de se: ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα. 2. Tim IV. 6. 7.

*nit les viandes en les montrant à Dieu, & qu'en faisant sa priére il leve leve les yeux au ciel.* Voyez l'Histoire de l'Eglise T. II. L. XVI. C. XI. §. 2. p. 956.

* §. 22. p. 87.

6. 7. Ergone igitur Paulus bis mortuus fuit, bis cursum complevit? Ita & Christus: τίθημι inquit, τὴν ψυχήν μȣ, quam in passione & morte demùm positurus erat Joh. X. 17. Ast hic locus nimis urgendus non est, ne, quod jam suppositum fuit, duplex Christi mors statuatur. Aliud demus exemplum, ut probemus futurum sæpius innui per tempora antecedentia. Hoc ipse nobis subministret Bossuetus. Matth. XXVI. 2. dicitur: ὁ ὑιὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ παραδίδοται εἰς τὸ σαυρωθῆναι. id est, *traditur*, comm. 24. ὁ ὑιὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ ὑπάγει. Quæ omnia ita noster explicat *, ut tandem definiat, tempus præsens hîc futurum quoque denotare. Denique & Bossuetus ex verbis ὑπὲρ ὑμῶν sacrificium derivat. Id certissimum est, verba institutionis διδόμενον ὑπὲρ ὑμῶν ad sacrificium crucis referenda esse. Ibi enim Christus corpus suum pro nobis dedit, sanguinemque suum pro nobis effudit. At ex solis hisce verbis ὑπὲρ ὑμῶν sacrificium exsculpi nequit. Multa enim ὑπὲρ ἡμῶν Christus fecit, quæ sacrificia dici nequeunt. Quæ de comparatione Paschatis & cœnæ dominicæ adjiciuntur, supra jam abunde refutavimus, cum causa nostra satis omnino perorata sit. Cæterum cuivis perspicuum esse arbitramur, & contradicere sibi sæpius Bossuetum, & violentissimas maximèque inusitatas figuras simplicissimis Christi verbis inferre, quod ipse tamen rejicere videtur, & miracula miraculis præter Scripturæ literam addere, & propriæ quoque, cui addictus erat, Ecclesiæ definitionibus probationibusque non ex omni parte adhærere argu-

* §. 22. p. 90.

argumentumque hoc terminis dubiis, conclusionibus tortuosis, figuris rhetoricis ita involvere, ut quid tandem ipse sentiat vel quâ ratione ipsius sententia animo queat comprehendi, difficillimum omninò videatur. Unde omnino arbitramur, hæsitasse circa hoc argumentum Episcopum nostra laude majorem, si veritati litavisset, nec omni parte suo potuisse satisfacere ingenio. Benè enim noverat istud axioma, quod in limine posuit libri de variationibus Ecclesiarum Protestantium: *Omne id, quod dubiis proponitur terminis, falsum est, quia hoc ostendit summam difficultatem, quam veritas non novit* *. Atqui tota ipsius expositio fidei Catholicæ terminis dubiis & æquivocis plena est, inque ipso de sacrificio Missæ argumento variatum fuisse observaverunt Eduardus Stillingfleetus & Jac. Basnagius. In prima enim editione, quæ suppressa fuit, exstitit, *Missam utique haud sine ratione posse vocari sacrificium* **. At in altera positum invenitur, *nihil deesse Missæ, quò minus sit verum sacrificium* ***.

§. XXI.

* Digna sunt verba Gallica, quæ hùc transponamus, in præfatione libri, quem de Variationibus Ecclesiarum Protestantium conscripsit Bossuetus, exstantia: *Tout ce qui varie, tout ce qui se charge de termes douteux & envelopés, à toujours paru suspect, & non seulement frauduleux, mais encore absolument faux, parce qu'il marque un embarras, que la verité ne connoit point.*

** Que *la Messe pouvoit être raisonnablement appellée un sacrifice.*

*** Qu'*il ne manque rien à la Messe pour être un veritable sacrifice.*

## §. XXI.

At noſtræ tandem ſententiæ argumenta exponamus, quibus conficitur, nullam euchariſtiæ oblationem, nullum ſacrificium à Chriſto inſtitutum eſſe, quod veteribus ſucceſſerit. Primum conſtat, Chriſtum cultum veteris Teſtamenti cærimonialem & cum ipſo ſacrificia quoque abrogaſſe, ſubſtituto unico corporis ſui ſacrificio, quòd cum perfectiſſimè peccatorum noſtrorum reatum abſtulerit, ait Apoſtolus, non amplius neceſſariam eſſe προσφορὰν περὶ ἁμαρτίας Hebr. X. 10. 12. 14. 18. Porrò in inſtitutione ſacræ cœnæ de oblatione aut ſacrificio nihil memoratur, ubi accurate & data opera enarrantur omnia, quæ Chriſtus fecit. Quæ hîc de ſponſo ſacro dicit Boſſuetus, rem non conficiunt. Neque enim requirimus, ut ſemper à Chriſto dictum ſit, quod corpus in euchariſtia offerat. Sufficiat, ſi ſemel dixerit. At cùm ne ſemel quidem id dixerit, Boſſueti effugiis adquieſcere non poſſumus. Succedant nunc argumenta ex C. IX. & X. Epiſtolæ ad Hebræos petita. C. IX. comm. 12. dicitur, Chriſtum ſemel iniiſſe in ſancta, æternamque redemtionem inveniſſe; comm. 24. 25. 26. ipſum apparere nunc coram Patre pro nobis, non ut ſæpius ſe offerat, quia alias ſæpius debuiſſet pati, ſemel autem immolatum ad deſtructionem peccati eſſe; id quod & comm. 28. dicitur. Adde C. X. comm. 10. ubi ἐφάπαξ repetitur. Comm. 12. affirmatur, Chriſtum pro peccatis unicum obtuliſſe ſacrificium, eoque conſummaſſe in æternum eos, qui ſanctificantur. Comm. 14. ſubjungitur epilogus:

ὅπȣ

ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων ( ἁμαρτιῶν ) οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας comm. 18. Si igitur (1.) Christi Sacerdotium est ἀπαράβατον Hebr. VII. 24. Si (2.) juxta Hebr. VIII. 4. negatur, Christum, si in terris esset, Sacerdotem esse posse, consequitur, nullos amplius esse in terris Sacerdotes, nullum Sacerdotium. Sanè ex his omnibus sequentes suâ sponte positiones fluunt. I. Perfectam redemtionem & propitiationem sacrificio crucis nobis acquisitam esse. II. Unicum fuisse sacrificium, quod unquam Christus obtulerit, & hoc esse sacrificium crucis. III. Oblationem Christi semel factam non continuari aut renovari aut repeti posse. IV. Acquisita per Christum remissione peccatorum nullam amplius pro peccato oblationem vel dari vel necessariam esse. V. Christum se offerre non posse, nisi patiatur. VI. Eucharistiam in sensu Scripturæ sacrificium & oblationem dici non posse. VII. Oblationem Christi in cruce factam in eo distingui ab oblationibus veteris Testamenti, quod hæ continuatæ, renovatæ & repetitæ sint, illa verò repeti nequeat. Adde Hebr. VII. 26. 27. Rom. VI. 9. 10. 1. Petr. III. 18. Et L. III. Sacram. R. E. sive Cod. Gelas. p. 190. hæc habetur secreta: Deus, qui legalium differentias hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti, accipe sacrificium devotis tibi famulis & pari benedictione sicut munera Abel justi sanctifica &c. Rursus nulla ratione potest comprehendi sacrificium eucharistiæ proprie sic dictum. Si enim holocaustum sit, ubi, quæso, est mactatio hostiæ offerendæ, ubi ejus in altari combustio & consumtio, ubi sanguinis fusio & aspersio? Holocaustum autem incruentum dicere est σιδηρόξυλον.

Si

Si verò oblationem dixeris potius, ubi eſt pars cum thure incenſa & oblata in altari? quadratne hoc ullo modo in euchariſtiæ ſacramentum? Sed ajunt, qui Romanæ Eccleſiæ deciſiones defendunt, inter ſacrificium cruentum & incruentum ſive ἀναίμακτον eſſe diſtinguendum. At huic argumento jam reſpondimus. Nullum ſacrificium proprium poteſt dici incruentum, cum αἱματεκχυσία adeſſe debeat Hebr. IX. 22. Sed non video, cur juxta hypotheſes ſuas ii, qui Miſſaticum aſſerunt ſacrificium, ſtatuere debeant, id incruentum eſſe & ἀναίμακτον, cùm ſanguis Chriſti verus in eo effundatur, ipſo affirmante Boſſueto. Credideris, eos, qui ita loquuntur, in propria viſcera labi, & quod una manu ſtruunt, altera deſtruere. Affert tamen & aliam reſponſionem Meldenſis Epiſcopus. Oblatio, ait, duplici modo ſumitur, vel prout cum actuali morte eſt conjuncta, vel prout nihil aliud eſt quam expoſitio Chriſti in altari. Priorem addit ſignificatam Paulo fuiſſe. At nec poſterior vel apud Paulum vel tota in Scriptura ullibi invenitur. Nec exponere aliquid in altari vel menſa ſacra eſt offerre, aliàs & Proteſtantes euchariſtiam offerrent, quia in menſa ſacra eam exponunt. Et quod præcipuum eſt, ſupra vidimus, Boſſuetum dicere, quod Chriſtus corpus ſuum in cœna dominica verè immolaverit, ſanguinemque ſuum verè effuderit, unde & ait, ſacrificium cruci ſacrificio Miſſæ continuari & renovari. Hæc omnia verò cum actuali morte utique conjuncta ſunt, adeoque ipſemet oſtendit Boſſuetus, ea, quæ dicit, Paulo eſſe contraria. Sed cætera quoque contra oblationem Euchariſtiæ argumenta proferamus. Vulgatum eſt illud, ſed

egre-

egregium, quod dicitur, in S. cœna corpus Domini *nobis* edendum ſanguinemque bibendum *offerri*, *nobisque* in pignus gratiæ *dari*, ergo non viciſſim *Deo offerri* poſſe, cum eo fine ſacramentum non ſit inſtitutum. Rurſus una eademque victima ſæpius offerri nequit, ſed quod immolatur & offertur, nondum antea immolatum eſſe debuit. Nec profecto id, quod εἰς ἀνάμνησιν ſacrificii ſaltem inſtitutum fuit, ipſum ſacrificium eſt. Denique nulla, niſi impropria & figurata ſacrificia, ſi ſacrificium crucis excipiamus, à Scriptoribus novi Teſtamenti memorantur, converſio & ſanctificatio hominis Rom. XII. 1. omnis cultus divinus tàm externus quàm internus 1. Petr. II. 5. 9 preces Pſalm. CXLI. 2. Hebr. V. 7. XIII. 15. Apocal. V. 8. VIII. 3. 4. prædicatio Evangelii & converſio gentium Rom. XV. 16. fides Phil. II. 17. eleemoſynæ Phil. IV. 18. Hebr. XIII. 16. martyrium Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6.. Quæ ad hæc omnia reſpondeantur, nobis perſpectum ſatis eſt. At cum volumen controverſiarum ſcribere noſtri inſtituti haud ſit, ea tangere haud volumus, ne id agamus, quod dudum ab aliis act m fuit. Maxima difficultas, ut arbitror, in re ipſa haud conſiſtit, ſed in præjudicatis opinionibus, inde à juventute hauſtis & autoritate docentium auctis, evellendis atque deſtruendis, cui rei mille quoque controverſiarum Scriptores haud ſufficiunt.

## §. XXII.

Quæ hactenus à nobis dicta fuere, ſufficienter demonſtrant, ſacros Scriptores, qui Canonicos novi

Teſtamenti libros nobis reliquere, de oblatione eucharistiæ à Chriſto inſtituta, aut ab initio inde plantatæ ab Apoſtolis Eccleſiæ uſitata, nihil omnino memorâſſe. Aliter tamen de Viris Apoſtolicis nobis videtur pronunciandum, inter quos primum Barnabas oblationis injicit mentionem Epiſt. C. I.* poſtquam ex Eſaiæ Prophetæ C. I. comm. 11. ſqq. verba retulerat Domini Judæorum ſacrificia rejicientis: *Hæc ergò vacua fecit, ut nova lex Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ſine jugo neceſſitatis eſt, humanam habeat*** oblationem.* Allegat poſt hæc Barnabas aliud dictum Propheticum contra ſacrificia Judaica ex Jerem. VII. 22. & Zachar. VIII. 17. petitum, adjiciens: *Volens nos ſimiliter errantes quærere, quemadmodum ad illum accedamus, nobis enim dicit:* ſacrificium Deo cor contribulatum & humiliatum Deus non deſpicit. „ Unde verba iſta *humanam habeat oblationem* ita explicat Hugo Menardus *** : *id eſt, cor habeat præparatum, ad parendum Dei mandatis, ut locus Prophetæ poſtea citatus ſatis indicat.* Atque hæc haud approbanda cenſet Zephyrinus de Pace ****, primo, quia à ſenſu proprio & literali non recedendum ſit, aut ſenſus figuratus vel myſticus eligendus, ubi ptior admitti poſſit; ſecundo, quia Barnabas in prioribus verbis de veris ſacrificiis

* Pag. 211. editionis ab Iſaaco Voſſio Londini A. 1680. editæ.

** Vocem *habeat* male omittit Verſio Voſſiana, quam ex vetere Interprete recte poſitam videas p. 57. in J. B. Cotelerii Editione à Jo. Clerico repetita.

*** Num. 34. in not.

**** In *den Alt-Chriſtlichen Gedancken* Prop. III. Qu. 2. §. 24. p. 151. 152.

ficiis Judæorum verba fecerit. Sed miror iſta dicere potuiſſe Zephyrinum, Virum doctiſſimum. Humanam enim oblationem, ſcil. converſionem & ſanctificationem, hâc nomenclatione jam innuerat Paulus Rom. XII. 1. Cur itaque Barnabas ſtylo Paulino uſus hîc non fuerit, vel uti non potuerit, ego ſane haud perſpicio. Porrò quis ignorat, ſacrificia ſpiritualia laudis & precum itemque pœnitentiæ, quam hîc innuit Barnabas, ſacrificiis veteris Teſtamenti externis & viſibilibus optimo jure opponi poſſe? In vetere enim Teſtamento viguit littera, in novo ſpiritus; quod in vetere externum fuit, in novo internum eſſe debet. Conf. 2. Cor. III. 6. ſqq. Itaque eam in ſententiam deſcendit Zephyrinus, ut dicat, ſacrificium Miſſaticum hîc intelligi. Id quod plane non eſt probabile. Primò enim hoc ſacrificium nondum probavit Zephyrinus, nec, uti ex ſequentibus videbimus, id ex Eccleſiæ primitivæ documentis probabit quoque. Secundo, ne ſacrificium crucis quidem humana oblatio olim nuncupata fuit, nedum euchariſtia, quod factum fuiſſe oportebat, ſi Zephyrini ſententia eſſet vera, cum in re tanti momenti non conjecturis ſed demonſtrationibus ſit agendum. Tertio demus omnino, oblationem hominis Jeſu Chriſti hîc innui, cur oblationem in cruce factam hîc non intellectam vult noſter Zephyrinus? Ait: eam ſemel ſaltem factam eſſe, hîc autem talem innui oblationem, quæ Judaicorum ſacrificiorum inſtar ſæpius repetatur. Pace Viri doctiſſimi dixerim; hæc parum videntur cohærere. Quemadmodum enim legem novam veteri hîc opponit Barnabas, ita & humanam oblationem oblationibus Judæorum quotidie repetendis contradiſtinguit, imi-

tus Paulum, qui sacrificium novi Testamenti à sacrificiis veteris eandem ob rationem plurimum differre ostendit. Hebr. VII. 27. IX. 9. seqq. 25. sq. X. 1. sqq. Ast non opus est, ut hæc omnia tàm prolixè enarrremus. Ipse se explicat Barnabas, cùm ait, se sacrificium bonorum operum cordisque contriti intelligere. Ita enim infit: *Adaperuit enim nobis per omnes Prophetas, quia non utitur nostris hostiis, neque victimis, neque oblationibus, hac dicens:* Quo mihi multitudinem sacrificiorum *vestrorum*, & quæ sequuntur. Addit postea: *Hæc ergo vacua fecit, ut nova lex Domini nostri Jesu Christi, quæ sine jugo necessitatis est, humanam habeat oblationem.* Omnia hæc si combinentur, conficietur, in novo Testamento à nobis nullas proprias *hostias, nec victimas, nec oblationes offerendas esse.* Scilicet, ne quis objiceret, *ergone igitur in Novo Fœdere nihil Deo offerendum erit?* dicit Barnabas, *humanam oblationem utique offerendam esse.* Quænam autem ista sit humana oblatio, statim explicat, eaque quæ dicta jam erant, repetit. *Dicit Dominus iterum ad illos:* Numquid ego præcepi parentibus vestris, cùm exierunt de terra Ægypti, ut offerrent mihi hostias & victimas? sed hoc præcepi illis, dicens: unusquisque vestrûm adversus proximum non habeat malitiam & juramentum mendum non habet *sive* habeat. *Intelligere ergò debemus, cùm non simus sine intellectu, consilium benignitatis Patris nostri: quia nobis dicit, volens nos similiter errantes quærere, quemadmodum ad illum accedamus, nobis enim dicit:* sacrificium Deo cor contribulatum & humiliatum Deus non despicit, Psal. LI. „ Hæc si accuratius pensitemus, concludemus utique, Barnabam hu-

humana oblatione nihil aliud intellectum velle quam cor contribulatum & humiliatum. Hoc autem noluit Zephyrinus, quia semel hanc animo conceperat sententiam, ex primitivæ Ecclesiæ Scriptoribus sacrificium Missaticum esse eruendum, quocumque etiam id modo fiat, omni occasione & voce arrepta, quæ oblationem eucharistiæ significare possit. Id quod argumento nobis esse debet, tantam esse præjudicatarum opinionum efficaciam, ut, nisi omnibus viribus sine partium studio veritatem inquirere studeamus, defectusque intellectus nostri sine ulla intermissione corrigere annitamur, facilè ab iis superemur.

## §. XXIII.

At alium Barnabæ locum profert Zephyrinus* ut sacrificium Missaticum adstruat. Verba exstant C. VI. Epistolæ: Vetus versio ita habet: *Sed & cruci affixus aceto ac felle potabatur. Audite, quomodo de hâc re Sacerdotes templi ac plebis significaverint, scripto præcepto, ut, qui jejunium non jejunaret, morte exterminaretur, præcepit Dominus: quia & ipse pro peccatis nostris vas Spiritus sui oblaturus erat in hostiam; ut & impleretur figura facta in Isaaco, qui super altare fuit oblatus. Quid ergo dicit apud Prophetam?* Et manducent de hirco, qui in die jejunii offertur pro omnibus peccatis. *Attendite diligenter.* Et manducent soli ac omnes Sacerdotes intestinum non lotum cum aceto. *Ad quid? quoniam me pro novi populi delictis oblaturum carnem meam potaturi estis aceto cum felle; comedite vos soli, dum populus jejunat & plangit in*

 *sacco*

* l. c. §. 25. p. 153. 154.

*sacco & cinere. Ut ostenderet, quod oportet ipsum mori pro illis.* Verba hæc tam intricata sunt, ut vix sensus Viro Apostolico dignus hîc appareat. Duo loca Barnabas ex veteris Testamenti libris videtur allegare, quorum alter de celebrando jejunio agit, alter fert, Sacerdotes hirci die jejunii oblati intestina non lota cum aceto comedere debere. Priore loco dicitur præsignificatum fuisse, quod Christus crucifixus debuerit aceto & felle potari. In posteriore loco typus & antitypus mirabili ratione combinantur. Supponitur enim, Sacerdotes veteris Testamenti hirci in die expiationis oblati intestina non lota cum aceto ex mandato Dei comedisse in typum. Antitypus Christus est, qui Deo carnem suam suam pro peccatis populi offerens, potus fuit in cruce felle & aceto. Hæc utique combinari nequeunt, nec κατ' ἐπίγνωσιν dicuntur. Nihil autem est ridiculum magis, quam ex hoc Barnabæ loco sacrificium Missaticum probare velle, quod Zephyrinus facit, cum ne unicum quidem in isto verbum sit, quod per longas etiam ambages ad oblationem eucharisticam trahi possit. Aliud enim est, *fel potare cum aceto*, aliud *sanguinem Christi bibere*, quæ duo confundit Zephyrinus. Et ponamus quoque, hæc duo unum idemque significare, quod quidem nemo sanus unquam cogitaverit, non tamen sequitur, sanguinem Christi in eucharistia offerri, quia in eadem bibitur. Porrò verba *comedite vos soli* & quæ sequuntur, ad Sacerdotes veteris Testamenti pertinent, nullaque ratione ad eucharistiæ sacramentum applicari possunt, cùm & populus hujus fiat particeps. Denique, si,

quod

quod Zephyrinus vult, concedamus, ad euchaſtiam hîc reſpici; nihil conficiet amplius, quàm euchariſtiam epulum eſſe ex oblatis, non autem ſacrificium. Id quod dudum ſupra adſtructum ivimus. Cæterum ut, quod res eſt, dicamus, omnino arbitramur, hunc Barnabæ locum penitus corruptum eſſe, ita ut medela adhiberi nulla queat. Etenim dicta, quæ citat, in veteris Teſtamenti libris non inveniuntur, niſi forſan alludat Barnabas ad id, quod de die expiationis Levit. XXIII. 29. dicitur: *Omnis anima, quæ non humiliabitur in ipſa die illa, exſcindetur è populis ſuis.* Scilicet *humiliatione* illa jejunium exprimitur juxta Tertullianum, qui ita adverſus Pſychicos in libro de jejuniis: *At, quod ad jejunia pertineat, certos dies à Deo conſtitutos apponunt, ut, cùm in Levitico præcipit Dominus Möyſi decimam menſis ſeptimi diem placationis*, ſancta, *inquiens*, erit vobis dies, & vexabitis animas veſtras, & omnis anima, quæ vexata non fuerit illa die, exterminabitur de populo ſuo. „ Eadem ratione vox ענה explicanda venit Levit. XVI. 29. 31. unde & idem Tertullianus ait, *duos hircos jejunio obtuliſſe*, Lib. cont. Judæos. Hinc dies expiationis *καὶ* ἐξοχὴν vocatur *νηστεία* à Juſtino Martyre, Chryſoſtomo, Oecumenio, Theophylacto, itemque Fl. Joſepho variis in locis. Rationem hujus rei reddit hic L. VI. de bello Judaico C. 6. ubi de ſummo Sacerdote: εἰσῄει δ' εἰς ἄδυτον ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνον, ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρα πάντας τῷ Θεῷ. Hinc & Hebræis dies hic dicitur יום צום *dies jejunii* צום הגדול *jejunium magnum*, & יום צום הכפורים *dies jejunii expiationis.* Quinimo &

νηςεία vocatur Act. XXVII. 9. ubi qui ὑετίαν supponere voluit, textum sine causa sollicitavit. Nec, ut Bellarminus Lib. II. de bonis operibus C. 19. putat; de jejunio quatuor temporum ibi quæstio est, quod temporibus Pauli nondum erat institutum. Sequitur alterum dictum: τί οὖν λέγει ἐν τῷ προφήτῃ; Certum est, ea, quæ sequuntur, apud nullum Prophetam exstare. Sunt igitur, qui vel ad libros Apocryphos vel ad traditiones Judaicas recurrendum esse arbitrantur, id quod Cotelerius facit, qui tamen nulla allegat loca, ex quibus ista petita sint. Quod autem Oxoniensis Commentator dicit, verba hæc non denotare voces Prophetæ alicujus, sed esse explicationem mysterii latentis in ritu legali à Mose proposito, id eam ob rationem approbari nequit, quod verba Barnabæ manifestam allegationem insinuant. Cæterum quæ à Viro Apostolico (si quidem Barnabas est, qui hæc scripsit) hîc citantur, omninò repugnant iis, quæ in legibus veteris Testamenti cærimonialibus statuta legimus. Καὶ φαγέτωσαν. Miratur hæc Stephanus le Moyne, Theologus quondam Leydensis, quod dies expiationis fuerit dies jejunii, uti jam observatum à nobis est. Nec sine ratione, cùm sermo in his verbis esse nequeat de cœna כפוריא seu *Cœna pura* Tertulliano L. IV. contra Marc. & Lib. I. contra nationes C. XIII. memorata, quâ jejunium solvebatur. Introducuntur enim hîc Sacerdotes comedentes, *populo jejunante & lugente in sacco & cinere.* Vide varia Sacra T. II. seu notas in epistolam Barnabæ p. 656. seqq. Quæ sequuntur, similem habent difficultatem. Καὶ φαγέτωσαν ἐκ τοῦ τράγου. Ad hæc ita le Moyne: *Levit. XVI.*

*XVI. tantum memoratur, quod hircorum unus in holocaustum offerebatur, alter vero in desertum mittebatur, unde patet, Judæos non potuisse hircos istos in pabulum suum usurpare. Falsus quippe est Tertullianus L. III. contra Marcionem C. 7. & adv. Judæos C. XIV.* qui contendit, Judæos comedisse de hirco, qui in holocaustum offerebatur. Totus flammis altaris consumebatur, & nulla pars residua manebat, quâ Judæi vel Sacerdotes possent latrantem stomachum pascere. Deinde interdictum erat omne pabulum isto die Cippurim.* Scilicet victimæ propitiatoriæ, quarum sanguis inferebatur in sanctuarium, totæ comburebantur. Levit IV. 5. sqq. VI. 23. IX. 11. sqq. XVI. 27. Ezeh. XLIII. 21. Hebr. XIII. 11. Nodum hunc ut solveret, verbisque Barnabæ veritatem affunderet, tres hircos finxit Hugo Menardus. Ita enim ille: *Præter duos hircos pro expiatione populi oblatos in die expiationis solemni erat alius, qui absque his mactabatur pro peccato.* Quod ut probet, adducit locum Num. XXIX. 11. ubi: *offerendus est & hircus pro peccato præter sacrificium in expiationem oblatum*, quæ & Levit. XVI. memorantur, observata à Fl. Josepho L. III. Antiqu. Jud. Cap. 10.



* Tertulliani verba hæc sunt: *Alter hircus pro delictis oblatus, & Sacerdotibus tantum templi in pabulum datus secundæ repræsentationis (seu secundi adventus) argumenta signabat: quâ delictis omnibus expiati Sacerdotes templi spiritualis, id est Ecclesiæ Dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur, jejunantibus cæteris à salute*, id est, foras exclusis Ethnicis & infidelibus. Videtur Tertullianus hæc ex Epistola Barnabæ transsumsisse & in suos usus convertisse.

θύουσι δ' ἐν ταύτῃ ἡμέρᾳ ταῦρον καὶ κριοὺς δύο καὶ ἄρνας ἑπτὰ καὶ ὑπὲρ ἁμαρτάδων ἔριφον, προσάγουσι δὲ δύο πρὸς τούτῳ. Hic ergo hircus pro peccato oblatus (ab hircis expiationis probe diſtinguendus,) juxta traditiones Judæorum comedebatur veſperi à Sacerdotibus, jejunium interim continuante populo, id quod obſervat Oxonienſis Commentator. Scilicet victimis piacularibus ſacerdotes veſci poterant. Levit. VI. 16. XXIII. 20. Num. XVIII. 9. 10. Aſt Menardo & Commentatori Oxonienſi reponi poteſt, dicere Barnabam, καὶ φαγέτωσαν ἐκ τοῦ τράγου τοῦ προσφερομένου ὑπὲρ ΠΑΣΩΝ ΤΩΝ ΑΜΑΡΤΙΩΝ, quod oſtendit, loqui ipſum de hirco expiationis, de quo Levit. XVI. 15. 16. dicitur, oblatum ipſum fuiſſe, *expiarentur filiï Iſraël* מפשעיהם לכל חטאתם *à prævaricationibus ſuis PECCATISque OMNIBUS*, id quod de שעיר החטאת אשר לעם *hirco pro peccato qui ad populum pertinebat*, affirmatur. At hic hircus, uti vidimus, comedi non potuit. Quocumque igitur modo textum Barnabæ reſpiciamus, Legibus Moſaïcis is contradicere videbitur. Iſta verò planè digeri nequeunt, quæ dicuntur *de Sacerdotibus ſolis inteſtinum non lotum cum aceto comedentibus*. Quis enim crediderit, Deum Sacerdotibus præcepiſſe, ut *inteſtina non lota cum aceto* & quidem *ſoli comedant?* Quinimò & in conviviïs ſacrificialibus inteſtina non comedebantur, ſed lota altari imponebantur, & comburebantur. Vide Levit. I. 9. & plura alia loca, ubi idem reperitur. Hugo Menardus ad hæc verba ſequentem in modum commentatur: *Hæc non ſunt in Scripturis, ſed credendum eſt, ut & alia, obſervari ſolita ex traditione anti-*

*antiqua.* Commentator Oxoniensis ritum hunc deducit à solemnitate Paschali, ubi agnus comedendus dicitur, ἐπὶ πικρίδων οὐδὲ ὑψημένον ἐν ὕδατι ἀλλ' ὀπτὰ πυρὶ Exod. XII. 8. 9. cujus ministerii circumstantias passionem dominicam respicere doceant Apostoli. Joh. XIX. 36. 1. Cor. V. 7. Sed de agno Paschali, ut vidimus, Barnabas non loquitur, qui de hirco expiationis ista profert, maximè cùm solos hic sacerdotes nominet, qui agnum Paschalem soli non comedebant, ab omnibus Israëlitis comedendum. Cætera, quæ in Epistola Barnabæ sequuntur, nullum fere sensum fundunt. Quæ enim, quæso, est hæc ratiocinandi ratio: *Sacerdotes soli enim manducârunt intestinum non lotum cum aceto, quia viderunt, quod me corpus meum oblaturum pro peccatis populi novi potaturi sitis aceto cum felle?* Quid enim est intestinis non lotis cum felle? Si vero τὴν σάρκα μου & μέλλετε interpungas, major adhuc apparet difficultas. Nulla enim hæc est connexio: *Sacerdotes olim manducarunt intestinum non lotum cum aceto, quia viderunt, me corpus meum pro peccatis populi novi oblaturum esse. Ideo & vos potum dabitis fel cum aceto. Comedite vos soli, dum populus jejunat.* Observarunt hoc Menardus & Cotelerius. Hinc vocem εἶδον delent, utpote ex nota marginali εἶδε enatam. Nec negandum, faciliorem ita emergere sensum: *Manducent Sacerdotes intestinum non lotum cum aceto, quia olim, cum corpus meum dedero pro peccatis populi, me potaturi estis aceto cum felle. Vos itaque Sacerdotes soli*, qui typicam mei imaginem geritis, *comedite, dum populus jejunat.* Ast & hæc coacta sunt, monstrantque tex-

tum

tum hunc ita corruptum esse, ut medica manus adhiberi nequeat. Miratur & hoc Menardus, dicere Barnabam, quod Christus pro peccatis populi novi solùm carnem suam obtulerit, cum tamen pro omnibus sit passus. Hinc ναῦ pro λαῦ legit, incertamque & longius petitam lectionem adhibet, ut certiorem, quæ incommoda est, expungat. Est tamen, quod in favorem Barnabæ de intestinis non lotis dici possit. Τὸ ἔντερον non semper exta sola sed & carnes significat. Eodem modo *viscera* dixit Virgilius Æneid. Lib. VI.

*Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

Scilicet carnem cum visceribus hîc significari docet ad hunc locum Servius. *Nam viscera,* inquit, *sunt, quicquid inter ossa & cutem est. Unde etiam visceratio dicitur convivium de carnibus factum. . . . Ergo* solida viscera *holocaustum significat, quod detractis extis aræ superimponebatur.* Et Virgil. Æneid. L. I. v. 215. ubi habetur: Tergora diripiunt costis & viscera nudant. Ad quem locum Servius p. 183. viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est, ut in Albano visceratio dabatur id est caro. Idem monet, Lucretium sæpius nomine *visceris* carnem intelligere. Conf. Serv. in Lib. I. Georg. p. 31. & in Æneid. L. VI. p. 413. Si itaque per ἔντερον carnem intelligat Barnabas, sanum utique verba ipsius sensum admittunt. Quicquid autem hujus sit, (nec enim difficiles nectere explicationes nunc animus nobis est) oleum operamque perditurum arbitror, qui sacrificium Missaticum ex his Barnabæ verbis probare

con-

contenderit. Verba enim, φάγετε ὑμεῖς μόνοι, ad Sacerdotes veteris Testamenti idque tempus referenda sunt, ubi Christus erat ὁ μέλλων προσφέρειν τὴν σάρκα αὐτοῦ. Illa autem μέλλετε ποτίζειν non significant *bibetis*, uti vertit Zephyrinus*, sed *potum dabitis*, & quidem *fel cum aceto*. Num itaque ex felle & aceto sacrificium Missæ consistit? Non sane, sed id saltem urget Zephyrinus, affirmare Barnabam, quod olim Sacerdotes ex victimis piacularibus ederint & biberint, hæcque omnia ad novum Testamentum applicare; at ex sacrificio crucis neminem edere vel bibere, ergo aliud sacrificium debere quæri, ex quo Christiani edant ac bibant. Hoc autem aliud esse non posse, quam Missam. Hîc varii omnino errores cumulantur. Verum est, Barnabam sacrificium Christi in cruce factum cum sacrificiis veteris Testamenti conferre. At convivia sacrificialia vet. Test. non confert cum cœna eucharistica novi Testamenti, etsi hoc optimo jure potuisset facere. Id saltem dicere voluit, quemadmodum Sacerdotes vet. Test. cum aceto comederint sacrificiorum reliquias, ita Judæos Christo in cruce oblato acetum dedisse bibendum. Nec recte se habent, quæ noster asserit, si præsentiam realem statuat, (statuit autem eam omnino) *de sacrificio crucis nemo comedit vel bibit*. Cum enim affirmet, corpus Christi in Missa oblatum esse idem cum corpore in cruce oblato, unamque & eandem numero esse hostiam, delenda utique erit periculosa ista assertio. Cæterum tria sunt, quæ

hîc

* Pag. 154. *So vverdet ihr trinken.*

hîc Barnabas cum aliis Patribus communia habet, typi cum antitypo collatio difficilis & omni ex parte haud quadrans, allegatio dictorum ex vet. Test. libris, quæ in iisdem haud exstant, immedicabilis textus corruptio atque perversio, quæ & heic vel ideo statuenda videtur, ne Viro Apostolico tam absurda adscribere necessum habeamus.

## §. XXIV.

Pergamus nunc ad ea Clementis Romani testimonia, quæ ad probandum sacrificium Missaticum producit Zephyrinus *. Primum petitum est ex Epist. I. ad Corinthios C. XL. ubi hæc leguntur: *Cum ergo hæc nobis manifesta sint, etiam in divinæ cognitionis profunda introspicientes cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus, oblationes & officia perfici, neque temere vel inordinatè fieri præcepit, sed præfinitis temporibus & horis: ubi etiam & à quibus celebrari vult, ipse excelsissima voluntate sua definivit: ut purè & sanctè omnia facta in beneplacito, accepta essent voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes faciunt, accepti & beati sunt: nam qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt; & sacerdotibus locus proprius assignatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt; homo laicus præceptis constringitur.* Ex his Clementis verbis sequentes formamus propositiones. I. Cultum publicum oblationesque certo tempore horisque constitutis fieri debere.

* Loc. cit. §. 26, p. 154. sqq.

bere. II. certis itidem locis. III. atque à certis personis consecrandas esse. IV. nec tamen omnia in cultu publico ab omnibus perfici posse, sed distincta hîc esse debere officia, quemadmodum in veteri Testamento distincta fuerint officia Sacerdotis summi, cæterorum item Sacerdotum, Levitarum porrò ac denique Laicorum. Hæc quum ex verbis Clementis suâ sponte fluant, docent insimul, sanctissimum Virum de oblatione vel sacrificio Missæ ne quidem cogitâsse, cum ista scriberet. Loquitur enim hîc de oblationibus, quas in primitiva Ecclesia offerebant omnes, quotquot in communionem Ecclesiæ erant recepti. Has dicit offerendas certo tempore certoque in loco, & perficiendas à certis personis, scilicet Sacerdotibus vel Ministris Ecclesiæ. Horum enim officium erat, oblationes prece sanctificare atque ex iis postmodum eucharistiam conficere. Si itaque & Ministri Ecclesiæ ea, quæ à populo oblata fuerant, rursus offerebant Deo, offerebant utique panem & vinum gratiasque agebant Deo pro his donis, & precabantur, ut ad celebrandum corporis dominici sacramentum ea sanctificare dignaretur. Id unum in his Clementis verbis difficile perspectu est, quod ait, hæc omnia præcepisse Dominum, cujus mandatum de oblationibus offerendis & quidem certo tempore certisque in locis nullibi in libris novi Testamenti exstat, etsi hæc communis fere Veterum sit traditio. Hanc tamen abolevit postea Ecclesia, nec ipsa quoque Romana retinuit hunc offerendi ritum. Nihil itaque ex verbis Clementis contra Protestantes potest exsculpi, quod non retorqueri optimo jure possit. Præceptum autem Domini hîc allegat Cle-

mens

mens pio admodum instituto, quo Veteres omnia quæ in Ecclesia jam instituta atque ordinata inveniebant, ad Domini mandatum referebant. Id quod postmodum pluribus erroribus occasionem præbuit, ut scilicet ritus Ecclesiastici, in se indifferentes & pro ratione circumstantiarum mutabiles, in articulorum fidei seriem ponerentur, atque nova quædam lex cærimonialis Christianis imponeretur, anathemate vibrato contra eos, qui istam negligerent. Quivis videt, hoc errore Christianam libertatem labefactari, quam egregiè expressit Paulus, Col. II.16. sqq. Eadem ferè elocutus est Gal. IV. 9. 10. Hinc natæ sunt infaustæ illæ Christianorum controversiæ, quæ corpus Ecclesiæ in partes disjecere. Hinc nata illa de Paschate controversia, in Concilio Nicæno tandem diremta. Novit ista Irenæus, cujus verba, quæ egregia sunt, in Fragmento tertio ita transtulimus: *Ordinaverunt Apostoli, non oportere nos judicare quenquam in esca vel potu vel parte festi aut neomeniæ aut sabbatorum. Unde igitur hæ disceptationes? unde schismata? Feriamur, sed in fermento malitiæ & malignitatis, Ecclesiam Dei scindentes, & externa servamus, ut meliora fidem & caritatem abjiciamus. Has igitur ferias & jejunia displicere Domino ex sermonibus Propheticis audivimus.* Vide & ea, quæ in notis ad istud scripsimus p. 148. sqq. Nec profectò cultus novi Testamenti ulli loco vel tempori alligatus est, quod & ipse Christus & S. Paulus insinuat. Joh. IV. 21. sqq. 1. Tim. II. 8. Cùm autem sine ordine cultus publicus fieri non possit, ipsi Apostoli certas condidere Constitutiones Ecclesiasticas, diversas eas & varias, pro ratione circumstantiarum quoque variandas. Hinc

Paulus

Paulus συγγνώμην suam distinguit ab ἐπιταγῇ Κυρίου 1. Cor. VII. 6. 10. 12. 25. Nolebat enim βρόχον hominibus ἐπιβάλλειν comm. 35. ne libertatem Christianam destrueret, aut arbitrarentur homines, religionem externo in cultu consistere. Generalis tamen iste canon erat, quem ponebant Apostoli & ab omnibus ex lege charitatis observandus: πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1. Cor. XIV. 33. 40. Quod restat, ex verbis Clementis facile est eruere, quâ occasione oblationes veterum in Ecclesiam introductæ fuerint. Conservare etenim ritus quosdam Judaicos voluerant primi Christiani, utpote cum iis assueti essent. Hinc oblationes factæ, hinc Hierarchia Ecclesiastica ad exemplar Judaicæ instituta, quod sub finem hujus paragraphi Clemens innuit, ubi Sacerdotium Christianum cum Levitico confert. Nec tamen ista animo stare debet sententia, collationem hanc omni ex parte accuratam esse, cum post ἀρχιερέα & ἱερέας λευίτας quoque noster ponat. Aliam paulo Hierarchiæ Christianæ descriptionem Paulus dedit 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. quam utique accuratiorem Clementina esse arbitramur. Conferri tamen possunt, quæ in sequentibus de Hierarchia sacra addit Clemens, ubi §. 41. ex vetere lege probare contendit, cultum divinum certo in loco fieri debere. At §. 42. ait, Apostolos, Episcopos & Diaconos constituisse, quod ex Jes. LX. 17. probat, ubi: ושמתי פקדתך שלום ונגשיך צדקה quibus verbis omnino omnia alia exprimuntur. Idem facit & Irenæus L. IV. C. 44. Videatur Whitby de Interpr. Script. p. 106. Notandum tamen hîc, sub

ἐπισκόπων nomine & πρεσβυτέρους Clementi venire, quorum commune fuit nomen, uti ex §. 44. quoque patet.

## §. XXV.

His præmissis Zephyrinum nostrum ex Clemente sacrificium Missæ probaturum audiamus. Ait autem, nullo utique adducto argumento, se per προσφορὰς & λειτουργίας sacrificium Missaticum intelligere. Quod quomodo affirmari possit, hactenus non perspicio, cùm S. Clemens nihil de eucharistia aut oblatione corporis & sanguinis Domini incruenta & propitiatoria hîc memoret, quod fieri utique debebat, si sacrificium Missaticum innuere voluisset. Refutat postea Zephyrinus notam Jo. Felli Episcopi Oxoniensis, qui ait, per προσφορὰς intelligi quoque *Collectas pecuniarum singulis diebus Dominicis in Christianorum conventu ex D. Pauli mandato* 1. Cor. XVI. 2. *pauperum gratia factas.* Hîc arbitror, totam Felli * sententiam Zephyrinum non perspexisse. Ita enim ille ad verba Clementis, quæ explicamus: *Hanc ipsam ob causam oblationum vox tam frequenter apud antiquissimos Ecclesiæ Patres occurrit, præsertim ubi de eucharistiæ mysteriis agitur, ut & in Missali Romano, imò verò & in Ecclesiæ nostræ Anglicanæ solenni officio etiam retineatur. Nimirum, ut sacratissima eucharistiæ mysteria τὰ εἰρηνικὰ seu pacifica omnino videri possent,*

* *Fellerum* dicit Zephyrinus pro *Fello*, qui typographicus error est, ut arbitror. p. 155.

*sent, par erat, ut qui sacris operaretur, munera sua Deo offerret, cumque eadem participaret, sacræ admotus mensæ Numinis conviva fieret, possetque θυσιαστηρίυ μετέχειν.* Hæc utique consona sibi sunt, refutanda à Zephyrino, antequam ex verbis adductis sacrificium Missæ probatum eat. Addit tamen Zephyrinus, voce λειτυργίας sacrificium eucharistiæ olim designatum fuisse hodieque in Ecclesia Græca designari. Nec profectò id negandum esse censemus, cum vox λειτυργία generalis sit, totique cultui publico queat applicari *. Quinimò si proprie ea sumatur, nihil denotabit aliud quam cultum illum, quem Deo tanquam tributum debemus. Unde λειτυργίαν per preces explicat Lucas Act. XIII. Cùm enim dixisset comm. 2. λειτυργύντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ καὶ νηστευόντων, comm. 3. addit: τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι. Ex quibus verbis id quoque patet, de eucharistia hîc non agi, dicitur enim νηστεύσαντες, nec Eucharistia tùm celebrabatur, nisi conjuncta cum Agape aut convivio. 1. Cor. XI. 20. sqq. Adde de voce λειτυργίας 2. Cor. IX. 12. & Phil. II. 25. Si autem, quod arbitratur Zephyrinus, de λειτυργία hoc est sacrificio Missæ hîc loquatur Clemens, per προσφορὰν quoque juxta ejus sententiam idem designavit. Supponit autem hîc Vir doctus, quod in quæstione est, προσφορὰς Ecclesiæ primitivæ unum idemque cum sacrificio Missatico esse. Nec, quæ addit, rem conficiunt, cùm

 dicit,

* Egregia sunt, quæ de significatione vocis λειτυργίας posuit Philippus Melanchton in Apolog. Confess. Aug. Art. XII. p. 270. sqq.

dicit, oblationes non ab omnibus ſed à certis ſaltem perſonis id eſt Sacerdotibus juxta Clementem perfici potuiſſe. Debebat enim Vir doctiſſimus in textu Clementis diſtinguere τὸ ποιεῖν προσφορὰς à τῷ ἐπιτελεῖσθαι προσφοράς. Illud laicis convenit, hoc Sacerdotibus. Prius laicis conveniſſe nemo ut arbitror negaverit, cùm in veteri Eccleſia προσφορὰς à laicis factas ex innumeris Conciliorum Patrumque teſtimoniis pateat. Id quod ſupra abunde omninò demonſtravimus. Nec vox ποιεῖν, uti quidam putant, ſacrificare ſignificat aut offerre oblatione ſacerdotali, ad quam locum hunc refert reverendus Hickeſius. Nulla enim ratio apparet, cur ποιεῖν per offerre hîc debeat explicari, uti ſupra quoque annotavimus. Denique ponamus, ſolam oblationem ſacerdotalem hîc innui, nîl tamen pro ſacrificio Miſſæ ex his confici poterit, cùm, quod ſemper repetendum nobis eſt, in primitiva Eccleſia panis & vinum à Sacerdote oblata & conſecrata ſint, non corpus & ſanguis Chriſti. Cætera quæ à Zephyrino ex Hebr. V. 1. & VIII. 3. afferuntur, de ſummis Sacerdotibus veteris Teſtamenti agunt, idque ſolum probant, Chriſtum, ſummum novi Teſtamenti Sacerdotem, etiam aliquid debuiſſe offerre, ſc. corpus ſuum in cruce. Addit quidem & oblationem corporis Chriſti in euchariſtia noſter, ſed & hanc aſſertionem ſuam ſupponit, non probat.

## §. XXVI.

Reſtat, ut de altero Clementis loco hùc pertinente quædam adjiciamus, qui in eadem 1. ad Cor.

Epiſtola

Epiſtola exſtat §. XLIV. Verba hæc ſunt: *Nec enim leve erit noſtrum peccatum, ſi eos, qui citra querelam & ſancte offerunt dona, Epiſcopatu privaverimus.* Ait hîc Zephyrinus noſter, per δῶρα intelligi corpus & ſanguinem Chriſti, nos negamus, panem & vinum nomine δώρων hîc venire arbitrantes, Quod cum ex Canone III. Apoſtol. additis Guil. Beveregii notis ipſe probet Zephyrinus, labore iſto nunc ſuperſedere poſſumus. Solas allegamus Conſtitutiones Apoſtolicas, quas ipſe citavit noſter, ubi in prece conſecratoria L. VIII. C. XII. panis & vinum ante conſecrationem δῶρα appellantur. Id quod nobis ſufficit. Oblatio autem, quæ per Epiſcopos facta eſt, mediante prece oblatoria, quam ſupra jam memoravimus, accurate diſtinguenda eſt ab oblatione laicorum, quod ſemper monemus, ne, quod à multis fit, duæ hæ oblationes confundantur. Sunt enim, qui ex oblatione laicorum quoque ſacrificium Miſſaticum conentur eruere. Videtur autem Clemens oblationem Euchariſticam ad ſolum Epiſcopi officium reſtringere, quod fieri utique poteſt, ſi, quod jam diximus, ἐπίσκοποι & πρεσβύτεροι pari apud ipſum paſſu ambulent. Hinc Ignatius ad Heronem Diaconum * § 3. *Nihil ſine Epiſcopis facito.*



* Novi Epiſtolam ad Heronem Diaconum inter ſpurias referri, ſeculoque ſexto exeunte conſcriptam exiſtimari. Laudavit tamen eam Clariſſimus Whiſtonus, genuinumque Ignatii fœtum eſſe putat. Idem, quod obiter notamus, interpolatas Ignatii Epiſtolas pro genuinis, breviores autem pro corruptis venditat. Vide Diſſert. Angl. in Epiſtolas Ignatii, maximè p. 2. 4. 93. ſqq. Vol. I. Primitivi Chriſtianiſmi reviviſcentis.

*cito. Sacerdotes enim sunt, tu vero sacerdotum Minister. Illi baptizant, sacrificant,* ἱερουργοῦσι, (quo nomine utique consecratio eucharistiæ intelligi potest) *ordinant, manus imponunt. Tu vero illis ministras, ut Hierosolymis sanctus Stephanus Jacobo & Presbyteris*, quæ verba docere videntur ἐπισκόπους, ἱερέας & πρεσβυτέρους iisdem officiis eademque autoritate functos olim fuisse. Alibi tamen aliter hoc de argumento Ignatius differit, Episcoposque à Presbyteris distinguit, atque illos cum Christo, hos cum Apostolis confert. Locus exstat in Epist. ad Smyrnæos §. VIII. ubi J. B. Cotelerii Versio nova ita habet: *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Jesus Patrem, Presbyterium autem sicut Apostolos. Diaconos verò revereamini, velut mandatum Dei exequentes ministerio suo. Sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Rata eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit, quemadmodum ubi Christus, ibi omnis adstat exercitus cœlestis, veluti Imperatori virtutis Dominicæ, omnisque intelligibilis naturæ moderatori. Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque convivium Dominicum celebrare: sed quodcunque illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei est: ut tutum & ratum sit, quodcunque agitis.* Nihil hìc utique de προσφορᾷ dicitur aut θυσίᾳ ab Episcopo offerenda, etsi data opera hìc Ignatius de administratione eucharistiæ agat. Quod cum videret interpolator, eapropter post vocem βαπτίζειν addidit οὔτε προσφέρειν οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, quod

quod utique perperam factum, Epistolisque interpolatis non addenda erant, quæ in textu ac veteri versione desunt, quippe quæ sola habet verba: οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν, eaque transtulit: neque agapen facere. Nunquam enim textui Autoris inserenda sunt, quæ ab alia manu scholioque ad marginem scripto aut παραφράσει proficiscuntur, probabileque omnino est, istum de quo loquimur, προσφορᾶς ritum tempore Ignatii in Ecclesiam Antiochenam, cujus Præsul ille erat, nondum introductum fuisse. Nec in §. VII. præcedente, ubi itidem de eucharistia agitur*, de oblatione quicquam exstat, quinimo Eucharistia ibi vocatur δωρεὰ τοῦ Θεοῦ. At præsentia realis ibi defenditur verbis clarissimis contra hæreticos, de quibus Ignatius: *Ab eucharistia & oratione recedunt, propter non confiteri eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam, quam benignitate Pater resuscitavit. Contradicentes ergo huic dono Dei, perscrutantes moriuntur.* Tanto autem zelo contra hos insurgit sanctissimus Ignatius, ut in proxime sequentibus eorum communionem penitus fugiendam atque evitandam doceat. Miror, Edmundum Albertinum, Virum doctissimum, hanc Ignatio sententiam tribuere, quòd Eucharistiam carnem Christi *figuratè* saltem esse statuat, contra eos hæreticos, qui veritatem carnis Christi penitus negantes, negaverint quoque Eucharistiam carnis Christi figuram esse, quia figura rei figuratæ supponat veritatem. Ita enim existimo,



*In Textu & versione veteri: Nova autem Textus interpolati VersioCoteleriana prorsus diversum rursus sistit hunc paragraphum, verbaq; de præsentia reali, quæ allegamus, plane non habet.

mo, Veterum effata ad noſtras, quas de Religione fovemus, opiniones haud detorquenda eſſe, ſed ingenuè fatendum, eos à nobis diſſentire, ſi contextus verbaque adſint perſpicua, queis nihil niſi contortum opponi poſſit. Aſt alia ratione nodum hunc ſolvere poterat Albertinus, ſi ſtatuiſſet, breviores illas Ignatii Epiſtolas e Codice Medicæo extractas non genuinas eſſe, ſed potius ampliores illas, quæ hactenus pro interpolatis habitæ fuerint. Stat hæc Clariſſ. Whiſtono ſententia, qui ut opinionem novam ſtabiliat, iſto quoque ex verbis Ignatii, quæ damus, petito argumento utitur: ea quæ hîc dicat Ignatius, ævo, quo vixerit, non congruere. Tùm enim hæreticos ad Euchariſtiam admiſſos non fuiſſe. Sed nec hoc dicit nec ſupponit Ignatius, nec ſi ſupponeret, diceret id, quod ævo ſuo haud congrueret. Hæretici enim nondum declarati nec manifeſtati, in Eccleſiæ communione adhuc vivebant, & ea propter deliteſcebant intra ejus pomœria, alios ut ſeducerent. Ita tempore Pauli in communione Eccleſiæ Corinthiacæ vivebant, qui reſurrectionem negabant. 1.Cor. XV. 12. 2. Tim. II. 17. 18. In Eccleſia Galatica erant, qui legem Judæorum Cærimonialem ſervandam à Chriſtianis eſſe dicebant. Gal. I. ſeqq. Adde Act. XX. 29. 1.Cor. XI. 19. Phil. III. 2. Col. II. 20. ſeqq. 2. Theſſ. II. 1. ſeqq. 1. Tim. I. 4. VI. 3. ſeqq. 2. Tim. I. 15. III. 6. ſeqq. IV. 15. Tit. I. 14. III. 9. 2. Petr. II. 1. ſeqq. 1. Joh. II. 18. 19. IV. 1. 2. 3. Hebr. X. 25. Jud. comm. 4. Quinimo ſtatuit Henr. Dodwellus, Seculo I. nullum fuiſſe factum ſchiſma, ſed hæreticos demum Seculo II. ab Eccleſia abſceſſiſſe, hactenus ſcilicet in ea toleratos. Docentque ſequiora etiam tempora, hæreticos ortho-

doxis

doxis permixtos eandem tenuisse communionem. Ipse enim Leo M. memorat, Manichæos suo tempore Eucharistiam in Ecclesia accepisse, at Sanguinem Dominicum detrectasse. Serm. IV. de Quadrag. Cap. V. Jam nemo negaverit, hæreticos nondum manifestatos tempore Leonis quoque in Ecclesia toleratos fuisse. At ludibrium deberet eruditis, qui diceret, locum hunc è scriptis Leonis eapropter expungendum esse. Sed sufficiat nobis, Ignatium ea non dicere, quæ Whistonus ipsi attribuit. Id enim voluit dicere Vir sanctus, esse hæreticos, qui planè nullam celebrent Eucharistiam, precibusque istis abstineant, quibus Sacramentum Corporis Dominici conficiatur, quia negent & comprehendere nequeant, Eucharistiam carnem Salvatoris esse. Hæc si dicit Ignatius, non sanè innuit, hæreticos hos in communione Ecclesiæ vixisse. Quinam autem hi veteres fuerint hæretici, non liquet. Cæterum & in hoc Whistonus errat, cùm dicit, verba Ignatii Transsubstantiationem sapere, cùm præsentiam tantùm realem insinuent, probè à Transsubstantiatione distinguendam. Conf. Diss. Whistoni citatam p. 18. 19. Scilicet semel animo conceperat doctissimus Whistonus, Epistolas Ignatii interpolatas in locum genuinarum substituere, πρὸς τὸ τῇ ὑποθέσει δουλεύειν. Hinc quamvis arripit occasionem, ut veritatem sententiæ suæ ostendat, dictaque etiam verba sollicitat. Video tamen, quid pro oblatione eucharistiæ ex Ignatio adduci possit. Locum hunc aliter paulo citat Theodoretus Dial. III. ubi: εὐχαριστίας καὶ προσφορᾶς οὐκ ἀποδέχονται, pro εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται. Sed perspicuum est,

perversè hæc citasse Theodoretum, etsi ea in notis approbet Cotelerius; posterior enim lectio convenit magis, quam prior, cum comprehendi non possit, oblationes & eucharistias hæreticis olim *factas & ab illis* non acceptas fuisse. Restat unicus de eucharistia locus ex Ignatio producendus, qui in Epistola ad Philadelphenos exstat. Ibi enim §. 4. *Studete igitur una gratiarum actione uti: Una enim caro Domini nostri Jesu Christi*, & *unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare ut unus Episcopus.* Non opus est, ut hæc verba prolixius illustremus, quæ sua luce radiant. Id unum est, quod dicimus, eandem ἕνωσιν hîc defendere Ignatium, quam ab Irenæo alibi jam statutam diximus, & quam S. Paulus nomine κοινωνίας exprimit 1. Cor. X. 16. ἕνωσιν scilicet inter vinum & sanguinem Christi, *unionem* illam mysticam sed realem, quam Deus, interveniente prece nostra, juxta promissionem suam verbo sive virtute sua omnipotente operatur. Ea itaque Ecclesiæ Evangelicæ sententia, qua in Sacramento elementa externa cum corpore & sanguine Christi *uniri* creduntur, ex antiquissima veteris Ecclesiæ fide derivata est, cujus interpretes allegamus gravissimos Patres, Ignatium & Irenæum. Ast cur θυσιαστήριον hîc addit Ignatius? θυσιαστήριον quippe θυσίαν sive sacrificium supponit, à quo nomen trahit. Ad hanc objectionem suprà jam §. 10. aliquid reposuimus, cùm Hebr. XIII. 10. explicaremus. Vocis autem huius impropriam significationem Ignatio familiarem esse ex alio patebit loco. Ita enim ille in Epistola ad Tarsenses §. 9. Τιμᾶτε τὰς ἐν σεμνότητι χήρας ὡς θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ. Hîc viduæ

altare

altare Dei nuncupantur. Dixeris forſan, hæc ex ſpuria Epiſtola petita eſſe. Aſt cur hæc Epiſtola hactenus pro ſpuria habita fuerit, nondum ſatis perſpectum habeo, ſunt enim rationes plurimæ, quæ genuinam eſſe perſuadeant. Stylus profecto Ignatii eſt, & quod addendum, Polycarpus, ut Ignatium imitaretur, in Epiſt. ad Philippenſes viduas itidem θυσιαστήρια Θεῦ appellitavit §. 4. Nec tamen opus eſt, ut loco huic ex literis ad Tarſenſes petito ſoli inhæreamus. Exſtat alius in Epiſt. ad Trallianos §. 7. *Qui intra altare eſt conſtitutus, mundus eſt: qui vero extra altare eſt conſtitutus, ipſe extra Epiſcopum eſt & Presbyteros & Diaconos aliquid agens: qui talis fuerit, pollutus eſt conſcientia & eſt deterior infideli.* Eadem ferè dicuntur in litteris ad Epheſios, ubi §. 5. *niſi quis intra altare ſit, privatur pane Dei.* Ex his verbis patet, Ignatium per θυσιαστήριον intelligere Eccleſiam vel perſonas regimini ejus præfectas. De proprio enim altari iſta nequeunt explicari, intra cujus limites populus olim non fuit admiſſus, nec ſi admiſſus fuiſſet, καθαρότητα iſtam, de qua loquitur Ignatius, eo ipſo actu externo fuiſſet nactus. Nec inſueta eſt apud Patres hæc θυσιαστηρίου nomenclatio, cùm Eccleſiam denotat. Ita enim Clemens Alex. Strom. L. VII. fol. 715. *Eſt igitur altare illud, quod & hic apud nos eſt in terris, eorum qui precibus incumbunt, cœtus unam quaſi vocem communem habens & mentem unam.* Scilicet Eccleſia eſt illud θυσιαστήριον ἔμψυχον, quod Jo. Chryſoſtomus Hom. XIII. in Joh. fol. 607. vocat, & in quo offerri ait εὐχαριστίαν καὶ αἶνον Θεῷ καὶ συνεχεῖς εὐχάς. Non tamen id negatum volumus,

Igna-

Ignatium alibi per θυσιαστήριον intellectam vell τὴν τράπεζαν τὴν ἁγίαν. Ita enim §. 7. Epist. ad Magnesianos: *omnes velut unus in templum Dei concurrite, velut ad unum Jesum Christum, summum sacerdotem Dei ingeniti*, quæ tamen ipsa quoque valdè metaphoram sapiunt. Unde nimium ista urgere videtur Reverendus Hickesius in Christiano Sacerdotio asserto C. II. §. VIII. p. 77. 78. Cæterùm quod Whistonus ait, Epistolam ad Philadelphenos breviorem, ex qua verba Ignatii jam explicata allegavimus, spuriam esse, id haud firmis rationibus nititur, quemadmodum alibi forsan latius demonstrabimus. Conf. Whistoni Dissertat. Angl. de Epistolis Ignatii §. 7. p. 78. sqq. Patet itaque ex his, quæ diximus, Ignatium de oblatione aut sacrificio Missæ nihil scripsisse, iis etiam in locis, ubi data opera de eucharistia agit, & ubi sine dubio de προσφορᾷ aliquid dixisset, si hic ritus suo tempore in Ecclesiis Græcis aut Asiaticis utique obtinuisset.

## §. XXVII.

Ab Ignatio pergamus ad Justinum Martyrem, qui oblationem veteris Ecclesiæ luculenter clarissimeque descriptam dat. Egregius est locus, qui in Apol. II. p. 97. exstat: *Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini. Quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus S. offert, & eucharistiam s. gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exsequitur.* Urget hæc verba clarissimus Hickesius oblationemque

que euchariſtiæ ex iis probare ſatagit*. Licet autem exiſtimemus, hanc Juſtinum Martyrem ſtatuiſſe, prout nempe conſecrationem præcedit, inque ſola donorum, non corporis Chriſti, obiatione conſiſtit arbitramur tamen, ex hiſce verbis nihil confici poſſe. Illa enim, quæ hic memoratur, προσφορὰ laicorum eſt, Epiſcopo non Deo facta, nudamque panis vinique aqua mixti impoſitionem in altari ſignificat. Cum autem vocem ποιεῖτε per offerre explicat Hickeſius, nulla urgente ratione propriam illius ſignificationem deſerit atque ad impropriam deſcendit, nec tamen cauſſæ ſuæ heic invenit argumentum. Id enim quod hîc ποιεῖσθαι dicitur, eſt εὐχαριστία gratiarum actio, ipſo ita vertente Hickeſio *a very large thanksgiving.* Addit Vir doctus alium locum ex Dialogo cum Tryphone * petitum: *Sane quidem ſimila oblatio quoque pro eis, qui à lepra purgabantur, ut offerretur tradita, figura fuit panis eucharistici, quem in recordationem Paſſionis, quam pro his ſuſtinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur pravitate, Jeſus Chriſtus Dominus noſter ποιεῖν, facere præcepit.* Heic, ut verum fateamur, omninò ποιεῖν per *offerre* verti poteſt. At vel ſola laicorum oblatio, vel quod utique concedimus, oblatio Sacerdotum conſecrationem præcedens hîc innuitur. Tertius, quem producit Hickeſius, locus itidem ex Dial. cum Tryphone ** deſumtus eſt, & argumentum noſtrum egregie illuſtrat: *Supplicationes ſimul & gratiarum actiones, quæ à dignis*

* In Chriſtiano Sacerdotio aſſerto C. II. §. VII. p. 63. 64. §. X. p. 101. 102.
** P. 259.

*dignis peraguntur, solas perfectas esse & Deo caras victimas, ipse quoque affirmaverim; Has verò solas facere Christiani didicerunt, in ipsius etiam alimonia sua recordatione, aridæ juxta & liquidæ, in qua & passionis, quam pertulit per ipsum Deus Deum, meminit.* Ex his verbis sufficiat duas hasce propositiones formâsse. I. Oblationem eucharistiæ non esse propriam aut perfectam, cum solæ preces hoc nomen mereantur. II. eandem à Domino & Apostolis non mandatam aut injunctam esse. Unde miror oppidò, Reverendum Hickesium hunc locum produxisse, qui totam ipsius sententiam uno ictu destruere videtur. Cæterùm duas noster oblationes ex Justini M. verbis eruit, unam ante consecrationem, alteram in consecratione, ubi ait: *Elementa offerri tanquam mysticum corpus & sanguinem Christi, additis precibus, ut Deus Pater gratiose ea accipere dignetur* *. Probat autem hoc ex iis, quæ sequuntur locum ab initio §. hujus à nobis allegatum: *Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat, dicens: Amen. Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat.* Heic ait, secundam illam corporis Christi mystici oblationem ex voce εὐχὰς colligi posse. At verò cùm hæ εὐχαὶ à Justino nostro non exprimantur, argumentum hoc sua mole cadit. Allegat quidem Hickesius Constit. Ap. & Cyrilli Hierosl. Catech. Myst. de quibus dicemus postea. At ponamus, secundam quandam oblationem ex his derivari posse; quis quæso probabit, eandem Justino M. stetisse sententiam? Prout enim jam dudum diximus, ritus

* p. 345.
* L. c. p. 118. 119

ritus hi, qui oblationem panis vinique concernunt, in diverſis Eccleſiis poterant eſſe diverſiſſimi. Alia tamen adhuc Juſtini loca ſunt, in quibus ſuam de oblatione Euchariſtiæ ſententiam penitius explicat. Primus exſtat Apol. II. * *Atque Atheos quidem & ſine Deo, impiosque nos non eſſe, qui conditorem hujus mundi colimus, minime illum ſanguine & libationibus incenſis (quemadmodum eruditi ſumus) indigere aſſeverantes, & precationis gratiarumque actionis ratione in oblationibus, quas offerimus omnibus, quantum facultatis noſtræ eſt, laudamus, ſolumque hunc honorem illo dignum eſſe, perſuaſum habemus, ut quæ ab illo ad alimentum ſunt creata, non igne conſumamus, ſed nobis ipſis & indigentibus præbentes offeramus, gratosque nos illi exhibentes, rationales pompas & hymnos celebremus atque decantemus: & qui de creatione, qua nos condidit, de rerum omnium ad valetudinem firmam ubere proventu, de varietate omnis generis geniminum ac convenienti temporum viciſſitudine, de vita etiam poſtliminio extra corruptionem omnem nobis reditura propter eam quæ nobis in illum eſt, fidem & perſuaſionem, vota & preces profundimus; quis ſanus non fatebitur?* Docent hæc ſanctiſſimi Patris verba, & nosmetipſos Deo precibusque noſtris dona ab eo accepta offerre, licet Deus noſtris ſacrificiis aut libaminibus aut incenſis opus non habeat, & ea, quæ ad nutrimentum noſtrum creata ſint, nobis offerri, illisque, qui eis opus habent. Oblationem autem noſtram per εὐχὴν & εὐχαριςίαν explicat, & hâc ratione rurſus oſtendit, impropriam

* P. 60. Notandum, veterem nos editionem citare.

priam eam esse nec ad indolem sacrificiorum veteris Testamenti comparatam. Explicantur hæc f. 98. ubi: *Atque in omnibus, quas offerimus, oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum S.* Et post pauca: *Sub hæc consurgimus omnes communiter & precationes profundimus, & sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur & vinum & aqua:* ubi sanè per τὸ προσφέρειν nihil intelligitur aliud, quam dona consecranda ad altare deferre, illique imponere. Iste tamen locus, cujus verba supra adducere cœpimus, ex Dialogo cum Tryphonem petitus totam rem conficit. Postquam enim Justinus dixisset, panem eucharisticum typum esse similæ in vet. Test. oblatæ, esseque offerendum juxta mandatum Christi, (id quod tamen, uti observavimus, negat alibi) ita pergit: *ut gratias ageremus Deo, cum pro eo, quod mundum cum universis, quas complectitur, rebus hominis gratia crearit, tum ob id etiam, quod ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit, ac principatus potestatesque perfecta occiderit occidione per eum, qui de consilio & voluntate ejus factus est patibilis. Proinde de sacrificiis à nobis tum oblatis Deus, sicuti supra dixi, per Malachiam, unum ex duodecim, ait: Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus; & sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris: Propterea quod ab ortu Solis ad occasum usque nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo & victima pura, quoniam magnum est nomen meum in gentibus; dicit Dominus: Vos autem profanatis illud. De nostris vero gentium quæ*

*in*

*in omni loco* offeruntur, ſacrificiis, *hoc eſt*, pane euchariſtiæ & poculo *ſimiliter* euchariſtiæ; *jam tùm loquutus prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* Statuit itaque Juſtinus oblationem externam viſibilemque panis & *κράματος* euchariſtici, qua dona hæc Deo offerantur, adjuncta gratiarum actione & prece, conſecrenturque, ut fiant novi Teſtamenti oblatio & ſacramentum. In ſequentibus * dictum Malachiæ itidem explicat de δώροις & προσφοραῖς Chriſtianorum, & rurſus ** addit: *Nos verè ſacerdotale genus Dei ſumus, prout & ipſe Deus teſtatur, perhibens, nos quovis in loco in nationibus victimas ſibi placitas & mundas offerre. A nemine ſane Deus hoſtias accipit, niſi à ſacerdotibus ſuis. Univerſos igitur, qui per nomen iſtius ſacrificia offerunt, quæ Jeſus Chriſtus fieri tradidit, hoc eſt, in euchariſtia panis & calicis, quæ in loco omni à Chriſtianis fiunt, prævertens Deus, gratos ſibi eſſe teſtificatur.* Hîc iterum oblationem, imò θυσίαν memorat Juſtinus, Dominique allegat traditionem, ita tamen, ut in ſequentibus *** ſacrificia ſanguinis & libaminum, quæ ſuper altari offeruntur, denuo ab ἀληθινοῖς καὶ πνευματικοῖς αἴνοις καὶ εὐχαριστίαις diſtinguat. Atque hæc omnia ſatis, ut arbitror, oſtendunt, quænam Juſtini Martyris de oblatione euchariſtiæ fuerit ſententia. Ita nempe ſecum ſtatuit Vir ſanctus, nulla eſſe in novo Teſtamento ſacrificia quàm laudes, gratiarum actiones & preces. Si quid tamen ſit, quod cum oblationibus veteris Teſtamenti hîc conferri queat, eſſe panem vinumque euchariſtiæ, quæ altari ſeu menſæ ſacræ impoſita

X

* P. 46. ** P. 344. *** P. 346.

posita precibusque juxta mandatum Christi Deo oblata in sacramentum corporis sanguinisque Dominici consecrentur. Cæterum Justini M. sententiam de eucharistia latius enarrare pergemus in Dissertatione *de Consecratione Eucharistiæ apud Veteres.* Irenæi autem de oblatione sententiam hîc repetere nolumus, cùm ea à nobis alibi in notis ad istius fragmentum, quod dedimus, secundum satis fuerit explicata. Idem scilicet cum Justino Martyre sensit, donorumque nondum consecratorum oblationem precibus atque gratiarum actione confectam fuisse suo tempore edisseruit; quæ omnia ita comparata sunt, ut sacrificium Missæ nulla ratione ex hisce Patrum dictis queat extrahi.

## §. XXVIII.

Irenæum excipiat Athenagoras, Philosophus olim Atheniensis, post Christianorum Apologeta, qui in πρεσβεία περὶ χριστιανῶν f. 13. hæc habet: *Opifex ille & Pater universorum, non sanguine eget, non nidore, non floribus & suffimentis fragrantibus, quum ipse sit odor longe suavissimus, nulla re indigens, nec quicquam extra se desiderans. Imo maximum hoc sacrificium ducit, si cognoscamus, quis ille sit tantus, qui cælos extendit & conglobavit, qui terram centri instar constabilivit, qui aquas in mare derivatas congessit. . . . Hæc quum cogitamus, & animo tenentes DeumCreatorem, conservantem & gubernantem arte ac scientia res universas, manus ad eum puras attollimus, quo magnificentiore sacrificio indiget? . . . .*

*Sed*

*Sed quid ego ſacrificia & holocauſta curem, quibus non opus habet Deus? Depoſcit ille ſibi victimam incruentam & animam rationis compotem offerri ac miniſtrari.* Hæc Athenagoræ mentem ita explicant, ut luculenter pateat, ipſum nullum externum ac viſibile, ſed internum ſaltem ac inviſibile ſacrificium intelligere, admirationem nempe magnorum Dei operum ac preces, quæ incruenta hoſtia & rationalis cultus appellantur. Comitem Athenagoræ adjungimus Cornelium Epiſcopum Romanum, qui in Epiſtola ad Fabium, Epiſcopum Antiochenum de Novatiano ita: *Faciens enim oblationes, atque diſtribuens ſingulis partem eandemque tradens, homines miſellos, qui gratias agere debebant, jurare potius cogit.* Conf. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. L. VI. C. 43. At nec hæc probant niſi ſolam donorum conſecrandorum oblationem à Veteribus factam fuiſſe, rectiſſimèque omninò hoc cum loco aliud Chryſoſtomi dictum combinavit Clariſſimus Hickeſius *, ubi ex ritibus Judaicis cærimoniæ, ad quas oblatio præcipuè pertinet, derivantur. Ita enim Chryſoſtomus in Matth. XXVI. Hom. 83. *Atque iterum mortis edisſerit cauſam: qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Sic & dicit: Hoc facite in memoriam mei. Vides hic, qua ratione abducat à ritibus Judaicis atque ipſe diſcedat. Quemadmodum enim, inquit, illud in recordationem miraculorum olim in Ægypto patratorum feciſtis, ita nunc hoc facietis in mei memoriam. Ille ſanguis effuſus eſt in ſalutem primogenitorum: hic vero meus in remiſſionem peccatorum orbis univerſi.* Liquet ex his Chryſoſtomi verbis, veteres quoque Patres ritus eucha-

 riſtiæ

* L. c. C. II. §. VII. p. 64. 65.

ristiæ ad cultum Judæorum cærimonialem exegisse. Quod si & nos faciamus, planissimum hoc de oblatione argumentum erit, ut suprà jam monstravimus.

## §. XXIX.

Pergimus ad Clementem Alexandrinum, cujus perspicua de sacrificiis Novi Testamenti est sententia. Ita autem ille L. I. Strom. f.192. *Quomodo igitur sacrificabo Domino? Sacrificium, inquit, Domino Spiritus contritus. . . . Odor fragrantiæ Deo cor, ipsum ut creatorem suum quod celebrat. Hæ sunt coronæ & sacrificia & aromata & flores Dei*: quæ ferè repetuntur L. V. p. 441. Pergit L. II. p. 288. sententiam suam edisserere: *Sacrificia enim improborum Deo sunt abominationi. . . solve impietatis vinculum omne, hoc enim est sacrificium Deo gratum, cor contritum & quærens conditorem suum.* Addit L. VII. p. 508. *Has, inquam, virtutes sacrificium esse Deo acceptum . . . Annon jure sacrificamus Deo, nullius rei qui indiget, ac omnia omnibus exhibet. Eum vero, qui pro nobis est oblatus, celebramus, nos ipsos ei sacrificantes. . . . Merito itaque ei qui non vincitur voluptatibus, Sacrificium non offerimus.* Subjungit p. 515. sequentia: *Quanquam, si absque necessitate Deus illis nutritur, quid opus porro habebit cibo is, qui nullius rei indiget? Si vero gaudet honore, natura rerum quarumvis penuria haud laborans, sane non immerito precibus Deum veneramur; atque hoc sacrificium ut optimum sanctissimumque cum justitia ei dicamus. . . . Apud nos quidem terrestre heic altare est eorum, qui precibus vacant, cœtus, qui tanquam vocem*

*vocem unam & comunem habet ac sententiam unam,* quæ omnia ſacrificiis Ethnicorum opponuntur. Ibidem ita idem: *Eccleſiæ enim ſacrificium eſt oratio, à ſanctis animabus incenſa ut odor bonus, ubi Deo una cum ſacrificio Mens quoque tota patet retectat.* Pagina ſequente eadem repetita videas: *Quamobrem par eſt ſacrificia Deo offerre, non ea quidem pretioſa, ſed Deo grata, atque ſuffimentum illud compoſitum, quod in lege præcipitur, quod videlicet multis ex linguis ac ſonis collectum precibus una excubat.... Quod & in agendis laudibus conjungitur puro quidem animo, ſed & juſta rectaque converſatione in ſanctis operibus juſtisque precibus.* Confirmantur hæc p. 523. *Sacrificia quidem ipſi grata, ſunt preces laudesque ac orationes Scripturæ ante cibum capiendum prolatæ, Pſalmi autem atque hymni poſt convivium cantati ac ante quietem, ſed & nocte preces repetitæ*, quæ omnia de Gnoſtico ita effert Clemens noſter, addens ἄλλην θυσίαν eſſe τὴν κατὰ τὰς δεομένας ἐπίδοσιν καὶ δογμάτων καὶ χρημάτων. Videtur tamen de oblatione Euchariſtiæ aliquid dici L. 1. Strom. p. 232. ubi: *Panem & aquam, haud in ullis aliis, præterquam pane & aqua; prout oblatio quarundam eſt hæreſium, quæ illa non uſurpant ſecundum Canonem Eccleſiæ, Scriptura dilucide ſic ordinante: ſunt enim, qui nudam aquam adminiſtrant.* Et L. IV. p. 392. hæc leguntur: *Melchiſedech Rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui panem ac vinum dedit cibum ſanctificatum in typum Euchariſtiæ.* Ex priore loco conjeceris, oblationem panis & vini in Euchariſtia Clementi haud fuiſſe incognitam, quam tamen, ut ex prioribus patet, pro vero Novi Teſtamenti ſacrificio non habuerit; ex poſteriore, non cre-

credidisse Clementem, quòd Melchisedechus panem & vinum Deo obtulerit, sed statuisse potius, eum dona ista dedisse tanquàm τροφὴν Abrahamo, quæ utique nostra est sententia. Atque hæc de Clemente Alexandrino sufficiant, qui non agnovit nisi spiritualia Novi Testamenti sacrificia, eaque in sensus haud incurrentia sive visibilia, pœnitentiam, preces, virtutes, laudes, hymnos, eleemosynas, cultumque animi internum. Altare verò, in quo sacrificia hæc perficiuntur, Ecclesiam esse dicit, id quod suprà jam observavimus.

## §. XXX.

Sententiam Origenis de oblatione paucis delibemus. Ita autem ille Homil. VII. in Levit. *Videamus, quomodo id vero Pontifici Jesu Christo Domino nostro & sacerdotibus ejus ac filiis, nostris verò Apostolis possimus aptare . . . Quærimus ergo, quomodo Dominus & Salvator noster, qui est verus Pontifex, cum Discipulis suis, qui sunt veri Sacerdotes, antequam accedebat ad altare Dei, bibebat vinum; cùm verò accedere cœperat, non bibebat? Venerat in hunc mundum Salvator, ut pro peccatis nostris carnem suam offerret hostiam Deo. Hanc priusquàm offerret, inter dispensationum moras vinum bibebat, denique dicebatur homo vorax & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum. Ubi verò tempus advenit crucis suæ,* accipiens, *inquit,* calicem, benedixit & dedit Discipulis suis, dicens: accipite & bibite ex hoc. Vos, *inquit:* bibite, *quia non accessuri estis ad altare. Ipse autem tanquàm accessurus ad altare dicit de se:* Amen dico vobis, quod non bibam de

de generatione vitis hujus, usquequò bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei. „ Hæc verba latius explicare nostri non est instituti ; id unicum, quod hùc pertinet, observamus, Origenem nullam hîc aliam oblationem statuere quàm oblationem Corporis Christi in cruce factam, atque hoc ita eloqui, ut Eucharistiam oblationem haud appellet, cui quippe oblationem in altari crucis factam contradistinguit. Alibi spiritualia Novi Testamenti sacrificia perspicuis admodum verbis memorat. *Unum Deum nec non unum ejus filium ac verbum & imaginem, effusis pro viribus nostris precibus atque honoribus colimus, afferentes Deo omnium preces per unigenitum ipsius filium, cui eas primum offerimus, utpote censentes, eum tanquam propitiationem pro peccatis nostris, ut sacerdotem summum nostras & preces & sacrificia & intercessiones, qui super omnia est, Deo offerre.* L. VIII. cont. Cels. p. 386. & 389. addit : *Postea autem Celsus affirmat, quod altaria & imagines & templa collocare vitemus, quia certum nobis de obscuro tacitoque comercio pactum esse putat, haud perspiciens, esse nobis omninò altaria eaque singurum justorum præcipuum, quippe ex quo vere atque intelligenter suaveolentiæ emittantnr suffimenta, precesque ex pura conscientia prodeuntes. Quare ad Johannem in Apocalypsi dicit : Suffitus autem sunt preces sanctorum. Et apud Psalter : sint preces meæ tanquam suffitus coram te.* Nullum igitur nisi spirituale altare, nullum nisi spirituale sacrificium agnoscit Origenes. Si enim oblationem Novi Testamenti novam externamque ac altare propriè sic dictum is statuisset, utique hæc reposuisset Celso. Est tamen locus, qui ad oblationem Eucharistiæ designan-

signandam trahi queat: *Nos verò Conditori omnium probati etiam panes præviagratiarum actione & precibus iis, quibus fuerunt dati, oblatos edimus, quippe qui precibus redditi sunt sanctum quoddam corpus, quod & sanctos facit eos, qui sano quidem proposito illo fruuntur.* Hîc Bellarminus *oblatos*, Albertinus *appositos* dicit panes, προσαγομένους Græcè dicitur. Posterius quivis Græce gnarus haud malè versum esse concedet. Ast demus prius tantisper, dicamusque oblatos panes. Hoc quippe nostræ haud nocet sententiæ. Cuinam enim oblati fuerint, Origenes non addit, quod addere utique debuisset, si oblationem eucharistiæ docere hîc voluisset. Nos tamen arbitramur, panes iis oblatos fuisse, quibus fuerunt dati, & qui iis fruuntur; exstat enim in Græco ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι. Nonnemo voce προθέσεως oblationem eucharistiæ putat innui. Ast hoc oppido est ridiculum, cum *sanum propositum* hîc innuat Origenes, rectè ita vertentibus Sigismundo Gelenio & Guilielmo Spencero. Cæterum oblationem primitiarum memorare Origenem in notis ad Iren. Fragm. p. 46. jam annotavimus. Hæc enim sunt ipsius verba, textum, quem modo dedimus, pone insequentia: *Sed & primitias Celsus quidem dæmoniis proponere vult, nos autem ei, qui dixit: Producat terra germen herbæ &c. cui vero primitias reddimus, eidem & preces tribuimus.* p. 399. 400. Mirum est, eum, qui oblationem donorum eucharisticorum non statuit, oblationem primitiarum statuere. Ast ex hoc cognoscitur, quænam primitivæ Ecclesiæ fuerit indoles. Ritus quippe erant diversi, & varii diversis in Ecclesiis recepti, qui unitatem fidei non scindebant, utpote in nume-

numerum articulorum fidei nondum immiſſi. Hæc verò noſtrorum temporum eſt infelicitas, ut ad eosdem ritus eaſdemque cærimonias ſub *anathematis* fulmine redigendi exiſtimentur diſſentientes. Sed pergamus in inſtituto noſtro, & quæ reſtant dicenda, breviori ſtylo ſubſtringamus.

## §. XXXI.

Ad Conſtitutiones Apoſtolicas nunc noſtra ſe vertit Diſſertatio, quæ, etſi in eam qua nunc conſpiciuntur formam tempore demum Epiphanii redactæ fuerint, antiquiſſimas tamen & venerandas primitivæ Eccleſiæ διατάξεις continent, eamque ſpirant majeſtatem, quæ primis omnino ſæculis convenit. Etenim ex antiquiſſimorum Eccleſiæ Chriſtianæ Doctorum ſcriptis eas collectas eſſe nulli dubitamus, Eccleſiamque Græcam atque Æthiopicam maximè habemus conſentientes, in quibus magnum huic libro pretium fuiſſe poſitum omnes nôrunt *, ii maximè, quibus noviſſimæ Anglorum controverſiæ à Viro clariſſimo Guil. Whiſtono motæ haud planè ſunt incognitæ. Provocant ad has conſtitutiones tum ii, qui ſacrificium Miſſæ, quod in Eccleſia Romana obtinet, tùm alii quoque, qui oblationem panis & vini ſaltem ex ſcriptis veterum probare ſatagunt. ** Ut autem ordine procedamus, ſequamur filum do-



* Vide *Altchriſtliche Gedancken.* Prop. III. Qu. II. §. 30. ſqq. p. 160. ſqq.

** Conferri hîc poſſunt, quæ habent notæ noſtræ in S. Irenæi Fragmenta Anecdota p. 81. ſqq. Cæterum multa hoc de argumento egregia dixit Clariſs. Whiſtonus in Vol. III. Primit. Chriſtianiſmi reviv. cui titulus: *An*

ctissimi Zephyrini. Is primum allegat locum L. II. C. XXVII. exstantem, quem & una cum aliis in notis ad Irenæum p. 44. produximus, cum de primitiarum oblatione ageremus. Sic vero ille habet: *Debetis ergo, fratres, sacrificia vestra & oblationes Episcopo velut Pontifici, vel per vos ipsi, vel per Diaconos offerre. Quin etiam primitias quoque & decimas & spontanea dona ei offerte.* Ast ex hoc loco id saltem patet, dona consecranda Episcopo oblata fuisse in primitiva Ecclesia, atque eapropter, quia à laicis hunc in finem ipsi oblata erant, προσφορὰς & θυσίας fuisse nuncupatas. Quod quemadmodum nemo hactenus negavit, nisi antiquitatum sacrarum planè ignarus, ita non video, quâ ratione ex his sacrificium Missæ deduci queat. Tria enim sunt probe distinguenda, & quæ distinguere haud satis Zephyrinum nostrum probè animadvertimus, oblationem donorum Episcopo factam, oblationem eorundem à Sacerdote consecrante ante consecrationem factam, oblationem denique corporis & sanguinis Christi propitiatoriam post consecrationem peractam. Postremam veteri Ecclesiæ incognitam fuisse omnino arbitramur, priores autem ex Constitutionibus Apostolicis probari posse dudum credidimus. Cæterum ritum in Constit. Apost. l. c. præscriptum ne Ecclesia quidem Romana tenet amplius (quod velim utique, probè ut notet Zephyrinus) quippe quæ nec dona eucharistica, nec primitias aut decimas ad Episcopum

*essai on the Apostolical Constitutions, wherein is proved, that they are the most sacred of the Canonical books of the New Testament.* Sed, dum Librum Canonicum Novi Testamenti præcipuum Constitutiones has esse dicit, limites veritatis utique excedit.

pum præferri jubet, eo fine, ut prece ipsius sanctificentur. Secundus, quem producit, locus altioris est indaginis. Ita autem ille habet in L. II. C. LVII. *Diaconi post orationem, alii quidem oblationi eucharistiæ vacent, corpori Domini cum timore ministrantes, alii turbam circumspectent, eique silentia faciant. Qui autem Pontifici assistit, Diaconus plebi dicat: ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi . . . . . Post illa sacrificium fiat, stante omni populo, & tacite precante: cumque oblatum fuerit, unusquisque ordo seorsum, Dominicum corpus* & *pretiosum sanguinem sumat, accedentes ordinate, ac cum reverentia & timore, utpote ad corpus Regis.* Verba hæc non urget satis Vir doctissimus noster Zephyrinus. Ait enim, Protestantes de sola synaxi seu communione ea intelligere, at innui hîc προσφορὰν propriè sic dictam. Sed res est in vado. Neque enim, uti jam diximus, id negamus, veteres Christianos dona consecranda panem & vinum Deo Optimo Maximo precibus olim in altari obtulisse, etsi & hic ritus in primis sæculis ubique receptus haud fuerit. At quid hoc ad sacrificium Missaticum, in quo corpus & sanguis Christi offeruntur? Nec enim in Constitutionibus Apostolicis ullibi dicitur, hæc oblata olim fuisse. Porrò quando de propria vocis προσφορᾶς vel θυσίας significatione disputatur, res ad meram redit λογομαχίαν. Id quod nullo negotio demonstrabimus. Aut enim oblatio proprie sic dicta est externa illa actio, quâ creaturas à Deo nobis datas ei rursus prece nostra offerimus, earundem proprietate nos abdicantes, easque Deo consecrantes eo fine, ut iis dignetur benedicere,

cere noſtrumque in uſum eas ſanctificare; aut oblatio erit ritus, legi cærimoniali veteris Teſtamenti reſpondens, quo oblata in altari incenduntur, victimæque occiſæ comburuntur. Si poſteriorem ritum oblationem proprie dictam ſaltem nuncupaveris, utique oblatio euchariſtiæ apud Veteres uſitata nec ab ipſo Zephyrino oblatio propriè ſic dicta appellabitur, nec ab omnibus iis, qui Tridentini Concilii placita defendunt; ſi verò priori modo προσφορὰν dixeris, & nos habebis conſentientes. De verbis enim non litigamus, turpeque eſt, in rebus divinis ſibi umbras formare, contra quas Andabatarum more diſputetur. Id unum reſtat adjiciendum, θυσίαν & προσφορὰν utique in Conſtit. Apoſtol. aliiſque veterum libris, improprio quoque ſenſu dici. Ita enim & vocabantur dona, quæ deferebantur ad Epiſcopum, nondum altari impoſita, quod tùm ex innumeris locis, tùm ex eo quem primum adduximus, apparet. Ita enim in Conſt. Apoſt. L. II. C. XXVII. προσήκει οὖν καὶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, τὰς θυσίας ὑμῶν ἤτοι προσφορὰς τῷ ἐπισκόπῳ προσφέρειν. Aſt cum difficultatem præcipuam, quæ urgeri poterat, non tangat Zephyrinus, nos eam proponemus, ut videat, noſtram contra ſacrificium Miſſæ prolatam opinionem non ex præjudiciis fluere, ſed ex animo ſincero & veritatem amante. Etenim in verbis, quæ protulimus, προσφορὰ videtur τὸ τοῦ Κυρίου σῶμα nuncupari, quinimo videtur θυσία conſecrationem non antecedere, ſed ſequi, maximè cum oblationi, nulla intercedente prece vel ritu, ſtatim ſuccedat diſtributio. Hæc utique ſi cum aliis Conſtitutionum Apoſtolica-

rum

rum locis haud conferantur, ſpeciem habent haud exiguam, poſſuntque imponere iis,qui accurate ſententiam veteris Eccleſiæ haud indagant. Nos reponimus, locum hunc,qui euchariſtiæ veteris ritus terminis conciſis ſaltem ſiſtit,ex L. VIII. C. XII. explicandum eſſe,ubi non oblatio euchariſtiæ ſolùm memoratur, ſed & ejus conſecratio oblationem ſubſequens,at diſtributionem præcedens. Tàm arcto autem nexu conjunctæ erant oblatio & conſecratio,in unam quippe eandemq; precem conjectæ, ut in loco quem explicamus,diſtributio oblationem ſtatim videatur inſequi, totusque ferè euchariſtiæ cultus nominetur προσφορὰ, iique etiam Diaconi dicantur ὑπηρετεῖσθαι τῷ τοῦ Κυρίου σώματι, qui τῇ προσφορᾷ τῆς εὐχαριστίας σχολάζουσι. Sed hæc in ſequentibus reddentur clariora & magis perſpicua.

## §. XXXII.

Pergit Zephyrinus ad L. VIII. Conſtit. Apoſt. C. XI. probaturus, ἀναφορὰν, cujus ſub finem Capitis hujus mentio injicitur, eſſe oblationem, non primitiarum, ſed euchariſtiæ, id quod largiſſime concedimus, cum caput ſequens de cultu euchariſtico perſpicuis verbis agat. Nec malè ait quoque noſter, precem, quæ hoc C. XII. continetur, eſſe egregiam tantoque Sacramento dignam. In ejus enim perlectione ſæpius à nobis repetita haud parum ædificati fuimus, cùm, ſi pauca excipiamus, quæ credimus interpolata & ſimplicitati veterum Chriſtianorum haud reſpondentia, genuinam ea antiquitatem ſpiret. Obſervamus autem primum, vocem προσφέρειν ſtatim ab initio explicari per προσάγειν τὰ

δῶρα

δῶρα τῷ ἐπισκόπῳ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, id quod nullum adhuc ſacrificium Miſſaticum innuit. Poſt longam precem ſequitur recitatio verborum inſtitutionis, oblatio donorum & conſecratio, quam inſequuntur preces pro Eccleſia Catholica, Epiſcopis, Sacerdote conſecrante, Presbyterio, Diaconis, omnibusque Clericis, Rege itidem & Magiſtratu, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, &c. defunctis partim, partim viventibus, porrò pro populo, virginibus, viduabus, conjugibus, infantibus; civibus, ægrotis, ſervis, exulibus, &c. inimicis & perſecutoribus, itemque Catechumenis, pro bona tempeſtate & fœcundo anno, &c. Additur δοξολογία, populo *Amen* reſpondente, quod benedictio ſequitur. Continuat preces Diaconus, & ait: *Adhuc atque adhuc oremus Deum per Chriſtum ejus, pro munere, quod Domino Deo oblatum eſt; ut Deus, qui bonus eſt, illud mediante Chriſto ſuo, recipiat in cœleſte ſuum altare, ad odorem ſuavitatis.* Poſtea repetuntur preces jam dictæ, adjiciunturque aliæ, hoc poſito præfamine: *Suſcitari nos ipſos Deo per Chriſtum ejus commendemus.* Sequitur Epiſcopi oratio precantis: *Sanctificans corpus noſtrum & animam noſtram, nos dignos redde, ut effecti puri ab omni inquinamento carnis & ſpiritus propoſita bona conſequamur &c.* His precibus finitis, dicit Epiſcopus: τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Additur doxologia, & ſacramentum diſtribuitur: *Ac Epiſcopus quidem tribuat oblatam, dicens: Corpus Chriſti: & qui recipit, reſpondeat; Amen. Diaconus verò teneat calicem ac tradendo dicat; Sanguis Chriſti, calix vitæ; & qui bibit, Amen*

*Amen reſpondeat. Pſalmus autem trigeſimus tertius dicatur, dum reliqui omnes communicant.* Atque iſta omnia C. XIII. enarrantur. C.XIV. additur gratiarum actio pro acceptis ſumtisque donis ſacris adjectis aliis precibus. Hæc qui cum laudato capite LVII. Libri II. Conſt. Apoſt. contulerit, miram inveniet diverſitatem, tùm, quod in L. II. preces illæ oblationem antecedunt, quas L. VIII. poſtponit, tùm quod vix comprehendi poteſt, qua ratione iſtæ preces τὴν ἀναφορὰν τῆς θυσίας complectantur, quæ paulò ante diſtributionem dicuntur ab Epiſcopo, precante, ut qui ſacramentum ſunt ſumturi, dignè id accipiant. Ita enim arbitror, id quod L. II. C. LVII. dicitur, ἑστῶτος παντὸς τοῦ λαοῦ, componendum eſſe cum iis, quæ L. VIII. C. XIII. leguntur: ἀνάστησον ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐν τῇ χάριτί σου. ἀναστάντες ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ παραθώμεθα. Si itaque, durante hâc ſtatione, oblatio facta fuerit, ea non conſtitit niſi in oblatione illa ſpirituali, quâ veteres Chriſtiani ſemetipſos Deo obtulere. Et hanc oblationem juxta L. VIII. ſtatim inſecuta fuit ſacramenti diſtributio. Patet ex his, quam difficile ſit, de oblatione euchariſtiæ apud veteres uſitata, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis judicare. Quamcunque enim in partem nos vertamus, dicendum utique erit, preces iſtas & ſine cauſa repetitas & genuino loco haud poſitas eſſe. Aſt ſi & hoc concedamus, nullibi tamen dicitur, corpus ſanguinemque Chriſti προσφέρεσθαι aut offerri, ſed potius τὰ δῶρα τὰ προκείμενα, ἄρτος καὶ οἶνον aqua mixtum vocantur θυσία καὶ προσφορά. Sed nec ita quidem quod debebamus, conceſſimus, Ipſa enim προσφορὰ vete-

veterum consecrationem quoque complexa fuit. At nihil aliud offerebatur, quam quod consecrabatur, scilicet, panis & vinum aqua mixtum. Hæc enim in consecratione offerebantur Deo, ut ea ἐπιφοιτήσει τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου sanctificaret, ex iisque efficeret corpus & sanguinem Christi. Ita enim ponamus juxta Zephyrinum vocem ἀποφαίνειν verti debere. Sufficiat nobis, efficere non idem esse ac mutare & transsubstantiare. Cæterum miramur, ipsum Zephyrinum fateri, quod istâ, quæ offeratur, θυσία panis & vinum intelligatur *. Cur autem quæso ex his sacrificium Missæ elicit Vir doctissimus, in quo non solum panem & vinum offerri videas (id quod ritus indifferens & innocens vocari posset) sed & Christum incruentè immolari, quod Constit. Apost. non dicunt. Ipsa etenim oblatio, specialissimè sic dicta, his comprehenditur verbis juxta Zephyrinum quoque: *Tibi Regi ac Deo panem hunc & calicem hunc offerimus, secundum constitutionem ejus gratias Tibi per eum agentes &c.* Quæ verba postmodum ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου πνεύματος i. e. consecratio insequitur. Si verò ista sit oblatio, quod ait Zephyrinus, non sanè dona consecrata oblata fuere, sed consecranda, & cum corpore & sanguine Domini unienda.

§. XXXIII.

Video tamen, quid huic sententiæ nostræ possit regeri. Extat in Constitutionibus Apostolicis ter post consecrationem factam: ἔτι προσφέρομέν σοι. Itaque (sic poterat arguere Zephyrinus) oblatio consecra-

* l. c. §. XXXV. p. 171.

ſecrationem conſecuta eſt in vetere Eccleſia, corpusque & ſanguis Domini in eadem oblata fuere, quod eſt ipſiſſimum Miſſæ ſacrificium. Digna hæc ſunt, ut arbitror, ad quæ accuratè reſpondeatur. Et primò quidem, ſi poſt conſecrationem quoque τὰ δῶρα τὰ προκείμενα oblata fuere, nihil tamen aliud oblatum fuit, quàm panis & vinum, cùm eſſentia ſacramenti non à ſola conſecratione, ſed à toto ſacramenti actu, & diſtributione quoque cum ſumtione conjuncta juxta verba Inſtitutionis dependeat. Porrò quid per προσφέρομεν intelligatur, ex contextu judicandum, ubi loco προσφέρομεν exſtat δεόμεθα, παρακαλοῦμεν, ἀξιοῦμεν. Ait quidem Zephyrinus, hanc *rogandi* ſignificationem voci προσφέρειν planè contrariam eſſe. Quod quî dicere poſſit, haud video, cum ipſæ preces à veteribus προσφοραὶ fuerint nuncupatæ, uti ex multis locis à nobis ſupra allegatis apparet. Addit propriam vocis προσφέρειν ſignificationem tàm diu retinendam, donec neceſſitate quadam adigamur ad ſubſtituendam eam, quæ figurata eſt. At ſi contextus figuratam ſuadeat, quid tùm faciendum erit? Neſcio enim, cur pro Eccleſia, Epiſcopis, Presbyteris, Rege, Civitate, Catechumenis, &c. orandum tantùm ſit, pro Patriarchis verò, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, populo, Virginibus, Viduabus, temperato aëre & fœcunditate terræ offerendum? Hîc non perſpicio, quid idonei atque ſolidi queat reſpondere, ſi proprio in ſignificatu vocem προσφέρειν ſumſerimus. Porrò ſi προσφέρομεν ſacrificium Miſſæ hîc denotet, ſupponendum erit, quod in textu

non exſtat, id, quod offeratur, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. At in textum nihil inferendum eſt, ſi leges velimus ſequi Hermeneuticas. Longe utique ſatius foret, hoc ex Liturgia Chryſoſtomi ſupplementum petere, ubi: ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. Non enim λατρεία ſacrificium ſed cultus eſt, nec per λατρείαν Chryſoſtomus τὰ προκείμενα δῶρα intelligit, quippe quæ ab eadem diſtinguit. *Cultum* ſanè vertit Petrus Arcudius de conſenſu Eccleſiæ Orient. & Occident. L. III. C. XXVI. f. 219. b. alibi *obſequium*. Arriſit poſterior translatio Leoni Allatio, qui tamen addit, Chytræum in oratione de ſtatu Eccleſiarum in Græcia, Aſia, Africa, &c. ſtolidè λατρείαν interpretari de ſolis precibus, laudibus, gratiarum actionibus & eleemoſynis, non de iis, quæ Deo offerantur. L. III. de Eccl. Occident. & Orient. perpetuâ conſenſione C. XV. §. II. p. 1182. §. V. p. 1192. Scilicet, ſtylo huic aſſuetus erat Allatius, impolito admodum atque ingenium valde plebejum ſapienti. Denique explicationem verbi προσφέρομεν ex C. XIII. ſequente hauriamus. Ibi enim quod hac voce deſignatum erat C. XII. per μνημονεύειν & δεηθῆναι exprimitur: *Sanctorum martyrum memores ſimus, ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis. Pro iis, qui in fide requieverunt, oremus. Pro cœli temperatura & frugum maturitate oremus.* Hæc ut arbitror totam hanc de voce προσφέρειν controverſiam ita decidunt, ut nihil regeri queat in contrarium ſolidi & accurati. Quod verò addit Zephyrinus, ex hâc oblatione ἐπικλήσει Spiritus S. adjuncta pate-

patere, eam non solùm fuisse eucharisticam, sed & impetratoriam gratiarum uti spiritualium ita & temporalium, id cur precibus non potius quam oblationi adscribere velit, non video, cùm preces utique oblationis quoque sint essentia, nec externa cærimonia in se spectata aliquid à Deo impetrare possit, neque eo quoque fine institutum sit eucharistiæ sacramentum, ut temperatura aëris & frugum ubertas eo impetretur. Quod cùm concedat Zephyrinus *, vocem προσφέρειν ipsemet per *precari* aliquoties una eademque in pagina vertit. Non enim exstat in Græco: ἔτι δεόμεθά σου καὶ ὑπὲρ εὐκρασίας τοῦ ἀέρος κτλ. sed ἔτι προσφέρομέν σοι. Addendum hîc nobis est, oblationem, quæ ante ἐπίκλησιν Spiritus S. fit, post eandem quoque memorari, etsi jam perfecta sit. Ita enim finita prece rogat Sacerdos, *ut Deus donum oblatum, mediante Christo suo, recipiat in cæleste suum altare, ad odorem suavitatis*, id quod in latinas quoque Missas transsumtum fuit **. Hæc proprium innuere sacrificium arbitratur Zephyrinus, alii spirituale. Videntur enim illa supponere in terris proprium haud esse altare, inde preces illas

 quæ

* L. c. §. XXXIX. p. 177.

** Ibi enim: *supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis.* Aliter hæc in Græcis exprimuntur. In hoc enim loco *per manus sancti Angeli tui* dicitur διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ. Docent hæc, solam consecrationem, postquam ista efferuntur, præsentiam realem haud efficere, cùm Christus corpus sanguinemque suum, quæ nec δῶρα quoque appellari possunt, in cæleste altare perferre dici nequeat.

quæ fundantur, & dona oblata in cœleste altare esse recipienda, ut Deo accepta sint & placita, quemadmodum veteris Testamenti sacrificia ipsi accepta fuere. Quæ sanè omnia metaphoram sapere nemo negare potest, cùm in cœlo proprium altare non exstet. Ubi autem non est altare proprium, ibi non datur quoque propria oblatio, ita, ut omnia potius contraria ex hoc textu elici queant. Jam verò diximus, quæstionem de sacrificio proprio in meram abire λογομαχίαν, ut necessum non sit, his diutius inhærere. Sed pergamus in explicandis Constitutionibus Apostolicis.

## §. XXXIV.

Etenim si tanti res esset, aut si liturgia illa, quæ in Constitutionibus Apostolicis exstat, nostram penitus destrueret sententiam, regerere utique possemus, totam istam ab impostore suppositam esse & ad Constit. Apostol. haud pertinere. Nec deest, quod veritatis speciem huic conjecturæ conciliare possit. Scilicet, cum maxima pars L. VIII. Const. Apost. Διατάξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Ἱππολύτου contineat, hæ verò Cod. XXVI. Barocc. in Bibl. Bodlejana exstent, mirum est, hanc λειτουργίαν ibidem non inveniri. Observavit hoc doctissimus Grabius in Spicilegio Patrum Sec. I. p. 285. & post ipsum alii. Clariss. Whistonus verò arbitratur, Clementem fuisse primum Collectorem omnium VIII. Librorum, ex quibus Constitutiones Apostolicæ componuntur, non Hippolytum, qui ex Archivis Romanis partem transcripserit solùm vel in suæ Ecclesiæ usum, vel ne

periret

periret iſte traditionum veterum theſaurus ex defectu τῶν ἀντιγράφων, Vide Diſſ. Angl. de Conſtit. Apoſtol. C. III. §. VI. p. 236. Aſt hæc Whiſtoni conjectura nobis haud poteſt ſufficere, qui novimus, Hippolytum iſta haud ex Archivis Romanis deſumſiſſe, ſed mittente Dionyſio Alexandrino, ex Oriente παραδόσεις Ἀποστολικὰς Romam attuliſſe. Vid. Euſeb. Hiſt. Eccl. L. VI. C. XLVI. p. 248. Quicquid autem hujus rei ſit, (noſtri enim inſtituti non eſt, in re tam obſcura conjecturas in infinitum fingere) cùm διδασκαλία Ἱππολύτου totum Librum VIII. Conſtitutionum Apoſtolicarum non conficiat, omnino dici nequit, ea quæ in doctrina Hippolyti non exſtant, ſuppoſititia eſſe & ab impoſtore conficta, maximè ſi conſideremus, quod ſtylus hujus Liturgiæ Apoſtolicum ſapiat ſæculum, antiquiſſimisque conveniat temporibus. Præfixum eſt nomen Ἰακώβου, τοῦ ἀδελφοῦ Ἰωάννου τοῦ Ζεβεδαίου, quam inſcriptionem etſi genuinam arbitretur laudatus Whiſtonus, ego tamen à piæ fraudis ſuſpicione non liberaverim. Sed & de hoc nunc non diſputabimus. Id unum ſupereſt, ut dum in explicanda Conſtitutionum Apoſtolicarum liturgia verſamur, verba L. II. C. LVII. exſtantia γινέσθω ἡ θυσία & ὅταν ἀνενεχθῇ, orationemque pro mortuis, quæ L. VIII. C. XII. XIII. exſtat, accuratius penſitemus. Primum quod attinet locum, nôrunt antiquitatis Eccleſiaſticæ periti, in Liturgia Græcorum θυσίαν ante conſecrationem perfici. Præcedit enim illud, quod etiam in notis ad Irenæum p. 129. memoravimus, Θῦσον δέσποτα, ſacrificiumque lanceola in panem adacta conſummatur, additis

verbis: *Et quidam militum latus ipsius lancea fodicavit, statimque sanguis & aqua emanavit.* Quod verò verba ὅταν ἀνενεχθῇ concernit, elevationem donorum consecrandorum ex iisdem quis derivaverit, quæ in Ecclesia Græca obtinet, etsi & postmodum dona consecrata eleventur. Ita enim in Liturgia Chrysostomi: *Diaconus semel incurvatus, accipit cum veneratione poculum sacrum, venitque ad ostium, ac elevans sacrum poculum, populo illud ostendit.* Ita & Maximus in Hierarch. Eccl. Dionys. *Sublevans Sacerdos panem sacrum ostendebat, benedictionem dicens: τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, sancta sanctis!* Atque hæc eapropter memoramus, ut constet, cur hanc ἀναφορὰν communioni immediate præposuerint Constitutiones Apostolicæ. Is nempe ordo est observandus. Primò fit oblatio, sequitur consecratio, hanc excipit donorum consecratorum ἀναφορὰ, (id quod verbis ὅταν ἀνενεχθῇ exprimitur) claudit communio. Quæ de oblatione precibusque pro mortuis dicenda nobis sunt, ex ipsis Constit. Apost. dabimus. Ita autem L. VI. C. XXX. *Sed absque ulla observatione congregamini in cœmeteris, lectionem librorum sacrorum facientes, atque psallentes pro defunctis martyribus & omnibus à seculo sanctis, & pro fratribus vestris, qui in Domino dormierunt, item antitypam regalis corporis Christi & acceptam eucharistiam offerte*, in Ecclesiis vestris & in cœ-*

* Itane ergò corpus & sanguis Domini oblata fuere in primitiva Ecclesia? Verba videntur esse clara & decisiva ad probandum Missæ sacrificium. Ast res est in vado. Nam primo προσφέρειν nihil aliud denotat, quam

*cœmeteriis, atque in funeribus mortuorum, cum Pſalmis deducite eos, ſi fuerint fideles in Domino.* L. VIII, C. XII. hæc ponuntur: *Adhuc offerimus Tibi etiam pro omnibus ſanctis, qui à ſeculo placuerunt tibi, Patriarchis, Prophetis, Juſtis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Laicis & omnibus, quorum tu noſti nomina.* Repetuntur hæc C. XIII. *Sanctorum Martyrum memores ſimus, ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis. Pro iis, qui in fide requieverunt, oremus.* Quænam autem hæ ſint preces, ex C. XLI. liquet. *Pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieverunt, oremus; ut hominum amans Deus, qui animam defuncti ſuſcepit, ei remittat omne peccatum voluntarium ac non voluntarium, & propitius clemensque factus, collocet eum in regione piorum, quieſcentium in ſinu Abrahami, Iſaaci & Jacobi, cum omnibus qui à ſeculo placuerunt Deo, ac ejus voluntatem fecerunt, unde aufugit dolor, triſtitia & gemitus. . . . . quia cunctorum animæ apud te vivunt, & ſpiritus juſtorum in tua manu ſunt, quos non tanget cruciatus: omnes enim ſanctificati ſub manibus tuis ſunt: ipſe & nunc reſpice ſuper ſer-*



dona conſecrata altari imponere & diſtribuere poſtmodum ſive offerre iis, qui ſacramentum accipiunt. Secundo vox προσφέρειν totum euchariſtiæ cultum ſæpius denotat συνεκδοχικῶς, & per *celebrare* verti poteſt. Tertiò explicandus eſt hic locus ex primario illo L. VIII. C. XII. exſtante, ubi tota ponitur liturgia, ut de voce ἀντιτύπων, quæ hìc exſtat, taceamus.

*vum tuum hunc, quem ſelegiſti & quem aſſumſiſti in aliam ſortem: & condona ei, ſi quid volens aut invitus deliquit; atque Angelos ei exhibe placidos, atque colloca eum in ſinu Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum omniumque qui Tibia ſeculo placuerunt; ubi non eſt triſtitia, dolor, gemitus, imo locus piorum ſedatus, & pariter terra rectorum quieta, eorumque qui in ea vident gloriam Chriſti tui.* C. XLIII. dicitur, eleemoſynas ex bonis fidelis demortui datas ipſi prodeſſe. C. XLIV, additur: *In mortuorum vero memoriis, invitati, cum moderatione ac Dei metu epulamini, ut poſſitis etiam deprecari pro iis, qui e vita migrarunt.* Hæc quomodo intelligenda ſint, nunc explicabimus.

## §. XXXV.

Ante omnia nobis obſervandum eſt, varias eſſe demortuorum claſſes, pro quibus orandum eſſe volunt Conſtitutiones Apoſtolicæ. Nam & Patriarchæ & Apoſtoli & Martyres & ἅγιοι τετελειωμένοι ſunt, pro quibus preces funduntur; & alii in fide quidem demortui, qui tamen ad eum ſanctimoniæ gradum non pervenere. Preces priori claſſi deſtinatæ eò non ſpectant, ut conſpectum Dei plenarium pro iis exoremus, qui perfecta jam apud Deum felicitate gaudent. Aſt quod cæteros attinet, dicendum utique eſt, credidiſſe Veteres, in tertium quendam locum animas ablegari nondum perfectas, perficique ibidem, donec ad plenarium Dei conſpectum, precibus viventium adjuti, perveniant. Quemadmodum itaque in precibus pro ſanctis perfectis eorum

ſaltem

ſaltem memoria fideſque celebratur, Deusque exoratur, ut communione certaminis, fideique quam tenuere, reddamur digni, ita in oratione pro cæteris facta Deus invocatur, ut, omnibus, quæ commiſere, peccatis remiſſis eos in perfectam recipiat felicitatem. Cùm autem Euchariſtia præcipuus ſit Chriſtianorum cultus, quem Deo præſtant; preces hæ celebrationi illius adjunguntur, non eo ſanè fine, ut credas, Euchariſtiam ſanctis offerri aut in honorem ſanctorum celebrari, aut opus Euchariſtiæ operatum mortuum juvare, quod ii quoque negant, qui Romanæ Eccleſiæ decreta ad normam Veterum exigere conantur, aut eam ob rationem, quòd dona Euchariſtica juxta inſtitutionem Chriſti aut Eccleſiæ primitivæ offerenda ſint ad juvandos mortuos, ſed potius eapropter, ut in ſolenni cultu omnes in unum conjungantur preces, ipſaque pro mortuis oratio viventibus, euchariſtiæ perceptione ad ſanctimoniam vitæ excitatis, novum quoddam ſit incitamentum, quo ad perfectionem in hac vita acquirendam ferantur. Cæterum ſi ea premas, quæ de remiſſione peccatorum poſt mortem dicuntur, utique dicendum erit, exſtare hic in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quod non ſaltem in divinioribus ſcriptis non invenitur, ſed etiam illis eſt contrarium. Si enim nullum eſt κατάκριμα in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu Rom. VIII. 1. ſi porro mortem κρίσις pone ſequitur Hebr. IX. 27. ſi denique beati in Domino morientes μακάριοι ſunt ἀπάρτι Apoc. XIV. 13. utique peccata iis remiſſa ſunt & condonata, fruſtraque funduntur preces pro re jam facta & obtenta. Quid ſi autem dixerimus, nihil aliud à Deo heic expeti, quam ut

 pecca-

peccatorum à fidelibus defunctis commiſſorum penitus obliviſcatur eaque omnino jubeat eſſe deleta & exſtincta? Id quod cum remiſſionem jam factam præſupponat, non admodum videtur eſſe contrarium iis, quæ ex ſcripta Apoſtolorum traditione diximus. Aſt conſtitutiones Apoſtolicas ad noſtras detorquere hypotheſes hic nolumus, qui candide fatemur, ſecundo ſtatim ſeculo in doctrina de ſtatu animarum poſt mortem fuiſſe variatum. Nec qui hoc argumentum penitius inquiſiverit, diffitebitur, multis id tenebris involutum eſſe, nulla ratione disjiciendis, Patreſque ipſos mirum in modum hic variare & abire in diverſa, vetereſque liturgias, ſive veras ſive ſuppoſitas, vel repetere ea, quæ in conſtitutionibus Apoſtolicis exſtant, vel novis acceſſionibus adaugere, novas rurſus difficultates parientibus. Mirum certè, ſi pro defunctis orandum ſit ſacrificiumque offerendum, ne unicam quidem literam in ſcriptis Novi Teſtamenti Canonicis hoc de argumento exſtare. Cæterum quæ ſupra de oratione pro ſanctis beatiſque diximus, id nunc teſtimoniis eorum, qui Eccleſiæ Romanæ ritus defendunt, confirmabimus. Ita autem Jacobus Goar: *Offerre dicitur ſacrificium pro Patribus antiquis, Patriarchis, Prophetis, &c. in fide quieſcentibus, non ut eis in remedium & ſuffragium, ſed ut eorum nomine propter dona cœlitus illis exhibita in Dei gloriam omnino cedat. Hocque pacto Cyprianus ad Presbyteros & plebem de Celerina, Laurentio & Ignatio ſcribens L. IV. Ep. 5.* Sacrificia, *inquit*, pro eis, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus. *Et Cajus Pontifex, ut apud Ciacconium in ejus vita legitur, à die,*

*quo*

*quo Susanna neptis ejus percussa est, jugiter pro ejus commemoratione obtulisse, non quo pro illa oraret, alias Martyri injuriam irrogasset, sed ut pro ejus gloria ampliores Deo gratias ageret & ejus in se patrocinium accerseret.* Conf. Eucholog. Eccl. Gr. f. 143. a. Eandem fere in sententiam descendit Jo. Baptista Cotelerius in Constit. Apost. L. VI. C.XXX. ita scribens. *Pro Martyribus cæterisque beatitudine fruentibus psallere ac offerre non est precari, ut remissionem delictorum consequantur, & salvi fiant, quæ preces eos injuria afficerent; ast, tum orare, ut eorum meriti fiamus participes, utque ipsorum deprecationibus nostræ exaudiantur, tum gratias agere Deo in memoriam illorum, laudem, gloriam atque honorem.* Plurimis Patrum dictis hæc ipsa idem confirmat, tandemque subdit versum Hildeberti Cenomanensis:

*Nam dum pro justo sacris assistitur aris,*
*Pro justo grates ipse Minister agit.*

Ista tamen, quæ de communione meritorum atque sanctorum intercessione ait, sequioris paululum ævi sunt, atque in recentiores demum Liturgias inserta. Hinc Nicol. Cabasilas in expositione Liturgiæ: *Talia sunt hæc verba, ut nulla pro sanctis facta ad DEUM intercessio in iis contineatur, neque sacerdos eorum, quæ in usu sunt quicquam iis apprecatur, sed aliorum quidem fidelium, qui obdormivere, dum mentionem facit, preces pro iis fundendas statim adjunxit, & perduc, inquit, eos ad quietem, quam lumen faciei tuæ inspicit: at vero de sanctis contraria omnia habet. Neque enim pro iis intercessionem sistit,*

*sistit, sed ipsos potius tanquam Intercessores proponit. Etenim dum loquitur sanctosque enumerat addit quoque: quorum juxta intercessiones aspice nos o Deus!* Aptius sane Simeon Thessalonicensis de Templo & Missa: *Sunt igitur oblationes pro sanctis allatæ in decus eorum & honorem ac exaltationem gloriæ majorisque illuminationis divinæ receptionem.* Plures enim causæ sunt, ob quas pro Apostolis Martyribusque imo ipsa Virgine Maria orat Ecclesia Græca: (1) ut beatitudo eorum augeatur: (2) ut Deus intercessiones eorum, quas pro viventibus fundunt, accipiat: (3) ut eorum memoria in cultu publico celebretur ac renovetur: (4) ut & ii ad preces pro viventibus excitentur: (5) ut, qui pro beatis preces fundunt, ostendant, se ad eandem beatitudinem adspirare atque fide cum ipsis conjunctos esse, ejusdem Ecclesiæ invisibilis consortes: (6) ut gratiæ Deo reddantur, quod constantiam ipsis dederit in fide perseverandi: denique, ut pro eadem constantia & virtute nobis largienda exoretur Deus. Pro iis vero, qui in perfecta sanctitate haud sunt demortui, eadem oravit Orientalis Ecclesia, ut ex loco tertio, tenebris mœstitiaque pleno ad reliquias peccati exstinguendas * comparato translocentur in cœlum beatorum, rigorque saltem examinis in supremo

* Hæc de igne quodam purgante & urente intellecta nolimus, quem ignorat antiquitas. Ignem judicii extremi potius purgatorium esse, quidam Patrum dixere, quorum hoc ipsum asserentium nubem dat Constantius in Præfat. ad Hilar. §. VIII. pag. 72. In extremo judicio etiam sanctos per ignem ituros, qui ipsorum comburat peccata, clarissime effatus est Ambrosius Expos. in Ps. 118. §. 12. in Ps. XXXVI. §. 26. & in Hexaëm. L. IV. C. III. §. 10.

premo mitigetur judicio, omnia impura penitus ab-
sumturo. Quod vero hæc fuerit veteris Ecclesiæ sen-
tentia de Oratione & oblatione pro mortuis, patet &
ex L. III. Sacram. Eccl. Rom. sive Codice Gelasia-
no, quem edidit Card. Thomasius. Ibi enim p. 246.
usque ad 261. oratur, ut Deus (1) animam defuncti
blande leniterque suscipiat: (2) si quas ex hac carnali
commemoratione contraxerit maculas, sua bonitate
clementer deleat & oblivioni in perpetuum tradat:
(3) ut locum pœnalem & gehennæ ignem flammamque
tartari anima defuncti evadat: (4) ut Deus requiem
ei det, & in cœleste habitaculum recipiat, animamque
ad corpus reversuram sanctorum cœtibus aggreget,
primamque huic resurrectionem largiatur. Ne ver-
bulum quidem in codice Gelasiano exstat de purga-
torio. Veteres nimium putabant, cum precibus
semper oblationes esse conjungendas tanquam signum
submissionis externum Deo debitum. Hinc &, cum
pro mortuis oravere, panem & vinum (nunquam,
quod bene notandum, corpus & sanguinem Christi)
obtulere precesque suas adjunxere. e. g. his preci-
bus: Hostias tibi Domine humili placatione deferi-
mus, ut animæ famulorum famularumque tuarum
per hæc placationis officia perpetuam misericordiam
consequantur. L. III. Sacr. Eccl. R. Cod. Gelas. p.
256. 257. Explicari possunt ex his, quæ Tertullia-
nus scribit de Monogamia: *Enimvero & pro animâ
ejus orat & refrigerium interim adpostulat ei & in
prima resurrectione consortium, & offert annuis die-
bus dormitionis ejus.* Idem de Corona: *oblationes
pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Et
de exhortatione castitatis: *pristinæ uxori religiosio-
rem reservas affectionem, ut jam receptæ apud Do-*

*minum,*

*minum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras, & offeres pro duabus & commendabis illas duas per Sacerdotem? . . . . . & ascendet sacrificium tuum libera fronte?* Docent hæc, Tertullianum & pro sanctis perfectis & pro cæteris quoque orandum censuisse, pro his quidem, ut refrigerium primæque resurrectionis honos à Deo ipsis expetatur, pro illis, ut beatitudo eorum, qui apud Dominum jam recepti sunt, augeatur, pro utrisque vero offerendum, hoc est, nomine & loco ipsorum oblationes faciendas, * ac si adhuc in vivis essent, ut ostendatur, eos in communione Ecclesiæ decessisse. Nec enim ab infidelibus vel excommunicatis eæ olim recipiebantur, quæ signum erant communionis Ecclesiasticæ. Hinc & Cyprianus in Ep. I. *Non est, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.* Ad quem locum ita Jo. Fellus, Episcopus Oxoniensis: *Oblationes pro mortuis annuamque pro dormitione eorum commemorationem antiquitus habitas esse res est compertissima. Nimirum quo magis constaret, fideles vita defunctos minime periisse, sed etiamnum membra Ecclesiæ existere, oblationes eorum nomine, ac si in vivis essent, usque offerebantur; quod præcipue in anniversario dormitionis die factum, quando & nomina eorum, (quod oblatis muneribus fieri solebat semper) publice recitata fuere. Sed hæc in spei, fidei & charitatis tesseram, non autem in animarum subsidium aut purgatorii*

* Hinc patet, oblationes has esse oblationes laicas sive communes, quod probe observandum, ne Missas pro defunctis ex his locis elici posse credas.

*gatorii ignis ardoribus æstuantium refrigerium præstita fuisse exinde patet, quia hæc ad Martyres inprimis spectabant. Qua de re videatur Ep. 35. & 10. ad Pamelii numeros 34. & 37. Martyres verò, quemadmodum idem Cyprianus Ep. 37. ad Pamel. num. 16. diserte ait*, confecto itinere virtutis ac fidei ad complexum & osculum Domini Domino ipso gaudente venerunt, *nec intercessoribus opus habuere. A quibus tantum aberant, ut, quod ex sententia veteris Ecclesiæ rectissimè dixerat D. Augustinus*, * injuriam ille faceret Martyri, qui orat pro Martyre. „ Hæc egregia sunt & quantivis pretii; etsi in eo errare videatur doctissimus Præsul, quod orationes pro Martyribus cæterisque defunctis confundat in unam. Pro his enim, ut ex Tertulliano vidimus, & *refrigerium fuit adpostulatum.* De oratione autem pro Martyribus recte omnino is pronunciat, quam & alibi Cyprianus repetit. Ita enim Ep. 12. *Celebrantur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum.* Et Ep. 39. *Sacrificia pro eis* (Laurentio & Ignatio, aliisque, qui palmas Domini & coronas illustri passione meruerunt) *semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.*

§. XXXVI.

*Verba Augustini ipsa hæc sunt: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* in Serm. XVII. de verb. Apost. C. I. Nihilominus Liturgia Jacobi hæc habet: *Fac eos* nempe justos *requiescere in regione viventium in regno tuo, in deliciis Paradisi* &c. Ita & Lit. Marci, Const. Apost. L. VIII. C. 18. Missa Mozar. Syriaca & Chrysostomiana &c. Cyrill. Cat. Myst. saltem memoriam eorum facit in precibus pro ipsis.

## §. XXXVI.

Poteramus nunc oblationem pro defunctis dimittere, nisi quædam hic dicenda essent tum de Augustanæ Confessionis de hoc argumento sententia, tùm de opinione Theologorum quorundam Anglicanorum, qui, preces pro defunctis ut restituantur, omnem videntur movere lapidem. Quod Augustanam Confessionem attinet, notus est, qui in Apologia ejusdem p. 274. 275. exstat locus, ubi ita Philippus Melanchton: *Scimus, Veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, sed applicationem cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato improbamus.* Et post pauca: *Falso citant adversarii contra nos damnationem Aërii, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negaverit in Missa oblationem fieri pro vivis & mortuis. Sæpe hoc colore utuntur, allegant veteres hæreses, & cum his falso comparant nostram causam, ut illa collatione prægravent nos. Epiphanius testatur,* * *Aërium sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles. Id reprehendit. Neque nos Aërio patrocinamur, sed vobiscum litigamus, qui hæresin manifeste pugnantem cum Prophetis, Apostolis & Patribus scelestè defenditis, videlicet, quod Missa ex opere operato justificet; quod mereatur remissionem culpæ & pœnæ, etiam injustis, pro quibus applicatur, si non ponant obicem.* Queritur hîc celeberrimus Ecclesiæ Meldensis Præsul Bossuetus, affingi Ecclesiæ Romanæ errorem, quem ipsa non statuat, scilicet, Missas prodesse ex opere operato.

* Hær. 75. num. 7. p. 911. in Panario.

rato. Conf. L. III. de Variat. Eccleſ. Proteſt. §. 56. p. 135. Aſt in caſſum iſta opponuntur. Non enim cum tota Eccleſia Romana hic agunt Confeſſores, ſed cum adverſariis ſuis, qui Confeſſionem Auguſtæ A. MDXXX. Carolo V. Imperatori exhibitam refutaverant. Poterant etenim hi ſententiam tenuiſſe, quam prudentiores doctioreſque rejiciebant. Aliter enim de tota Eccleſia Romana pronunciat Confeſſio Art. XXI. ubi: *Hæc ferè ſumma eſt doctrinæ apud nos, in qua cerni poteſt nihil ineſſe, quod diſcrepat à Scripturis vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota eſt.* Cæterum vix negari poteſt, Concilium Tridentinum operi ſacramentorum externo nimium tribuere. Conf. Seſſ. VII. de ſacramentis in genere Can. 8. Sed id quidem oſtendere nunc non eſt noſtri inſtituti. Ajunt Confeſſores, ſe Aërii ſententiam rejicere, arbitrarique, *orationes pro mortuis utiles eſſe.* * Scilicet Aërius homo erat Arianus, à quo ſua haurire noſtri non poterant. Cum autem *orationem pro mortuis* Confeſſores haud *prohibent*, non id dicere volunt, ſe vel purgatorium vel locum quemdam tertium, ubi animæ ſeparatæ affligantur, remiſſionemque peccatorum plenariam exſpectent, ſtatuere. Eſt qui dicit, (*Scherzerus nimirum in Syſtemate*) intelligere eos orationem charitativam & communem pro augendis beatorum gaudiis diminuendiſque damnarum pœnis. Aſt ſufficiat hoc nobis, Confeſſores in verbis antecedentibus orationem pro mortuis iiſque beatis (pro cæteris enim non ajunt orari poſſe) per gratiarum actionem explicare, quâ laudetur DEUS,



* Scilicet non mortuis, ſed nobis orantibus.

quod gratia ſua eos ad finiendum perficiendumque fidei certamen ſuſtentaverit. Quinimo & precamur, ut qui ſummam fidelibus defunctis jam conceſſit felicitatem, eos miſeriis hujus vitæ extractos eò majore nunc gratiæ menſura beare, eandem fidei conſtantiam nobis concedere, beatam corporibus terræ mandatis reſurrectionem largiri, ſpiritualemque nobis communionem cum beatis concedere velit. Multa enim ſunt, pro quibus Deum precamur, quæ jam adimplere eum novimus, & facturum quoque certiſſimè ſcimus. Unicum eſt, quod de Aërio adhuc notamus. Dixit is: μὴ δεῖν προσφέρειν ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων. Laicam, ut arbitror, oblationem hîc innuit, ritum illum Eccleſiaſticum, quo dona nomine ac loco mortuorum offerebantur, ut oſtenderetur, eos in communione Eccleſiæ deceſſiſſe, eandemque nunc in cœlis perpetuo ſervare, quam in terris ſervaviſſent. Contra ritum hunc, innocentem omnino nulloque errore, in ſe ſi ſpectetur, conſperſum, maleſano auſu ſurrexit Aërius, qui melius feciſſet, ſi inutili relicta diſputatione ſolidiora ſaltem notaſſet, aque ea ſolum tetigiſſet, quæ ritui huic contra divinam veritatem adjecta erant. Cæterum laicam illam oblationem pro mortuis & ipſa quoque Romana abrogavit Eccleſia, quæ omnem laicorum oblationem, licet antiquiſſimam, obſervare deſiit. Hùc enim trahi nequeunt pretia, queis Miſſæ redimuntur, cùm ex iis ſacramentum non conficiatur. Quod reſtat, Theologorum Anglicanorum ſententiam de oratione pro mortuis paucis delibabimus, cùm prolixioribus nobis eſſe haud liceat, ne nimia hîc cumulemus. Ita autem in rituali ſeu libro commu-

nium

* Vide Epiphan. de Hæres. in Summar. L. 3.

nium precum, tempore Eduardi VI. impreſſo A. MDXLIX. quem Latinam in linguam transfudit Alexander Aleſius, Scotus, S. Theol. Doctor, eo loco, ubi de adminiſtratione Cœnæ Dominicæ agitur: *Commendamus etiam tibi, ô Domine, reliquos omnes ſervos tuos, qui ex vita hac deceſſerunt cum ſigno fidei, & nunc requieſcunt in ſomno pacis. Concede illis, quæſumus, miſericordiam tuam & æternam pacem, & ut in die univerſalis reſurrectionis nos & omnes, qui ſunt membra myſtici Corporis Filii tui, ſiſtamur à dextra ipſius, ut audiamus illam ſuaviſſimam vocem*: venite ad me benedicti, &c. „ Et de ſepultura mortuorum: *DEUS, cui omnes ſpiritus mortuorum & cum quo omnium electorum animæ liberatæ ab onere carnis feliciter & in gaudio vivunt; præſta huic famulo tuo, ut peccata, quæ in hoc mundo commiſit, non imputentur ei; ſed ut ſuperatis portis mortis & æternæ caliginis, ſemper in regione lucis habitet cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, ubi nullus luctus, dolor aut mœror,* * Notandum tamen eſt, preces has à Theologis Anglicanis Buceri aliorumque monitu & conſilio poſtea expunctas fuiſſe, inque aliam formam huic diſſimilem converſas. Id quod obſervat Iſaacus Caſaubonus in Reſponſ. ad Epiſtolam Card. Perronii nomine Jacobi I. Regis Britanniæ ſcripta. p. 54. ſeqq. adjiciens tamen, Eccleſiam Anglicanam hunc orandi pro mortuis ritum in primis ſæculis uſitatum non damnare, aſt tamen retinendum ſibi haud putare. Conf. Gul. Forbeſii Epiſcopi Edinburgenſis Conſider. Modeſt. P. II. C. III. §. 18. 19. p. 248. qui vehementer dolet, preces has



* Textum Anglicanum dedit nuper Georgius Hickeſius in Appendice Chriſtiani Sacerdotii aſſerti p. XIX. ſqq.

has quoque è Rituali ſublatas fuiſſe, ubi conſentientem quoque habet Theologum Anglum, Herb. Thorndykium. * Inter recentiores memoramus Jo. Erneſtum Grabium, qui preces pro mortuis reſtitui optavit, uti videre eſt ex reverendi Viri Georgii Hickeſii Relatione de MSS. Grabianis p. IX. ſub finem, atque ex Liturgia Anglicanâ MSCtâ, ab ipſomet Grabio confecta, ubi: *Denique commendamus tibi, Pater miſericordiæ & DEUS omnis conſolationis, ſervos tuos, qui ex hac vita aſcenderunt in vallem umbræ mortis, ſpecialiter noſtros charos fratres & ſorores NNN. Largire ipſis juxta infinitam clementiam tuam perfectam remiſſionem omnium peccatorum & lucem tuam cum æterna requie, ut gratiam in facie tua inveniant in noviſſimo die, intrentque in Regnum gloriæ cum omnibus Sanctis tuis,* Addi poteſt Eduardus Stephani, qui de precibus pro mortuis Anglica lingua ſcripſit, ** & in Liturgia Anglica quam confecit, hæc habet: *Humiliter te oramus pro amicis noſtris, qui ante nos cum ſigno fidei defuncti ſunt, ut ipſis omnibuſque qui in Chriſto mortui ſunt, licet non ſine peccato & imperfectione, remiſſionem omnium, quæ commiſere, peccatorum, locum refrigerationis, lucem & pacem, primaque reſurrectionis gratiam largiaris*, p. 12. Denique Gul. Whiſtonus non ſolum in Diſſ. de Conſtit. Apoſtolicis C. VI. n. XVIII. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis probare contendit, orationes has pro defunctis Euchariſtiæ adminiſtrationi annexas eſſe inſtitutionem, quæ ex Evangelio originem traxerit p. 709. ſed

* Vide librum Anglicano idiomate ab ipſo conſcriptum *Weights and Meaſures* C. XXII. p. 159.

** *Of prayers for the dead.*

ſed etiam in Liturgia Eccleſiæ Anglicanæ nuper ab ipſo confecta atque ad Liturgiam primitivæ Eccleſiæ exacta, ubi de ſepultura mortuorum agit, has preces addit: *Omnipotens DEUS, cum quo vivunt ſpiritus eorum, qui decedunt in Domino, & cum quo animæ fidelium ab onere carnis liberatæ ſunt in gaudio & felicitate, concede huic tuo famulo, ut peccata, quæ commiſit in hoc mundo, ipſi non imputentur, ſed ut ſemper habitet in regione lucis cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, &c.* Hæc, ut verum fateamur, contradictionem videntur implicare, cum ii, qui in gaudio & felicitate vivunt cum Domino, nulla amplius peccatorum remiſſione opus habeant. Sed de his ſatis. Progrediamur ad alia.

## §. XXXVII.

Supereſt, ut quæ Zephyrinus de Pace ex Canonibus Apoſtolicis producit argumenta *, paucis tangamus. Ex his enim ſacrificium Miſſæ clariſſimo nexu demonſtrari poſſe arbitratur. Canones autem allegat III. & IX. Ex verſione Dionyſii Exigui prior ita habet: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam offerat in ſacrificio ſuper altare: id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Poſterior ſic legitur: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ſacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit,*

 *aut*

* Vide *Alt-Chriſtliche Gedancken* Prop. III. Qu. II. §. 43. ſqq. p. 180. ſqq.

*aut caussam dicat, ut, si rationabilis fuerit, veniam consequatur; aut, si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo caussa læsionis exstiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificavit, quod recte non obtulerit.* Priore in Canone dicitur, ab Episcopo vel Presbytero in altari nihil offerendum esse quàm panem & vinum, in pósteriore, quemvis sacri ordinis, oblatione facta, obstrictum esse ad accipiendam eucharistiam. At qui sacrificium Missæ defendunt, ii ajunt, corpus & sanguínem Christi in celebratione eucharistiæ offerendum esse. Quæ propositio quomodo ex superioribus fluat, difficile omnino est perspectu. Aliud enim est panem & vinum in altari offerre, aliud, corpus & sanguinem Christi offerre *. Id quod ad nauseam usque ut repetamus, Zephyrini argumenta nos cogunt, quem miramur dicere aut credere potuisse, clara hæc veteris Ecclesiæ testimonia esse pro sacrificio Missæ, cùm nullus in argumentis, quæ produxit, nexus, ne quidem probabilis exstet. Dicimus hæc, non ut præjudicata quadam opinione ducti sententiam Zephyrini, quocunque id demum fiat modo, retundamus, sed soli veritati confisi. Audemus enim hîc ad doctissimorum Virorum, eorum quoque, qui Ecclesiæ Romanæ addicti sunt, judicium provocare, qui id saltem fatebuntur, ex Canonibus Apostolicis sacrificium Missæ confici non posse. Cæterum tertia quæstio

* Novit hunc controversiæ statum Zephyrinus noster, uti videre est ex L. c. Qu. III. §. 49. p. 187. Unde mirum est omnino, ipsum duas has quæstiones toties confundere: *Num in eucharistia corpus & sanguis Christi, vel saltem panis & vinum offerantur?*

ſtio, quam Zephyrinus ſubjungit, meram continet λογομαχίαν, quum magno conatu contra Martinum Chemnitium demonſtrare contendit, ſacrificium altaris à ſacramento communionis euchariſtiæ differre. Etenim nemo eſt inter Proteſtantes qui neget, laicos olim ad altare panem & vinum obtuliſſe, ut ex eis euchariſtia conficeretur, iſtaque dona in altari poſtmodum à Sacerdotibus precibus oblata Deo atque conſecrata fuiſſe, & nonniſi poſt hanc conſecrationem diſtributionem ſymbolorum Euchariſticorum fuiſſe factam. Nec ipſe unquam hoc negavit Chemnitius, quem non ſine ratione doctiſſimum appellat Zephyrinus, utpote cui antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcientia haud defuit. Quin & ſacrificium altaris apud Veteres communionem quoque ſacram aliquando denotaſſe, ſenſu ſcilicet συνεκδοχικῷ & generali ſeu lato, nemo forſan eſt qui diffiteatur. Nec eſt inter noſtros qui neget, conſecrationem communioni præmittendam. Aſt ipſa hæc conſecratio veteribus fuit προσφορὰ & oblatio. Ad aliam λογομαχίαν progreditur Zephyrinus, cùm §. 50. de proprietate hujus ſacrificii diſputat. Aut enim, uti ſupra diximus, (nec ſane eadem repetere nos piget, ubi id videtur neceſſarium) ſacrificium ſive oblatio eſt actus ille externus, quo eorum, quæ noſtra ſunt, proprietate nos abdicamus, eademque Deo in altari precibus noſtris offerimus atque dedicamus, orantes inſimul, ut hæc dona in noſtros uſus ſanctificare velit; aut ſacrificium erit occiſio victimæ ejusdemque combuſtio in altari vel incenſio oblationis cum thymiamate in vetere Teſtamento uſitata. Poſteriori modo ne ipſe quidem Zephyrinus dicet, ſacrificium

altaris esse sacrificium verum & proprium. Si autem priorem definitionem proprio convenire sacrificio crediderit, per nos licebit utique, isto utatur termino, quo sanè mirum in modum res confunditur, nisi cogitata nostra insimul clarè & perspicuè explicemus. Nec opus erat, ut objectionem Bellarmini repeteret Zephyrinus *. Ita autem ille: *Et sanè mirum est, cur Lutherani concedant, corpus Christi verè & realiter præsens esse in Sacramento eucharistiæ, & simul admittant, victimam esse omnium, quæ unquam fuerunt, præstantissimam, & tamen pertinacissimè negent, posse aut debere eam offerri Deo, quasi non sit omnino exploratum & certum, debere Deo offerri id, quod habemus optimum.* L. I. de Missa C. XXII. Supponit enim primò, in novo Testamento legem de immolandis Deo sacrificiis non esse abrogatam; secundo, corpus Christi in eucharistia ante usum præsens esse, etiam juxta nostram sententiam; tertiò, corpus Christi denuo offerri & sacrificari posse, sacrificio verè & proprie sic dicto; quartò, cultum Deo offerre nos posse, quem in Evangelio institutum esse inficiamur; quintò, abdicationem proprietatis rei offerendæ ad sacrificii essentiam haud pertinere. Quod cum præcipuum sit in sacrificio, non video, quâ ratione dici possit, Sacerdotem corpus sanguinemque Christi offerentem ejus proprietate se abdicare. Nec quæ in veteribus exstant Liturgiis: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρομεν, huic nostræ opponi possunt sententiæ, cùm omnia ea dona, quorum proprietatem nobis concessit Deus, ipsius quoque sint, utpote ab ipso profecta. Ast sufficiat

* P. 190.

ficiat nobis, Evangelium de oblatione eucharistica nihil tradidisse. Nec enim ullibi in Scripturis exstat, vel ipsum Christum obtulisse, cùm ultimam cum Discipulis cœnam administraret, vel Apostolos docuisse suo, ut in administratione cœnæ Dominicæ offerrent. Nec tamen cogitare potest Zephyrinus, ea in Evangelio omissa fuisse, quæ ad essentiam eucharistiæ designandam pertinent. Denique cur de voce quæso disputamus? Id enim, quod præcipuum in oblatione est, consecrationem nempe retinemus, ait oblationem eam non nominamus, quod nec Christus nec Apostoli ita appellavere, voxque innocens ad repetitum corporis Christi sacrificium postea perperam traducta est, de quo antiquissimi purissimique Ecclesiæ primitivæ Patres silent. Concludimus hæc verbis Cypriani Martyris, qui serio admonet, *ne aliud fiat à nobis, quam quod Dominus prior fecerit.* Ita autem ille Ep. LXIII. ad Cæcilium fratrem: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Isaiam Prophetam Deus loquatur & dicat:* sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes; *& iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens:* rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. *Sed & in alio loco ponit & dicit:* qui solverit unum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. *Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tàm ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemtionis sacramentum pertinentia, fas*

 *non*

*non est infringere; aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare?* Hactenus Cyprianus, cujus locum priorem notatu sane quam dignissimum in fronte nuper gerere jussimus Dissertationem nostram polemicam de Traditionum non scriptarum Speciebus, Valore, Certitudine, Auctoritate, Momento ac Pondere, quæ ipsa & ad hoc argumentum evolvi potest.

§. XXXVIII.

Cyprianum dum nominamus, in mentem venit, ejus de oblatione eucharistiæ sententiam nunc exponere, præmissis iis, quæ hanc in rem dixit, quem *Magistrum* suum is appellat, Tertullianus. Multa hic de sacrificiis novi Testamenti spiritualibus passim dicit. Ita adv. Marc. L. III. per sacrificium mundum Malachiæ intelligit *gloriæ scilicet relationem & benedictionem, & laudem, & hymnos.* Et L. IV. *simplicem* ait *orationem de conscientia pura.* Ibidem hæc habet: „ Offer munus, quod præcepit Moyses. *Argumenta enim figurata, utpote prophetata legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant, hominem quondam peccatorem; verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Jesum, catholicum Patris Sacerdotem.* Alibi de Virginibus velandis dicit: *oblationem Deo offerimus ipsius corporis & ipsius spiritus nostri.* Nota sunt hæc ad Scapulam: *itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris sed Deo nostro & ipsius. Sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor Universitatis, odoris aut sanguinis alicujus; hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Locum adversus Judæos, ubi verba Ma-

lachiæ

lachiæ latius explicantur, ſupra jam adduximus. Ibidem Chriſtus vocatur *ſacrificiorum æternorum Antiſtes.* De reſurrectione carnis ita Vir ſanctus: *ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & ſeras & aridas eſcas & adpendices hujus officii ſordes caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat.* De patientia affirmat, *adflictationem carnis hoſtiam eſſe Domino placatoriam per humiliationis ſacrificium.* De oratione: *quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?* In Apologetico: *offerimus opimam & majorem hoſtiam Deo, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu S. profectam.* Aſt ſufficiat, hæc de ſacrificiis novi Teſtamenti ſpiritualibus ex Tertulliano produxiſſe, ut pateat, quænam antiquiſſimo huic Eccleſiæ Primitivæ Patri ſteterit ſententia. De alia tamen oblatione eaque externa alibi quoque loquitur. Loca ex Libris de Monogamia, de corona & de exhortatione caſtitatis ſupra §. 35. jam adduximus, ubi oblatio pro mortuis memoratur. De exhortatione caſtitatis ita: *ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licet laici.* Ad uxorem L. II. dicit idem, *oblationem confirmare matrimonium.* Ibidem dona in Eccleſia à fidelibus oblata adpellantur *ſacrificia ſine ſcrupulo.* De oratione ſub finem exſtat: *ſimiliter & ſtationum diebus non putant pleriqne ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini . . . . . Accepto corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt & participatio ſacrificii & executio officii.* De cultu fœminarum L. II. *ſacrificium offertur.* Denique adverſus Judæos ait: *Melchiſedech ipſi Abraha*

*hæ jam circumciso, revertenti de prælio, panem & vinum obtulit incircumcisus*, quem locum & supra p. 252. jam attulimus. Adjungamus nunc Cypriani dicta. Hic in libro de unitate Ecclesiæ eum, qui se ab eadem separat, nominat *hostem altaris, adversus sacrificium Christi rebellem*. De oratione Dominica: *sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis. Sacrificium enim Deo majus est pax nostra.* De opere & eleemosynis: *locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Epist. I. *Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione Clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis aut negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus & spiritualibus serviant.* Epist. LXI. *Hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris, non cessantes Deo Patri & Christo Filio ejus Domino nostro gratias agere & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atque perficiens, custodiat & perficiat in vobis confessionis vestræ gloriosam coronam.* Epist. LXIII. Eucharistia vocatur *sacrificium.* Ibidem: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. . . . Nec potest videri sanguis ejus, quo redemti & sanctificati sumus, esse in calice, quando*

*vinum*

*vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio effusus prædicatur. . . . In Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur & dicit :* Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. . . . . *Quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? Qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. . . . Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. . . . Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici * nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. . . . . Aqua, quæ offertur in Dominico calice, sola Christi sanguinem non potest exprimere . . . . . . In sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus . . . . . . In vino ostenditur sanguis Christi. . . . . . Calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest*

* Innocentius tamen VIII. Pontifex Romanus A. 1491. Norvvegis, ut sine vino sacram Synaxin celebrare possent, indulsit. Vide Cave Hist. lit. A. f. 135. b.

*test esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum . . . . . . In sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est . . . . . Si Jesus Christus, Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia DEO Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse . . . . . Nisi in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat Sanguinem Christi. Sic ergò incipit & à passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus & cruore confundi.* Quæ in Cod. Lambethano, Eboracensi, Bodlejano secundo, Lincolniensi & Benedictino ita sonant: *Hoc quis veretur, ne vinum offerat, ne per saporem vini odorē fragrante ab infideli conscientia odor vini horis matutinis fuerit agnitus; & cognoscatur esse Christianus, dum nos Sanguinem Christi in vini oblatione commemoramus. . . . . . Quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium, quod offerimus,) nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus. . . . . . Quotiescunque ergo calicem in commemorationem Domini & passionis ejus offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, faciamus.* Cæterum dicta Cypriani de oblatione pro mortuis supra §. 35. dedimus. Restat, ut ex iis, quæ prolata sunt sententiam Tertulliani & Cypriani paucis comprehendamus propositionibus.

nibus. Statuunt itaque I. à laicis olim ſacrificia oblata fuiſſe, ſcilicet panem & vinum, tum pro ſe, tum pro defunctis fidelibus, ut communionem Eccleſiaſticam ab utriſque ſervari ſervatamque fuiſſe oſtenderent. II. Ex his oblatis ſacrificiis Euchariſtiam fuiſſe confectam, hâc ratione, ut Sacerdos eadem prece ſua juxta Chriſti mandatum Deo obtulerit, atque conſecraverit. III. Ea tamen ſacrificia Deo eſſe omnium gratiſſima, quæ ſpiritualia ſint, non externa; ſcilicet preces, jejunia, humiliationem, caſtitatem, pacem, & quæ ſunt alia, quinimò *adflictionem carnis* eſſe *hoſtiam placatoriam.* IV. Id quod in Euchariſtia accipiatur, eſſe ſacrificium, quia oblatum ſit, id autem, quod offeratur, eſſe panem & vinum. Cæterum ex his Cypriani dictis haud concludi poſſe arbitramur, quod præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia ſtatuerit. Id certum eſt, eum credidiſſe, panis vinique ſubſtantiam poſt conſecrationem atque in uſu quoque manere. Cum tamen ait, Chriſtum *idem ſacrificium* Deo Patri obtuliſſe, *quod* Melchiſedech obtulerit, additque: *id eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem,* ideas nectit, quæ in unum conflari nequeunt. Aut enim Chriſtus ſolum panem vinumque in Euchariſtia obtulit, aut ſolum Corpus Sanguinemque ſuum, una illa eademque oblatione, quam hic Cyprianus refert. Si prius eſt, poſterius negabitur. Si vero hoc tribuatur Cypriano, ſacrificium, quod Chriſtus obtulit, non fuit idem cum ſacrificio Melchiſedechi, qui Corpus & Sanguinem Chriſti offerre non potuit. Poteſt tamen hic reſponderi, Cyprianum credidiſſe, Melchiſedechum idem ſacrificium cum Chriſto obtuliſſe nempe typicum,

Chri-

Christum vero obtulisse panem & vinum, id est, corpus suum & sanguinem, nempe panem & vinum in corpus & sanguinem suum mutatum. Sed si ita sensit Cyprianus, melius & clarius aliisque verbis rem exprimere debuisset: Quæ enim dicit, confusas ostendunt in ipso ideas. Quamvis autem Cyprianus sæpius dicat, Eucharistiam Corpus Sanguinemque Christi esse, (id enim in libro de Oratione Dominica, itemque Epist. LVII. affirmat,) ita tamen in Epist. LXIII. sententiam suam explicat, ut Eucharistiam saltem figuram esse Corporis SanguinisqueDominici credidisse videatur. Ait enim, *si vinum desit calici, Sanguinem Christi in calice videri non posse, vino Sanguinem Christi ostendi, vinum esse, quod Christus Sanguinem suum dixerit, vinum Sanguinem Christi exprimere, Corpus Christi esse farinam aquamque adunatas*, & quæ alia sunt. Denique cum Cyprianus ait, *sacrificium verum & plenum* in Eucharistia *offerri in Ecclesia DEO Patri*, ex contextu patet, ista *veritatis* & *plenitudinis* ἐπίθετα non ipsum oblationis actum, sed res oblatas respicere, ad quas Cyprianus vinum refert contra eoa, qui aqua sola Eucharistiam administrabant, veritatemque ejus & plenitudinem hâc ratione destruebant atque tollebant.

## §. XXXIX.

Explicata nunc Patrum sententia, qui in tribus prioribus post Christum natum seculis floruere, in enarranda sequentium temporum fide nobis licebit esse brevioribus. Si enim constet, non extare ullum de repetita Corporis Christi oblatione testimo-

ſtimonium in iis ſcriptis, quæ ſeculo quarto antiquiora ſunt, * non utique dici poterit, uti arbitror, ſacrificium Miſſæ vel à Chriſto & Apoſtolis traditum, vel in primitiva Eccleſia celebratum fuiſſe. Quod vero ſequiora concernit tempora, ſi ex ſolis Liturgiis rem lubeat decidere, nonniſi panem vinumque oblata ** fuiſſe conſtabit, quod in ſequentibus demonſtrabimus. Sunt tamen, quod non diſſimulamus, qui ſinceritatis gloriam nobis conſervare omni opera contendimus, Patrum, qui ſeculo IV. & ſequentibus vixere, loca plurima, quibus dicitur, Corpus Sanguinemque Chriſti in Euchariſtiâ offerri. Quæ etſi *κατὰ μετωνυμίαν* explicari poſſent atque interpretatione haud incommoda illuſtrari, quæ ex ipſo Patrum contextu petita ſit; nolumus tamen difficili iſta defungi opera, ut & prolixitatem evitemus, & omnem ſuſpicionem effugiamus, quâ credi poſſit, nos ex præjudicata opinione hæc poſuiſſe. Cæte-

A a rum

* Poſſet huc trahi teſtimonium Tertulliani ſupra citatum in nota *** p. 220. & Cypriani: *Ipſe maculatus, ſacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.* Nec non Auguſtini Expoſ. in Pſal. 33. ubi ait: *Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nunc diffuſum eſſe toto orbe terrarum.* Et L. 20. contra Fauſtum C. 21. *Hujus* ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti *per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoriæ celebratur.* Ut & Epiſt. 23. ad Bonifac. *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſe ipſo? Et tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari, &c.*

** Ita ſacrificium Miſſæ *immolationem panis & vini* nuncupat Amalarius de offic. Eccleſ. L. I. c. 20.

rum quum Dionyſius, cui Areopagitæ nomen falſo inditum fuit, de Eccleſiaſtica Hierarchia C. III. περὶ τῶν ἐν τῇ συνάξει τελȣμένων data opera egerit, mirum eſt, eundem de oblatione Sacerdotis nihil omnino memoraſſe. Quamvis enim & altare nominet, & Sacerdotem, qui ſacra facit, & terminos adhibeat de ſacrificiis olim uſurpatos, de oblatione tamen donorum nihil habet, multò minus de ſacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti repetito. Eſt & inter Græcos Cyrillus Hieroſolymitanus, qui veteris Eccleſiæ Liturgiam nobis in Catecheſibus Myſtagogicis tradit. In Catecheſi V. oblatio fere eadem recenſetur, quæ in Conſtitut. Apoſtolicis exſtat, & ſupra à nobis recenſita eſt. Ita enim ibi: *Spiritualibus hiſce hymnis noſmet ſanctificantes, DEUM benigniſſimum obſecramus, ut ſanctum ſuum ſpiritum in propoſita demittat, qui faciat panem quidem corpus Chriſti, vinum vero Sanguinem Chriſti: Omnino enim, quicquid ſanctior ſpiritus attigerit, id ſanctificatum eſt atque transmutatum.* Quæ autem τὰ προκείμενα ſcil. δῶρα hic nuncupat, ea alibi προκειμένην vocat θυσίαν, cum ait: *Deinde & pro iis, qui ante obdormierunt, Sanctis Patribus, & Epiſcopis & ſimpliciter omnibus, qui inter nos jam quieſcunt; maximo ſtatuimus emolumento fore, eorumque animabus, pro quibus ſancti ac venerandi ſacrificii preces offeruntur.* Quinimo & poſt conſecrationem aliam refert oblationem ſymbolorum, quæ in Corpus & Sanguinem Chriſti mutata refert, uti ex his verbis facile patet, quæ poſt ea, quæ primum allegavimus, ponit: *Deinceps confecto iſto ſpirituali ſacrificio cultuque incruento, in propitiatione ſacrificii il-*

*lius*

*lius Deum rogamus pro communi Ecclesiarum pace . . . . . Et insimul pro omnibus auxilii indigis te oramus & hocce tibi sacrificium offerimus.* Præcipua itaque oblatio, eaque quæ sacrificio Eucharistico essentialis est, juxta Cyrillum consecratio dici debet, quæ vocatur λατρεία ἀναίμακτος, panem vinumque in Corpus & Sanguinem Christi transmutans, ita ut sacrificium hac consecratione perfectum sit θυσία ἱλασμοῦ sacrificium propitiatorium, post consecrationem quoque pro aliis offerendum. Nec negari omninò potest, sententiam Cyrilli placitis Ecclesiæ Romanæ proximam esse. Notandum tamen, alios Patres à Cyrillo plurimum dissentire. Mirè enim hîc omnes variasse, quotquot de oblatione Eucharistica post elapsum tertium seculum loquuntur, ipsa ostendit locorum, quæ produci possent, collatio. Sunt enim, qui sacrificium in Eucharistia oblatum ipsum Corpus Sanguinemque Dominicum esse asserunt. Sunt & alii, qui panem vinumque saltem in repræsentationem sacrificii crucis offerri ajunt, iidemque sæpè Patres de eodem hoc argumento diversimodè pronunciant. Supra jam aliqua protulimus dicta, quibus sacrificium Eucharisticum nudam esse commemorationem sacrificii crucis asseritur, inter quæ & Chrysostomi quoddam posuimus effatum, qui tamen alibi in Eucharistia Corpus Sanguinemque Christi immolari & offerri haud obscurè innuit. Scilicet, controversiâ de sacrificio Eucharistiæ illo tempore nondum natâ, quæ hodiè Ecclesiam scindit, securius ii loquebantur, ut in utramque ideò partem adduci eorum queant testimonia. De Liturgiis tamen Græcis aliqua dicenda nobis restant.

Variæ autem eæ ſunt, &, quod omnes ferè jam fatentur, ſuppoſititiæ Jacobi, Matthæi, Marci, Petri, Baſilii, Chryſoſtomi, Liturgiæ, quæ in Conſtitutionibus Apoſtolicis exſtat, haud abſimiles. In Liturgia Jacobi oblatio, quæ conſecrationem præcedit, ita exprimitur: προσφέρομέν σοι, δέσποτα, τὴν φοβερὰν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν. In liturgia Marci hoc modo: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προεθήκαμεν ἐνώπιόν σου, quæ clariſſime oſtendunt, nonniſi panem vinumque offerri, hancque oblationem, ſi externam ſpectes actionem, nihil aliud eſſe, quam appoſitionem propoſitionemque donorum conſecrandorum, cùm conſecratio iſta demùm verba ſequatur. Eadem ferè ſed prolixiora in Liturgia Petri ſunt: *Tua ex tuis offerimus venerandæ majeſtati Tuæ, ex donis tuis atque muneribus ſacrificium purum, ſanctum, inculpatum, panem ſanctum vitæ æternæ, & poculum ſalutis perennis, quæ tu miſericorde atque propitio vultu aſpicere digneris.* Quæ omnia utique nonniſi de ſolo pane & vino dici poſſunt. In Liturgia Baſilii ante conſecrationem dicta iſta leguntur: *Tua ex tuis offerentes juxta omnia & propter omnia*: & poſt pauca: *Confidenter accedimus ad altare tuum ſanctum, & proponentes antitypa ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui te rogamus &c.* In Liturgia Cyrillo Alex. adſcripta itidem oblatio conſecrationem præcedit, panemque & vinum, quæ altari impoſita ſunt, ſaltem reſpicit. Repetuntur & hæc in Liturgia Chryſoſtomi: *Tua ex tuis offerimus ſecundum omnia & propter omnia . . . . adhuc offerimus tibi rationalem hanc atque incruentam oblationem*, quæ ipſa ſubſequitur ἐπίκλησις conſecra-

toria

toria. Excipit tamen & hanc oblatio eâdem fere ratione, quam ſupra in Conſtitutionibus Apoſtolicis obſervavimus, precum ſcilicet & donorum quoque euchariſticorum, ſi quidem & hæc poſt conſecrationem denuo oblata olim fuiſſe ſtatueris, ita tamen, ut corpus ſanguisque Chriſti nullibi dicatur offerri, cùm à ſola conſecratione etiam præſentia eorundem non dependeat, aut ſaltem crediddiſſe videantur Veteres, ſe dona conſecrata offerendo ſymbola ſaltem eorundem offerre, quod & ex Liturgiis Latinis mox commemorandis ad oculum patebit. Cæterum, cùm Orientales Liturgiæ è Græcis verſæ, atque ab editoribus corruptæ admodum ac interpolatæ ſint, de iis prolixius hîc agere, oblationisque ritum ex iisdem explicare non attinet. Tres autem in Eccleſia Græca προσφορὰς in adminiſtratione euchariſtiæ perfici heic notandum eſt. Prima fit ἐν προθέσει, ubi panes conſecrandi cum vino apponuntur, & hîc ſtatim perficitur ſacrificium, dum legitur: *Sacerdos panem ſacrificat forma crucis, dicens: Sacrificatur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Id quod εἰς ἀνάμνησιν Χριςοῦ, pane nondum conſecrato, fieri dicitur. Secunda προσφορὰ eſt donorum altari impoſitorum cum precibus: *Benedic donis hiſce propoſitis, eaque in altare tuum ſupra cœleſte ſuſcipe.* Nec dici poteſt, hanc προσφορὰν vel θυσίαν conſiſtere in nudis precibus. Etſi enim in Liturgia Chryſoſtomi δέησις appelletur θυσία αἰνέσεως, τὰ δῶρα tamen præcipuè vocantur θυσίαι πνευματικαὶ, offerendæ ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων. Tertia προσφορὰ perficitur verbis, quæ memoravimus: τὰ σὰ ἐκ τῶν

σῶν περσφερομένων. Quæ omnia nondum ſacrificium corporis Chriſti, quod in euchariſtia vetere factum eſſe perhibetur, innuunt*.

§. XL.

A Liturgiis Græcis ad Latinas progredimur, &, quæ prolixè hic dici poſſent, in compendio damus. Mirum eſt, Ambroſium in libro de iis, qui myſteriis initiantur, nihil omnino de oblatione dicere, ſi quidem is Autor ejus ſit, de quo Viros doctos dubitare video. Alterum verò de ſacramentis librum Ambro-

* Juvat hîc in notâ adducere preces oblatorias, quas Gabriel Severus, Metropolita Philadelphenſis, κατὰ τῶν λεγόντων, τὰς ὀρθοδόξους κτλ. p. 5. 6. deſcripſit, quas & p. 130. in notis ad Irenæum heic nos allegaturos promiſimus: *O Deus, Deus noſter! qui panem cœleſtem, cibum orbis univerſi, Dominum noſtrum ac Deum Ieſum Chriſtum demiſiſti Servatorem ac Salvatorem & Benefactorem, nobis qui benedicat nosque ſanctificet, benedic & ipſe huic, quod propoſitum eſt, idque ſuſcipe in cœleſte tuum altare, Recordare quæſumus tanquam benignus atque mitis eorum qui offerunt, & propter quos obtulerunt, & conſerva nos absque condemnatione in miniſterio Sanctorum myſteriorum tuorum: quoniam ſanctificatum eſt atque glorificatum ſumme ab omnibus venerandum & magnificum nomen Tuum, Patris & Filii & Spiritus S. & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.* Addit deinde Gabriel: *His igitur precibus abſolutis, qui ante erat communis & ſimplex, redditur ſtatim virtute ac efficacia eadem ſingularis atque ſanctus panis & vinum, peculiaris quidem, quia non ab omnibus comedendus, ſanctus autem donumque venerabile ac divinum, quia contenta atque determinata materia neceſſario transmutatur in carnem ac ſanguinem Chriſti.* Cæterum apparet, hanc oblationis formulam in adminiſtratione Liturgiæ omnino conſecrationem præcedere.

Ambrosii haud esse, communis ferè est sententia, quam suo calculo ipse Card. Bona quoque approbavit de reb. Liturg. L. I. C. VII. §. 4. Memoratur ibi oblatio, tùm quæ consecrationem antecedit, tum quæ illam sequitur, eademque omnino est, quæ in hodierno Missæ Canone legitur. Cæterum, ante omnia observandum est, nullam dari Liturgiam Latinam, quæ seculo V. sit antiquior, variasque olim in variis Ecclesiis obtinuisse Missarum formulas. * Ex quibus paucissimæ saltem eæque interpolatæ ac incertæ admodum originis ad nos pervenere. Quæ Ambrosiana dicitur Missa, falso, uti arbitror, superbit titulo, atque ita interpolata est, ut impressæ etiam editiones à se invicem dissideant. Cùm verò Canon Missæ Ambrosianæ idem cum Romano sit, nihil est, quod de eodem peculiariter hìc notandum veniat.

 In

* Quæ hic dicimus, autoritate Jo. Bonæ Card. confirmanda sunt, qui ait, Missalia olim tam diversa tamque varia fuisse, *ut singuli Episcopi pro suo arbitratu vel pro loci conditione aut patriæ moribus aliquid vel addiderint vel subtraxerint, sibique propria officia composuerint; idemque* addit, *fecisse ordinum religiosorum præfectos & dum unus unam, alius aliam partem mutaverit, à vestigiis & institutione primorum Auctorum eos deflexisse.* Quæ in sequentibus ita exaggerat: *Hæc autem licentia quidlibet pro arbitrio audendi sine certa lege & disciplina adeo quandoque excrevit, ut in multis Codicibus adhuc extent officia, Missæ, hymni, orationes, quæ sine risu vel potius indignatione legi non possunt.* Rer. Liturg. L. I. C. VII. §. 6. Cæterum nemo est, qui istam diversitatem diffiteatur, licet magni ea momenti sit. Hinc idem Bona in Præfat. ad Libros Rer. Liturg. ait: *inextricabiles esse difficultates in singulis ritibus divinæ Liturgiæ explicandis ac è ruderibus antiquitatis in lucem proferendis, qui cum profundis tenebris sepulti sint, quædam dumtaxat tenuissima vestigia apud priscos scriptores reliquerint.*

In hac vero Miſſa Ambroſiana, uti apud Pamelium in Liturgicis Latinorum T. I. exſtat, oblatio præcedit conſecrationem, nec offertur niſi panis& vinum, diciturq; hæc oblatio mundare & purgare offerentem ab omnibus peccatorum maculis. Vide l.c.p.298. conferatur & de ea Mabillon Annal. T. IV. De Miſſa, quæ ante Gelaſium I. in uſu fuiſſe fertur, dicere nîl attinet, cùm nec una ſolùm, ſed diverſæ Miſſarum, quod jam obſervavimus, formulæ olim exſtiterint, nec conſervata quoque eadem ſit, ſed injuria temporum perierit. De Gelaſiana verò pronunciare admodum eſt difficile. Nec enim Codex iſte ſacramentarius, quem Joſephus Maria Thomaſius Romæ MDCLXXX. edidit, Gelaſii ætatem fert, * aut, ſi mavis, ita eſt interpolatus, ut certi quid ex eo concludere haud valeamus. Age Loca quædam inde huc transferamus,illud ipſum quæ comprobare queant. L.I. Sacr. Eccl. Rom. ſ. Codex Gelaſ. hanc habet ſecretam. p.19. *Præſta, quæſumus, Domine, ut per hæc munera,quæ Domini Jeſu Chriſti arcanæ nativitatis myſterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam conſequamur.* Porro eodem L.I. in Dominica V. pro Scrutinio Fer. VII. p.44. hæc habetur Secreta: *Offerimus TIBI Domine munera, quæ dediſti; ut & creationis Tuæ circa mortalitatem noſtram teſtificentur auxilium,& remedium immortalitatis operentur.* Ita ſcil. ſæpiſſime in Codice Gelaſiano ſacrificiis ante conſecrationem oblatis expiatio, propitiatio, emundatio à peccatis, imo ipſa ſalvatio adſcribitur. L. III. Sacr. Eccl. Rom. p.191. Secreta eſt: *Concede nobis hæc,quæſumus Domine,frequentare myſteria, quia quoties hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemtionis exercetur, & pag.*

202.

* Primus hoc demonſtravit Basnage in Hiſt. de l'Egl. l.16. c.10.

202. *Suſcipe, Domine quæſumus, hoſtiam redemtionis humanæ, ac ſalutem nobis mentis & corporis operare placatus.* Lib. I. Feria III. Dom. in Albis Secreta habetur: *Hoſtias, Domine quæſumus, placatus aſſume, quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus & adceleratione cœleſtis auxilii. p. 88. Fer. IV. Suſcipe quæſumus Domine hoſtias redemtionis humanæ &c. p. 89.* Lib. cit. in Aſcenſ. Domini Secr. *Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent & mentibus noſtris ſupernæ gratiæ dent vigorem. p. 101.* Lib. II. in XII. Lectiones die Sabbathi Secreta occurrit: *Hæc hoſtia, Domine quæſumus, & vincula noſtræ iniquitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. pag. 174.* Jam vero eadem fere dicenda nobis ſunt de Miſſalibus Gothicis, Gallicanis & Francicis, quæ in Libris de Liturgia Gallicana dedit diligentiſſimus veterum monumentorum collector Johannes Mabillonius. Ut enim ætas eorum determinetur auctoreſque nominentur, quibus eadem adſcribi poſſint, aut Eccleſiæ, quæ uſæ eis fuerint, miris agendum conjecturis eſt, quæ nec certitudinem pariunt, nec argumentum noſtrum multum illuſtrant. Obſervandum tamen hic eſt, in Miſſali Gothico plures eſſe Miſſas, ubi nec ſacrificium nec oblatio * memorantur. Sunt & aliæ in quibus oblatio dicitur ante conſecrationem facta, pauciſſimæ vero, in quibus dona conſecrata offeruntur. Oſtendunt hæc, Veteres haud credidiſſe, quod ad Euchariſtiam ritè celebrandam oblatio requiratur, ritumque hunc habuiſſe pro acceſſorio, qui & ſer-



* Quod tamen falſum videri queat, quia in iſtis miſſalibus, quæ edidit Mabillonius, Canon ſemper omittitur, ne eadem ſemper repetantur, (etſi ſemper dictus ſit) ubi tamen ſemper eſt oblatio.

servari & omitti sine crimine possit. Quinimo, si sententiam Veterum ex Missalibus istis dare velimus, dicendum erit, quod oblatio consecrationem olim ita præcesserit, ut nonnisi dona consecranda fuerint oblata. Hæc enim semper ferè his in precibus consistit: *Ut dona oblata benedictione divina sanctificentur. Hanc oblationem, tu DEUS in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere dignare: quæ nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui*, quod in Missali Francorum sæpius exstat. Ita & in Missali Gothico orat Sacerdos: *Uti DEUS hoc sacrificium suscipere & benedicere, & sanctificare dignetur, ut fiat Eucharistia legitima.* Et in Missa S. Leudigarii: *Offerimus tibi hunc panem sanctum & calicem salutarem, obsecrantes, ut infundere digneris Spiritum tuum Sanctum.* Ex quibus omnino patet, oblationem donorum apud Veteres nihil aliud fuisse, quam actionem illam externam, quâ symbola altari imposita fuerunt, additis precibus, queis Deus exorabatur, ut eadem sanctificaret. Id quod nemo hodie est, qui male factum fuisse asserat. Eadem ferè de Missa Hispanica sive Mozarabica dici possunt. Præcedit hic semper oblatio consecrationem: *Acceptabilis sit majestati tuæ, omnipotens, æterne Deus, hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Docent hæc, panem vinumque nondum consecrata in propitiationem peccatorum olim oblata fuisse, quod nec ipsa Ecclesia Romana hodie admittit. Porro: *Offerimus tibi, Domine, calicem, ad benedicendum Sanguinem Christi Filii tui: deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divi-*

*divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis adscendat.* Additur: *Hanc oblationem, quæsumus, Domine, pacatus admitte, & omnium offerentium, eorumque, pro quibus tibi offertur, peccata indulge.* Repetitur oblatio: *Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes nostri, Papa Romensis & reliqui pro se & pro omni clero, & plebibus Ecclesiæ sibimet consignatis & pro universa fraternitate.* Post plura sequitur oratio consecratoria: *Adesto, adesto, Jesu bone, Pontifex in medio nostri: sicut fuisti in medio Discipulorum tuorum, & sanctifica hanc oblationem, ut sanctificata sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine & Redemtor æterne!* Sequuntur deinde verba institutionis, quæ oratio *post pridie* dicta excipit, ubi: *Sanctificans hæc, quæ tibi offerimus, nos ipsos benedicas perceptione hostiæ hujus, te præstante, sancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis ac præstas nobis.* Missa Gregorii II. Græcorum Liturgiam ferè sequitur. Ita enim oblationem exprimit: *Offerimus tibi hæc sacrificia tua ex iis, quæ tua sunt per omnia & propter omnia in omnibus*, quæ ipsa ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου πνεύματος pone sequitur. Nec ulla amplius oblatio postmodum memoratur. In Missa à Matthia Flacio, Illyrico, Carolo le Cointe itemque Jo. Bona edita, eadem ferè observare licet, etsi quænam illa sit, hactenus non liqueat, cùm Bona Missam Romanam eam esse asserat, ab Episcopo quodam propria autoritate interpolatam, Mabillonius verò in usum Monasterii S. Petri Hornbacensis in Diœcesi Metensi confectam fuisse arbitretur de Lit. Gal. L. I. C. III. §. 4. p. 17. 18. Ibidem ante consecrationem dicitur: *Domine Deus .....*

*obse-*

*obsecrantes postulamus benignitatem tuam, quia in timore sumus & tremore, volentes assistere ante sanctum & gloriosum altare tuum, ut emittas super nos donum gratiæ Spiritus S. ut innoves animas nostras & corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium, donum fructiferum in remissionem peccatorum nostrorum & populi tui, per gloriam & humanitatem Jesu Christi Filii tui.* Quando quis oblationem in manum Episcopi vel Presbyteri offert, dicere jubetur: *Tibi Domino Creatori meo offero hostiam pro remissione omnium peccatorum meorum & cunctorum fidelium tuorum vivorum ac defunctorum. Tibi Domino Creatori meo offero hostiam placationis & laudis pro me & pro Rege nostro & Antistite nostro ac pro cuncto populo Christiano: peto Domine, ut des nobis vitam æternam.* Orant deinde Episcopus vel Presbyter similiterque Diaconus, *ut sancta Trinitas hanc oblationem suscipiat.* In Missali Gothico in Missa Dominicali p. 391. edit. Rom. hæc habetur Collectio: *Accepta tibi sit Domine, nostræ servitutis oblatio: quæ nos & à reatibus nostris absolvat, & ab imminentibus malis eripiat per Christum Dominum nostrum.* Quæ omnia cùm de oblatione laica dicta sint, quæ hodie abrogata est, nec in Codice Gelasiano ullibi dicatur offerri Corpus & Sanguis Christi; sed oblatio semper consecrationem præcedat, consistatque in oblatione panis & vini: mirum videtur, ei propitiationem peccatorum adscribi. Addit postea has preces Sacerdos altari assistens: *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi & in honorem sanctorum tuorum . . . Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero*

*offero pro innumerabilibus peccatis atque offensionibus meis, pro omnibus in Christo fratribus ac sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, pro salute vivorum, & infirmis, imò & pro defuncto, ut per hoc salutare sacrificium purgata ejus anima sanctorum tuorum consortio coadunari mereatur.* His precibus factis aliæ adjiciuntur: *Sanctifica Domine hanc oblationem, ut NOBIS* (ergo præsentia realis nonnisi in usu se exerit) *unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat . . . . Offerimus tibi, Domine, calicem salutis, & deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.* Et iterum: *suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut redemtione nostra & etiam totius mundi in conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat . . . . Oblatum tibi Domine calicem sanctifica, ut*(NB.) *NOBIS unigeniti tui D. N. Jesu Christi Sanguis fiat. . . . n nomine Patris & Filii & Spiritus S. sit signatum, ordinatum, sanctificatum & benedictum hoc sacrificium novum.* Quibus finitis incipit Sacerdos; *Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi*, & deinde ad consecrationem progreditur, Romano Canoni similem. Codex autem Gelasianus eundem cum Gregoriano Canonem habet, unde puto, Gelasianum non esse, quia Gregorius expresse dicit, se Canonem mutâsse. Verba ejus infra occurrent in Diss. de Consecr. Euchar. Cæterum, cum hic omnia ferè, quæ in antiquis exstant Missalibus, in unum collata in se comprehendat, sola Sp. S. ἐπικλήσει exceptâ, eum hîc apponemus, ut quid sacrificium Missæ sit, ex ipsis Missæ

Missæ verbis liceat concludere. Ita autem in Libro Sacramentorum Gregorii M. verba habent: *Te igitur, Clementissime Pater, per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: inprimis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum Ill. & Ill. & omnium circum adstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio: qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro spe salutis, pro redemtione animarum suarum, & incolum tatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo, vivo & vero .... Hanc igitur oblationem servitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi & in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Christum dominum nostrum. Quam oblationem tu Dominus in omnibus quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem* acceptabilemque facere digneris, ut NOBIS* ( scil. vescentibus, uti A. C. Art. X. habet: ex quo sanè patet, præsentiam realem nonnisi in usu sese exercere.) *Corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini Dei nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur &c.* Inseruntur hîc verba Institutionis consecratoria. *Unde & memores, Domine, nos tui servi, sed & plebs tua sancta Christi Filii tui, Domini Dei nostri*

* Addit hîc Liturgia antiquissima, ab Ambrosio L. IV. de sacr. C. 5. recensita: *quod est figura corporis & sanguinis Domini Iesu Christi.*

*ſtri, tam beatæ paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis ſed & in cœlos glorioſæ aſcenſionis, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ* de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ*, *ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Suplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus* **. S. Angeli tui *in ſublime altare tuum, in conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumſerimus; omni benedictione cœleſti & gratia repleamur per Chriſtum Dominum noſtrum. . . . Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis.* Et poſt pauca additur Oratio Dominica, quæ Canonem concludit. Obſervamus hîc I. panem & vinum ante conſecrationem offerri & vocari ſacrificia ſancta & illibata, oblationem benedictam, ratam, rationabilem, denique ſacrificium laudis, quod cum precibus offerantur, gratiam divinam impetrantibus. II. Rogari Deum ante conſecrationem, ut accepta habeat hæc ſacrificia, prout poſt conſecrationem rogatur, ut ea propitio vultu reſpicere digne-

* Hæc ex Liturgia Petri deſumta ſunt, & exſtant in eadem ante conſecrationem. Vide, quæ ſupra jam poſita ſunt. Eadem habet Liturgia antiquiſſima, ab Ambroſio de ſacr. L. 4. C. 6. recenſita.

** Ambroſius l. c. *Angelorum tuorum.*

dignetur. III. panem & vinum jam ante consecrationem offerri pro spe salutis & redemtione animarum; adeoque oblationem panis & vini juxta Canonem Missæ jam esse sacrificium propitiatorium. IV. Non nisi eadem & post consecrationem offerri. Quod ex quatuor probamus rationibus, α quia vocantur *panis** *sanctus* vitæ æternæ & *calix* salutis perpetuæ, nullibi autem in Canone dicitur, *corpus* & *sanguinem* Christi offerri. β quia rogatur DEUS, ut *supra ea propitio ac sereno vultu respicere dignetur*, quo respexit supra sacrificia veteris Testamenti. Ast vix comprehendi potest, quâ ratione rogari Deus** possit, ut corpus sanguinemque Filii sui charissimi sereno vultu respiciat ***. γ quia preces adduntur queis flagitatur Deus, *ut jubeat hæc perferri per manus sancti Angeli sui in sublime altare suum*. Hîc enim quia proprium altare in terris non amplius exstat, lege de sacrificiis cærimoniali abrogata, altare cœleste memoratur: de corpore autem Christi dicere, id per manus Angeli creati in conspectum divinæ majestatis perferendum esse, utique Majestati Salvatoris ad

* Hoc ἐπίθετον *sanctus* non innuit, panem non amplius esse panem, sed Corpus Christi; quia jam ante consecrationem dicitur *hæc sancta sacrificia illibata*.

** Is, qui bis clamavit de cœlo: Hic est dilectus Filius meus, in quo complacui! & cujus sacrificium ad Deum ascendit jam in cruce cum suavi odore Eph. V. 2. Vide omnino du Pin T. 18. p. 32. T. 19. p. 364. 370. Bona Opp. p. 125. b.

*** Quemadmodum super sacrificia Abelis, Abrahæ & Melchisedechi, quæ vultu malè propitio respici poterant, nisi rectè oblata fuissent; adeoque cum his sacrificium Missæ conferri non posset, nisi esset solius panis ac vini.

ad dextram Patris sedentis haud convenit. δ quia hæc, quæ post consecrationem offeruntur, dicuntur à Deo bona creari, sanctificari, vivificari, benedici & præstari nobis, & quidem *per Christum* *. Quæ omnia corpori sanguinique Dominico sanctissimis atque purissimis iterum applicari nequeunt, insimulque docent, veterem Ecclesiam præsentiam realem non sola consecratione effici credidisse, sed totum eucharistiæ actum *usumque*, quem vocamus, ad eam efficiendam requisivisse.

## §. XLI.

Non est instituti nostri, ea quæ ad difficultates propositas regeruntur, prolixa refutatione examinare. Novimus, quæ post multos alios reposuit Bossuetus in explicatione quarundam difficultatum in precibus Missæ occurrentium, ubi quicquid eruditio stylique elegantia & argumentandi artificium poterat suggerere, ad Romanæ Ecclesiæ sententiam de sacrificio Missæ defendendam, adhibuit. Ast nimis clara sunt quæ nos dicimus, nullisque plane artibus infringenda; nec tanti res est, clarissima quoque verba in sensum contrarium, qui nobis placet, detorquere. Qui tamen, quæ & Bossueto reposita fuere, legere gestit, adeat Historiam Ecclesiæ Gallico idiomate scri-

Bb ptam

* Itaque ista, quæ bona creantur, sanctificantur &c. per Christum, non sunt Christus, per consequens, non sunt corpus & sanguis ipsius. Ita etiam L. I. Sacr. R. E. sive Codex Gelas. in benedictione olei sive Chrismatis p. 69. de oleo: *per quem hæc omnia semper bona creas:* & L. III. p. 245. ubi oratio ad fruges novas benedicendas: *per quem hæc omnia semper bona creas.&c.*

ptam à Celeberr. Basnagio, & quidem L. XV. C. IV. §. 7. L. XVI. C. X. §. 2. 6. C. XI. T. II. f. 876. 877. 947. sqq. 955. sqq. Cæterum, non dissimulandum est, Bossuetum ex Liturgiis latinis loca producere, ubi corpus ipsum Jesu Christi offerri dicitur. Sed nihil utique aliud ex istis deduci potest, quam veteres Liturgias sibi non ubique constare, & ea nobis sistere, quæ secum invicem pugnant. Porro qui attentis oculis easdem perlustraverit, ultrò fatebitur, loca illa rariora esse, in quibus Christi corpus offerri dicitur, oblationemque primariam veteris Ecclesiæ non ex particularibus quibusdam Missis, sed ex Canone omnibus communi esse judicandam. Nec testimonia veterum Patrum, & qui eos secuti sunt, Scholasticorum hîc producere animus est, quibus conficitur, sacrificium Missæ nihil aliud esse, quam commemorationem & repræsentationem sacrificii in cruce facti. Quod utique fassi sunt ii, qui post Augustanam Confessionem Carolo V. exhibitam de concordia cum nostris egere, tandemque asseruere: *porro in Missa quotidie offertur* Christus *mysterialiter & repræsentative in memoriam suæ passionis & oblationis semel in cruce factæ. Est ergo Missa non revera victima, sed mysterialis & repræsentativa.* Quæ sententia deinde in Synodo Provinciali A. MDXXXV. Coloniæ habita repetita fuit. Collegere isthæc testimonia Chytræus in Historia Aug. Confess. Gerhardus in Confessione Catholica eo loco, ubi de sacrificio Missatico agit, Calixtus de sacrificio Christi semel in cruce facto & initerabili, denique Vir clarissimus Jo. Franc. Buddeus in dissertatione, qua demonstret, Clementem Romanum atque Irenæum non favere Missæ Pontificiæ §. 29. p. 52. sqq. Cùm his

quomo-

quomodo conciliari possint ea, quæ in Concilio Tridentino Sess. XXII. Can. II. dicuntur, difficile est perspectu. Ita enim ibi: *Si quis dixerit illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.* Scilicet hoc Canone omnium eorum Patrum & Scholasticorum, imò & Liturgiarum omnium veterum damnatur sententia, quâ panis saltem vinumque in commemorationem & repræsentationem sacrificii crucis offerri dicuntur. Unde & congruus sensus Can. I. & III. dari nequit, ubi sacrificium Eucharistiæ *verum, proprium & propitiatorium* dicitur, cùm per hoc *sacrificium Corporis Christi repetitum* intelligatur.

## §. XLII.

Superest, ut de sententia Ecclesiæ Anglicanæ circa oblationem Eucharistiæ quædam dicamus. Prima, quam sub initium Reformationis eadem tenuit, Liturgia ab Eduardo VI. Rege Angliæ præscripta fuit, A. MDXLIX. edita. * Hic in con ecratione

 ista

* Pro hâc ipsa restituenda Londini anno 1717. Libellus prodiit scriptus sub Titulo: Reasons for restoring some prayers and directions as they stand in the Communion service of the first English reform'd Liturgy compiled by the Bishops in 2. & 3. years of the Reign of King Eduard VI. London 1717. 8. Sed refutatus in alio quodam, qui inscribitur: No reason for restoring the prayers and directions of Eduard VI. s' first Liturgy. by a Nonjuror. London. 8. Vide Nova literaria Lips. idibus Februar. 1718. n. IV. p. 42. Imo ipsa hæc Eduardi VI. prima Liturgia denuo prodiit, ita inscripta: The for

m

ista ponuntur verba : *Audi nos, Pater misericors, te precamur, & Sancto Spiritu tuo dignare benedicere & sanctificare hæc dona & creaturas panis & vini, ut sint nobis Corpus & Sanguis charissimi Filii tui Jesu Christi, qui eâ nocte, quâ proditus fuit, accepit panem, &c.* Subjicitur oblatio, sed spiritualis & in precibus consistens, quibus rogatur DEUS, ut hoc *sacrificium laudis & gratiarum accipiat.* Denique additur: *Hîc tibi offerimus & præsentamus, Domine, nosmetipsos, nostras animas & corpora, ut sint tibi rationabile, sanctum & vivum sacrificium.* Quæ utique egregia sunt, transsumta, ut arbitror, ex Gregor. Nazianz. Apolog. verbis, quæ in notis nostris ad Irenæi fragmenta p. 117. allegavimus. Mutata autem fuit postmodùm in pluribus ista Liturgia, ex consilio Buceri aliorumque, quibus ista displicebant. Ἐπίκλησιν quippe Spiritus S. quæ tamen in antiquissimis exstat Liturgiis, rejiciebant, verbis consecrationis ita inversis : *Audi nos, Pater misericors, humillime te invocamus, & concede, ut accipientes has tuas creaturas panis & vini juxta sanctam institutionem Filii tui Salvatoris nostri, memoriam mortis & passionis ejus recolentes, participes fiamus benedicti ipsius Corporis & Sanguinis, qui in eadem nocte, &c.* Utramque tamen hanc consecrationis formulam conjunxit atque in unam conjecit orationem Guil. Laudus, Archiepiscopus Cantuariensis, in Liturgia Scoticis Ecclesiis præscripta, A. MDCXXXVII. Edinburgi editâ

and manner of consecrating and administring the holy communion, according to the Liturgy of king Eduard VI. called the book of common prayer and administration of the Sacraments and ceremonies of the church after the use of the church of England. London. 1717. 8.

tâ, sed in Synodo Glasgoviensi postmodùm rejectâ. Cæterum, qui Theologorum Anglicanorum scripta legerunt, nôrunt utique, eos de oblatione Eucharistiæ multa disserere, pluresque esse, qui sacrificium Eucharistiæ verum, proprium atque propitiatorium nuncupent, uti videre est ex testimoniis Overalii, Andreæ, Laudi, Medi, Taylorii, Heylini, Bramhallii, Thorndickii, Potteri, Beveregii, Stillingfleeti, Bulli, Dodwelli, Grabii aliorumque, quæ ex parte collegit Vir reverendus Georgius Hickesius, * qui ipse hoc de argumento cum Hancockio, Wisio aliisque disputavit, accedente tandem ad pugnam hanc Theologicam *Reverendissimo Episcopo Norvicensi Trimnellio*, cui post Anonymum, qui de oblatione propitiatoria Eucharistiæ scripsit, respondit quoque Vir doctissimus Jo. Johnsonius in Tr. Angl. de sacrificio incruento: de hoc argumento in favorem Hickesii scripsit etiam D. Brett. Repetendum tamen hic est, quod & supra observavimus: id Eucharistiæ sacrificium, quod statuunt Theologi quidam Anglicani, diversissimum omninò esse à sacrificio Missæ, cùm hoc in sacrificio Corporis & Sanguinis Dominici repetito, illud verò in oblatione panis & vini, quæ Mysticum Christi Corpus sunt verumque tantùm repræsentant, consistat. Ut vero sententiam nostram candide dicamus, omninò arbitramur, hanc de oblatione panis vinique controversiam in meras λογομαχίας abire. Panem quippe vinumque, quibus Eucharistia conficitur, Deo consecrandum, dedicandum, precibusque offerendum esse quis negaverit?

 Quod

* Vide *his second Collection of controversial letters* and *the Christian Priesthood asserted.*

Quod si & addideris, hanc oblationem à Christo primùm factam esse, utpote qui gratias Deo egerit, accepto pane, Ecclesiam quoque primitivam semper hanc oblationem continuâsse, denique hoc sacrificium proprium esse ac propitiatorium, quia precibus cum oblatione conjunctis propitiatio per Christum facta nobis applicetur, nullum tamen exinde probari poterit sacrificium Missaticum, nullus error cum veritate divina pugnans. Quinimo ausim dicere, eos, qui hîc dissentiunt, in re ipsa convenire, verbis autem in diversa tendere, quod in definitione sacrificii propriè sic dicti & propitiatorii à se invicem distent, ad quam denique tota illa devolvitur controversia. Id unum miramur, Viros quosdam doctissimos, maximè verò Jo. Ern. Grabium, amicissimum nobis, dum viveret, Reformatoribus Ecclesiarum Protestantium dicam scripsisse, quòd sacrificium veteris Ecclesiæ abrogaverint. Id enim quod abrogarunt, fuit sacrificium Missæ, quod nobiscum ipsemet rejecit Grabius, qui transsubstantiationem præsentiamque realem juxta articulos Ecclesiæ Anglicanæ negavit. Cæterum, cùm nullus oblationis ritus in antiquiore fuerit Ecclesia, quàm is, quo dona consecranda altari imponuntur, aut elevantur, aut à Sacerdote ostenduntur, dum fit consecratio, non habebat Grabius, quod hîc objiceret. Preces quoque Liturgicas & consecratorias, quibus perficitur oblatio, nec in Ecclesia Anglicana, nec alibi proscriptas fuisse idem novit. Ast præcipuum quod desideravit, vel desiderare potuit, est, ut ἐπίκλησις Spiritus Sancti restitueretur, ipsaque oblationis vox in precibus memoraretur. Hoc posterius, ut arbitror, eapropter absolutè necessarium

non

non eſt, quia eadem in ipſis inſtitutionis verbis haud exſtat. Quod verò prius concernit, nemo utique diffitebitur, eas preces, quibus Spiritus Sancti invocatio annectitur, egregias eſſe tantoque ſacramento dignas, antiquiſſimas inſimul ac vetere in Eccleſia, maximè Græca, ſemper adhibitas. Aſt non ſunt Reformatores noſtri, qui eas abrogavere, cùm in Canone Miſſæ Romanæ non amplius exſtent. Nec ſine iis conſecrationem haud eſſe validam cogitare quis poterit, cum utique ad certas φράσεις conſecratio non alligata ſit. Denique antiquiſſimus, qui hanc ἐπίκλησιν memorat, Scriptor eſt Irenæus, qui in ſecundo demum ſeculo vixit. Credidit tamen Grabius, eam eſſe neceſſariam, eaque propter, quum ſacra communione uſus eſt, accepit Sacramentum à Sacerdote, qui peculiarem adhibebat Liturgiam, Liturgiis veteris Eccleſiæ magis reſpondentem. Fuit iſte, uti Whiſtonus * refert Vir Reverendus, Eduardus Stephani **, qui eandem edidit ſub titulo

 *Litur-*

* In præfatione libri: *the Liturgy of the Church of England reduc'd nearer to the primitive ſtandard.* London. 1713. b.

** Addimus hîc verba Whiſtoni, ex quibus iſta hauſimus, loco jam citato exſtantia: *The Reverend and pious* Mr. Edvvard Stephens *alſo has not only declared himſelf vvith great zeal of the ſame opinion, but did actually dravv up ſeveral years ago an excellent Liturgick Form for its celebration, in a great agreement vvith that original Liturgy and its correſpondent Form in the* Scotch Liturgy, *and did moreover actually put it in practice, and that openly in* London, *for many years together, to his ovvn and his congregations great comfort and ſatisfaction. Nay the very learned and pious Doctor* Grabe *vvas ſo great an admirer of the ſame Euchariſtical Form, that, vvhile he durſt not receive the communion in publick, on account of its*

*Liturgiæ Veterum repræsentatæ* *, à Liturgia Scotica haud multum diversam. Denique & ipse Whistonus novam Liturgiam edidit, ad veterem à se exactam, ubi post verba institutionis ista ponit: *Hic offerimus & præsentamus tibi, Domine, hæc tua dona in memoriam pretiosi corporis & sanguinis charissimi*

*present deviation from all the primitive Liturgies in some part of that celebration, he did it to his great joy and satisfaction with Mr.* Stephens, *in that particular Congregation.*

* *The liturgy of the ancients represented as near as well may be in in English forms, whit a preface concerning the restitution of the most solemn part of the Christian Worship in the holy Eucharist to its integrity and just frequency of celebration. London* 1696. Adde & *the compleat and unexceptionable form of Liturgy or divine service for the celebration of the holy Communion, according to the usage of the most ancient Christians.* Hìc p. 11. 12. post dicta jam institutionis verba ita perficitur oblatio: *Unde & Domine, Sancte Pater, nos humiles tui servi secundum sanctam ipsius institutionem sanctis hisce donis commemorantes acerbam ipsius sed pretiosissimam mortem & passionem, & solenniter repræsentantes eam coram divina majestate tua, tanquam magnam, sanctissimam & unicam propitiationem pro omnibus peccatis nostris, & pro peccatis totius mundi; & memores etiam potentissimæ ipsius resurrectionis: gloriosæ ascensionis in cœlum & benedictæ sessionis ad dextram ad intercedendum pro nobis, donec redeat magna cum potentia & gloria ad judicandum vivos & mortuos, & distribuat cuique secundum opera, quæ in carne fecit;* OFFERIMUS *tibi per ipsum hanc puram & immaculatam oblationem*, scilicet panem & vinum, *cum humillima adoratione, maximis laudibus & gratiarum actionibus ex imo pectoris fundo proficiscentibus pro clementia inæstimabili, bonitate & benignitate per hæc hominibus Angelisque demonstrata, & humillimè atque enixissime supplicamus oramusque te, ut*

*rissimi Filii tui, rogantes divinam Majestatem tuam, ut nostri misereatur, & omnes nostras supplicationes audiat, quas offerimus tibi in ipsius nomine, & simul cum ipsis offerimus etiam præsentamusque tibi nosmet ipsos, nostras animas & corpora, ut sint rationabile, sanctum & vivum sacrificium tibi, &c.* His verò præponitur ἐπίκλησις Spiritus S. ipsis institutionis verbis quoque præmissa, id quod cum Liturgiis Græcis non convenit. Sed vela dissertationis hujus

 tandem

*hoc nostrum incruentum, rationale & spirituale sacrificium acceptum & beneplacitum tibi sit, omnipotens Deus per nostrum Unctum Iesum, qui se dedit semetipsum pro nobis oblationem & sacrificium tibi in odorem suavitatis; ut gratiose id respicere digneris tanquam memoriale fœderis, ex glorioso throno tuo cœlesti, & sis nobis propitius totique sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, plenamque & omnimodam omnium nostrorum peccatorum remissionem nobis cum omni thesauro gratiæ tuæ Spiritusque Sancti largiaris, exandiasque clementer preces nostras & gratiarum actiones, quas tibi offerimus. DEMITTE etiam Spiritum tuum Sanctum in hac proposita elementa, ut sanctificet ea & benedicat, accipientibusque hic panis fiat pretiosum corpus Christi tui & hoc vinum pretiosus sanguis Christi tui, ad remissionem omnium peccatorum nostrorum & confirmationem efficacem nostram in omni gratia & virtute & ad vitam æternam.* Notandum, in hâc Liturgia oblationem elementorum externam & ἐπίκλησιν Spiritus S. expresse poni, id quod in Liturgia Grabiana MS. quam Reverendus Hickesius benevole nobiscum communicavit, non observavimus; (ipsa vero illa heic conferri meretur notis nostris illustrata) Ibi enim hæc saltem exstant; *Dignare benedicere & sanctificare verbo tuo & Sancto Spiritu has tuas creaturas panis & vini, ut fiant nobis corpus & sanguis charissimi Filii tui.* Quæ eadem quoque in Liturgia Whistoniana exstant.

tandem contrahenda sunt, & in compendio edisserendum, quid de Oblatione Veterum hactenus diximus.

## §. XLIII.

Patet itaque ex his, quæ diximus: I. Ritus celebrandi Eucharistiam à Christo transsumtos esse ex iis, qui illo tempore in usu apud Judæos erant, maximè ex ritibus Cœnæ Paschalis. II. In Scriptura novæ oblationis terminum non reperiri, quam Christus in novissima cœna instituerit, multo minus dici, quod in eadem corpus sanguinemque suum Deo Patri in propitiationem obtulerit. III. In tribus prioribus seculis panem saltem vinumque, sed ante consecrationem maxime, oblata fuisse, & quidem precibus consecratoriis. IV. Juxta Liturgias tùm Græcas tùm Latinas nonnisi panem vinumque tùm ante tùm post consecrationem offerri. V. Terminos *oblationis propriæ, veræ & propitiatoriæ* valde æquivocos esse, multisque logomachiis occasionem præbere. VI. Denique, sacrificium corporis Christi repetitum, quod in Ecclesia Romana creditur, ab oblatione Eucharistica Veterum plurimum differre. Id quod erat demonstrandum.

DISSER-

# DISSERTATIO
*DE*
# CONSECRATIONE EUCHARISTIÆ
IN
# PRIMITIVA ECCLESIA USITATA,
*QUA OSTENDITUR:*

Eam in precibus olim, maximè verò in ἐπικλήσει Spiritus S. conſtitiſſe, ab Eccleſia verò Romana poſtea mutatam fuiſſe, utpote, quæ in ſolis verbis * inſtitutionis totam Conſecrationem ponit.

* Vide Acta Concilii Florentini. Ita maximè Thiers des Superſtitions, qui regardent les ſacremens T. I. L. 3. C. 4. p. 264. ait: *L'Egliſe Latine croit, que la conſecration conſiſte uniquement dans ces paroles du Fils de Dieu H. E. C. M.*

# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

*Quaritur, quibusnam verbis Christus consecraverit §. 1. Additur quaestio de Consecratione Apostolorum §. 2. Justini M. §. 3. Constitutionum Apostolicarum, Origenis, Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hieros. Dionysii de Consecratione effata proponuntur. §. 4. Liturgiae Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi citantur, falsaeque explicationes Turrecrematae, Allatii aliorumque refutantur §. 5. Missale Goth. & Gallicanum, Mozarabicum, Ambrosianum aliaeque Liturgiae cum Missa Fl. Illyrici citantur, atque ex iis demonstratur, Latinam quoque Ecclesiam olim per ἐπίκλησιν consecrasse §. 6. Dicta Patrum Graecorum de Consecratione juxta ordinem seculorum afferuntur §. 7. 8. Itemque Patrum Latinorum §. 9. Plura Consecrationum genera recensentur I. Per preces. II. Verba institutionis. III. Orationem Dominicam. IV. Hymnos. V. Signum crucis. VI. Attactum consecrati panis. VII. Infusionem aquae calidae §. 10. Quid cum Graecis in Concilio Florentino de Consecratione gestum sit, enarratur §. 11. Argumenta Turrecrematae & Bessarionis contra Consecrationem Graecorum examinantur §. 12. Itemque Goari, Bona, aliorumque §. 13. Corderii, Bossueti,*

*&c.*

*&c. §. 14. Ad effectum Consecrationis transitur, ostenditurque ex Antiquitate, præsentiam realem nonnisi in usu se exerere §. 15. Varii præsentiæ realis modi, assumtio, augmentatio, impanatio, consubstantiatio, concomitantia & unio enarrantur. Refutantur Salmasius, Thomasius, Leibnitius §. 16. Unio Sacramentalis definitur & defenditur ex Patribus. Refutatur J. A. Turrettinus circa incomprehensibilitatem præsentiæ realis §. 17. Phrases, queis Lutherani ad præsentiam realem exprimendam utuntur, è Patribus petitæ sunt, quos Lutheranis maximè favere asserunt S. Evermundus & P. Bælius §. 18. Patrum testimonia de mysteriis haud nimium perscrutandis afferuntur §. 19. Salmasii de origine Consecrationis sententia examinatur, & diversæ Scholasticorum de eadem opiniones recensentur §. 20. Nostra de Consecratione sententia proponitur §. 21. Itemque Ecclesiæ Anglicanæ & Reformatæ §. 22. De Ministro Consecrationis pauca adduntur §. 23. Compendium totius Dissertationis exhibetur §. 24.*

DIS-

# DISSERTATIO DE CONSECRATIONE VETERUM EUCHARISTICA.

§. I.

ARgumentum, quod aggredimur, amplissimum est, si, quæ ex historia Ecclesiæ dogmatica hùc pertinent, tradenda omnia & filo historico usque ad nostrà tempora deducenda sint. Quod cùm nec instituti nostri sit, nec Dissertationis quoque limites prolixam permittant tractationem, ea saltem dicemus, quæ præcipua sunt, omissis, quæ illustrant magis probata, quam ut novas suggerere probationes apta sint. Ante omnia autem dicendum est, verba Consecrationis à Christo factæ in Scripturis Canonicis exscripta haud exstare. Ibi enim nonnisi εὐλογήσας & εὐχαριστήσας invenitur, quibus vocibus consecrationem innui ipse contextus docet. Quæ enim sequuntur, *dedit Discipulis & dixit: Hoc est corpus meum*, cum in distributione demum dicta sint, Consecrationem præsupponunt. Hinc egregie Abbaudus Abbas de fractione corporis Christi T. III. Analect. Mabill. *Credo, quod panem, quem accepit, benedicendo corpus suum*

*fecit.*

*fecit. Itaque corpus ſuum fregit, & de eodem corpore ſuo jam benedicto & fracto diſcipulis dixit: hoc eſt corpus meum.* Certè, quibus in verbis iſta εὐλογία & εὐχαριστία conſtiterit, nullibi exprimitur. Si quid tamen eſt, quod conjecturis hîc poſſimus aſſequi, id in priore Diſſertatione §. 4. diximus, ubi hanc εὐλογίαν ex ritu Judaico deduximus. Qui verò cum ad ſacramentum Euchariſtiæ inſtituendum haud ſufficiat, ſine dubio alia quædam addidit optimus Salvator, id quod egregie conjicit magni judicii Theologus Jo. Gerhardus in Locis Theologicis, eo articulo, qui de S. Cœna agit §. CXLVII. Scilicet poſt εὐχαριστίαν ſeu actas gratias, queis Chriſtus Patrem ſuum ob dona hæc Euchariſtica in uſum hominum creata laudabat, precabatur (quod vox εὐλογία innuit) ut virtute ipſius omnipotente atque Spiritu S. operante eadem corporis ſui & ſanguinis fierent ſacramentum per κοινωνίαν illam divinam, quâ res terrena cum cœleſti combinaretur, in paſſionis ſuæ mortisque memoriam. Hoc precum à Chriſto factarum compendium eſſe arbitramur, quod ſi κατὰ ῥητὸν in * hiſtoria inſtitutionis exſtaret, non opus eſſet, longam de hac conſecratione controverſiam cum diſſentientibus nectere. Etenim optavit ſuo jam tempore Eraſmus Roterodamus, *ut Scriptura nobis exprimeret, quibus verbis Chriſtus con-*

* Ex diſciplina arcani vero eſſe volunt, quod Scriptura verba non exprimat, quibus Chriſtus conſecraverit. Sic ait Baſilius, cujus effatum occurret §. 2. infra: nos ea ex σιωπωμένῃ καὶ μυστικῇ παραδόσει & ἀπορρήτῳ διδασκαλίᾳ habere.

*consecraverit & quibus nos oporteat consecrare*, not. in 1. Cor. XI. Hæc verò cur atro notet carbone Card. Bona, de reb. Liturg. L. II. C. XIII. §. 1. divinare non possumus; cum, uti mox docebimus, multi sint ex Romanis Theologis, qui affirment, verba consecrationis à Christo adhibita ignorari, cum & ipse Zephyrinus de Pace, sive, qui sub isto nomine latere voluit, Illustris Baro de Resewiz (vide nostras Primit. Tubing. P. II. p. 200.) idem Erasmi votum supra repetierit: id quod & suum fecit Gerhardus, uti patebit ex infra dicendis in §. XXI. nec non Clariss. Basnagius, cujus verba Gallica sub finem hujus paginæ damus*. Scilicet illa, quam tangere jam cœpimus, de Consecratione à Christo adhibita quæstio magnâ laborat difficultate, si consideremus, preces, quas optimus Salvator dixit, nobis & scripto haud traditas fuisse, & maximis olim in Ecclesia Romana disceptationibus dedisse occasionem **. Innocentius III. L. IV. de Mysteriis Missæ C. VI. ait, *Christum nullis omnino verbis*, sed solo voluntatis suæ omnipotentis nutu *consecrasse*. Alibi tamen, in Epistolis nempe decre-



* *Il seroit à souhaiter, que les Apôtres eussent laissé par écrit les prierès, dont leur Maître se servit pour consacrer le pain & le vin, parce qu'elles serviroient de reglè à toute l' Eglise, qui s' égare souvent; mais au lieu de cela ils se sont contentés de nous laisser un recit historique de l' invitation, que Iesus Christ leur avoit faite pour les obliger à recevoir ce nouveau sacrement.* Prenés, *dit-il*, mangés, Ceci est mon corps. „ Hist. de l' Eglise L. XIII. C. VI. §. 4.

** Sententias autem Pontificiorum & Scholasticorum de Consecratione nemo luculentius recenset quam Hospinianus in Hist. Sacr. P. I. L. 4. C. 9. §. 3. sqq. & C. 10. §. 5.

talibus Cap. cum Marthæ de celebratione Missarum, communem illam consecrationem, quæ in Canone Missæ legitur, Christo quoque attribuit. Thomas P. III. Qu. 78. Art. I. scribit, *participium* dicens *importare concomitantiam quandam verborum prolatorum ad ea, quæ post dicat, hoc sensu, dum benediceret & frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit*: Hoc est corpus meum. „ Scotus L. IV. Repert. dist. 8. qu. 2. ait, *ignorantiam esse licitam, ignorare, quot verba præcisè requirantur ad formam consecrationis, quia nec Christus expressit neque Ecclesia.* Durandus L. IV. Rational. C. XLI. num. 15. ita: *Sane dici potest, quod Christus virtute divina nobis occulta primo confecit & postea formam expressit, sub quâ posteri benedicunt: Ipse namque virtute propria benedixit, nos verò ex illa virtute, quam indidit verbis.* Gabriel Biel L. XXXVI. in Can. Missæ (si quidem is autor sit) judicium suspendit, cum scribit: *Circa hæc verba*, benedixit, fregit deditque, &c. *dubium est, quem ordinem Christus observavit, & quibus verbis consecravit, & sunt diversæ opiniones Doctorum. Nam potuit Christus tanquam Deus consecrare, & panem in corpus suum convertere ac vinum in sanguinem propria virtute divina sine prolatione verborum quorumcunque, sicut sola voluntate cœlum & terram à principio creavit. Potuit etiam proferre verba quædam secreta, & sic benedicendo consecrare. Potuit & his verbis*, hoc est corpus meum, *quibus nos consecramus, & ipse conficere. Potuit denique prius conficere & postea dividere, ac dicere* accipite, *aut prius dividere & & post tradendo & dicendo*: Hoc est corpus meum, *consecrare. Quod horum autem fece-*

*fecerit, non est certum ex Scriptura.* Ambrosius Catharinus tempore Concilii Tridentini duas pro Græcis dissertationes composuit, quibus conficit, Christum ope solius virtutis suæ, nulla forma adhibita, consecrâsse. Eandem sententiam ingreditur Christophorus de Capite Fontium, Archiepiscopus Cæsariensis, tùm in Epistola ad Sixtum V. tùm in libello de ordine, quem Christus in sua celebranda Missâ servavit, ubi ex Scoto Scholasticisque probat, preces cum verbis institutionis conjungendas esse, totumque Missæ canonem ad consecrationem pertinere, factamque jam à Christo fuisse consecrationem, cùm dixerit: *Hoc est corpus meum.* Id quod identidem ex veteribus Liturgiis Patrumque testimoniis confirmat. Longum esset, historiam diversarum de hoc argumento opinionum contexere, quam dedere Gerhardus in Locis Theolog. Art. de S. Cœna §. 129. 148. 153. Confess. Cathol. L. II. p. 2. Art. XIV. C. II. Albertinus de Sacram. Euchar. L. I. C. IV. Simon. in not. uber. ad Apolog. Gabr. Severi, aliique. Egregie Marcus Antonius de Dominis, Archiep. Spalatensis: *Quod si Christus voluisset illa ipsa verba, quibus ille benedixit panem & vinum, Ecclesiæ tradere, certè Evangelistæ ea expressissent; Saltem Paulus, cui seorsim à Christo revelata fuit tota ipsius actio in eucharistiæ prima institutione, ea non omisisset; sed cùm & Evangelistæ & Paulus ea sub vocabulo generali benedictionis & gratiarum actionis posuerint, manifestum est, Christum formam particularem illius benedictionis libertati Ecclesiæ reliquisse.* De Republ. Eccles. L. V. C. VI. Ita tamen libertatem hanc explicari velim, ut ad sola verba, queis preces consecratoriæ constant, restringatur, cum ad Con-

ſecrationis eſſentiam pertineat tùm recitatio verborum inſtitutionis, tùm, *ut faciamus ea, quæ Chriſtus fecit*, juxta Cypr. Epiſt. LXIII. Hinc merito Chemnitius: *Quando inſtitutio recitatur & non facimus, quod Chriſtus in Cœna fecit & faciendum juſſit, tunc non eſt conſecratio, ſed tantum hiſtorica recitatio. Quando verò verba recitamus, & facimus, quod juſſit, tunc verbis illis benedicimus pani & poculo:* quæ ipſa & Gerhardus allegat Loc. Theol. de Cœna §. 155. allegatis Bellarmini verbis, qui ait, *Patres per Conſecrationem interdum totam Liturgiam accipere.* L. IV. de Euchar. C. XIV. Cæterum, cùm de conſecratione euchariſtiæ à Chriſto facta hîc agimus, controverſias quæſtionesque cumulare nolumus, quæ ab aliis prolixè diſcuſſæ fuerunt, majoremque heic argumento difficultatem addidere. Quod enim primùm quæritur, num εὐχαριστήσας & εὐλογήσας unum idemque ſignificent, id in meram abit λογομαχίαν. Generalis enim ſignificatus utique idem eſt, quod rectè ajunt Scholaſtici, at ſpecialis diverſus, cum εὐχαριστία ſit gratiarum actio pro donis acceptis, εὐλογία benedictio, quâ ad certum determinatumque uſum dona ſanctificantur. Altera, quæ proponi ſolet, quæſtio, utrum hæc gratiarum actio & benedictio pertineant ad Deum ſolum, an ad ſola elementa, an verò ad Deum & ad elementa ſimul, itidem ſupervacanea eſt. Is enim, ad quem preces illæ euchariſticæ & Conſecratoriæ diriguntur, omnino Deus eſt, materia vero benedicenda 1. Cor. X. 16. eſt panis & vinum, dona nempe propoſita. Tertia quæſtio, quam deciſam jam dedimus, utrum gratiarum actio & benedictio ſumantur pro conſecratione, ma-

joris

joris momenti est. Qui affirmant, varias easque solidissimas allegant rationes, εὐχαριςίαν & εὐλογίαν consistere in precibus, at recitationem verborum institutionis precem non esse, nec consecrationem esse posse, quia in distributione demùm post factam benedictionem ea dicta sint, verba itidem, *hoc est corpus meum*, sacramentum jam factum præsupponere, quod scilicet consecrationem attinet, veterem denique Ecclesiam precibus consecrasse. Qui hæc latius diducta legere velit, adeat Edm. Albertini, Theologi Carentonensis L. I. de Sacramento Eucharistiæ C. IV. sqq. ubi erudite de omnibus hisce quæstionibus agitur.

## §. II.

Quanam Consecratione usi fuerint Apostoli, ex scriptis eorum haud liquet, nisi quod Paulus dicat, illam εὐλογίᾳ, eadem scilicet, qua Christus fuit usus, factam fuisse 1. Cor. X. 16. Cæterum notissima sunt Gregorii M. verba, quæ hîc ex promisso repetimus: *Orationem verò Dominicam idcirco mox post precem* (i. e. Canonem) *dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem,* * *quam Redemtor noster composuit, super ejus*

 *corpus*

* Ita quippe legendum est, non *traditionem*, prout communis lectio fert, quam miror etiam exstare in vita S. Gregorii M. auctore Johanne Diacono scriptâ L. II. C. 21. ubi eadem verba allegantur. Recenset etiam hoc

*corpus & sanguinem taceremus.*** Epist. L. VII. Ep. LXIV. ad Joannem, Episcopum Syracusanum. Plura hîc nobis notanda veniunt. Et primo quidem nobis haud videtur probabile, Apostolos Oratione dominica consecrâsse, quam solam consecrationis loco ab ipsis adhibitam fuisse contendit Gregorius. Nihil enim in Oratione ista exstat, quod ad benedictionem symbolorum eucharisticorum perficiendam spectet. Vidit id Card. Bona, eaque propter arbitratus est, voculam *solummodo* irrepsisse in textum Gregorii, de reb. Liturg. L. II. C. XV. §. I. Id quod contra fidem tùm codicum MSS. tùm allegationum omnium dicitur*** Unde alia nobis via ineunda est, aliusque ista explicandi modus. Nôrunt, qui Veterum scripta diligenti oculo perlustravere, multos fuisse Patres, qui per *ἄρτον ἐπιούσιον* intellexerint panem sacramentalem. Ita omnino Tertullianus de Oratione: „ Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *spiritaliter intelligamus. Christus enim panis noster est,*

Gregorii effatum Mabillon. Comm. in Ord. Rom. p. 50. T. 2. Mus. italici, ubi quoque ait, pro *traditionem* forte *orationem* legendum esse. Adde & quæ infra ad §. XXI. annotabimus. De Consecratione verò per solam Orationem Dominicam, vide Hülseman. Manual. Aug. Confess. Prooem. disp. XX. num. IV. quem refutat B. Nihus. de Comm. Orient. sub specie unicâ in Epilogo §. 4. Conf. & Whitby de Int. script. p. 167. 168.

** Ex his verbis videtur colligi posse in Gelasiana Missa alium fuisse Canonem, ubi preces Scholastici & Oratio Dominica non exstiterint. At in eo, quem dedit Thomasius, utrumque exstat.

*** Certe *solummodo* exstat in allegatione Io. Diaconi l. c.

*est, quia vita Christus & vitæ panis.* Ego sum, *inquit*, panis vitæ, *Et paulo post*, panis est *sermo Dei vivi*, qui descendit de cœlis. *Tum quod & corpus ejus in pane censetur*: Hoc est corpus meum. „C. VI. Eodem modo Cyprianus de Oratione Dominica: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. . . . Ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Hinc est, quod Cyrillus in Catech. V. Mystag. ἄρτον ἐπιούσιον interpretatur per τὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς τρεπόμενον, scribitque Hieronymus adv. Pelag. L. III. *Dominus docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster . . . . Panem quotidianum super omnes substantias venturum Apostoli deprecantur, ut digni sint assumtione corporis Christi.* Ita & Ratherius Episc. Veron. in Volumine Perpendiculorum sive de contemtu canonum P. I. ait, *oblationem populo distribuendam maximè Oratione Dominica consecrari*, itemque Augustinus in Epistola ad Paulinum, olim 59. nunc 146. *totam petitionem (qua illud, quod est in Domini mensa, benedicitur & sanctificatur) ferè omnis Ecclesia Oratione concludit.* Quod verò ait Hieronymus, ita edoctos fuisse à Domino Apostolos, id ex Scripturis utique elicere haud possumus, negantque alii, inter quos Honorius Augustodun. in Gemma animæ C. 86. *Hanc*

*Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam Orationem dixerunt.* Cæterùm mirandum est, in antiquissima, quam Constitutiones Apostolicæ habent, Liturgia Orationem Dominicam non exstare, nec esse inter Patres antiquissimos primorum seculorum, qui eam in celebratione Eucharistiæ adhibitam fuisse dicat. Quod cùm ita sit, nolim tamen Gregorium M. falsitatis cujusdam arguere, quod fecit Claudius Santesius, Episcopus Ebroicensis Repetit. VII. memorante R. Simone in not. uberior. in Apolog. Gabr. Sev. p. 177. Ita enim eo in tempore traditio habuit, quam Gregorius secutus est. Nec solus fuit, qui ista diceret, Gregorius, sed in eandem sententiam descendere & alii, inter quos Amalarius de Offic. Eccles. L. IV. C. XXVI. & Berno Abbas Augiensis C. I. de officio Missæ. Amalarium tamen ipsum hunc locum mutâsse ait Melchior Hittorpius, qui veterum Patrum Libros de Catholicæ Ecclesiæ divinis officiis ac ministeriis in unum Volumen collectos nobis dedit, uti ex variis lectionibus, quas sub finem addit, apparet. Sed ab aliis hæc mutari potuere, nec opus est, ut ipsum Amalarium mutationis hujus Autorem statuamus. Cæterùm addi & hîc potest Theoph. Raynaudus* de prima Missa S. II. C. IV. Quod verò Scholasticum Gregorius dicit precem illam confecisse, quæ in Canone Missæ exstat, id iis opponi debet, qui Petrum ajunt Missæ Romanæ autorem esse. Nec enim sententia Bellarmini L. II. de Missa C. XIX. p. 1060. per *Scholasticum* illum S. Petrum intelligentis, refutatione eget; cùm Card. Bona

* In hoc libro l.c. Raynaudus tanquam pro aris & focis certat pro consecratione per sola institutionis verba faciendâ.

Bona ultro fateatur, *Scholasticum hic accipi pro viro docto & erudito, quales olim fuerint, qui Scholis Christianorum præficiebantur, ut conversos ad fidem erudirent*, L. II. de reb. Lit. C. XI. §. 2. Canonem vero Missæ, qui à Scholastico confectus fuisse dicitur, totum ferè jam invenimus in Ambros. de Sacram L. IV. Denique, cùm Gregorius dicit, Orationem Dominicam post precem recitandam, non innuit, eandem in celebratione Eucharistiæ suo tempore omissam fuisse, sed genuino loco eam esse ponendam saltem ostendit, uti benè Johannes Diaconus in vita ejus L. II. C. XX. *Orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari.* Prout autem traditiones diversis temporibus diversæ exstitere, ita & de Consecratione Apostolica alio modo pronunciavere alii. Chrysostomus & Proclus fusissimè longoque verborum ornatu Apostolos Eucharistiam celebrasse & Liturgiam decantasse ajunt, ille Hom. XXVII. in 1. Cor. hic περὶ παραδόσεως τῆς θείας λειτουργίας, ubi: *Hisce igitur precibus Spiritus sancti expectabant adventum, ut præsentia sua divina, propositum ad missam celebrandam panem & vinum aqua mixtum ipsum illud corpus ac sanguinem Jesu Christi esse demonstret atque ostendat.* Contraria tamen ponit Basilius de Spiritu S. ad Amphiloch. C. XXVII. *Consecrationis verba in ostensione panis eucharistici ac poculi benedicti, quis sanctorum scripta nobis reliquit. Neque enim iis sumus contenti, quorum Apostolus meminit aut Evangelium, sed & ante & post alia quædam dicimus, ut magnam hoc ad mysterium virtutem habentia, eaque ex doctrina* non scripta assumimus.* Aliter paulu-



* Hanc in sequentibus vocat Traditionem tacitam atque

paululùm Jo. Phurnes, sive quisquis autor est epistolæ de ritibus immutatis in Communione : *Sed & panem benedictum ab Apostolis consecratum videmus , solis hisce enunciatis : Hoc est corpus Domini nostri Jesu Christi, pro vobis fractum in remissionem peccatorum: prout scilicet a Doctore suo acceperant, haud additis, quæ nunc in consecratione sequi solent ordine , tùm ante decantatis orationibus propheticis, concionibusq; apostolicis atque evangelicis, tùm ante ac post prolatis precibus sacris* , quæ apud Allatium habentur de Eccl. Occid. atque Orient. perpetua consensione L. III. C. XIII. §. 7. 15. p. 1141. 1156. E diametro his contradicit Marcus Ephesius in libro : *quod non modo verborum dominicorum sono consecrentur dona divina, sed & ea, quæ insequitur, oratione ac benedictione sacerdotis, virtute spiritus sanctioris*. Ibi enim: *Nos quidem a sanctorum Apostolorum , & , qui eis successerunt , Doctorum Ecclesia consecrationis arcanæ expositionem nanciscentes , apud horum neminem invenimus : ipsis Domini verbis tantum consecrari atque perfici Eucharistiæ munus.* Nemo melius Theodoro Antidorum Episcopo , qui in expositione τῆς λειτȣργίας ad Basilium Pythiæ Episcopum ita scribit : *Fiebat autem , quod promiserat , adventante Paracleto. Tunc enim & summos sacerdotes Apostoli divinitus admonebant , & Spiritu divino,*

mysticam, non publicatam illam nec eloquendam, quam & in quieto minimeque curioso silentio Patres nostri custodierunt , quippe probè edocti , mysteriorum gravia silentio conservari : *nam quæ nec intueri fas est non initiatis , qui conveniebat , horum doctrinam publicitùs circumferre scripto ?* Duo hîc dicit Basilius (1.) Liturgicas preces sui temporis ab Apostolis traditas fuisse. (2.) non tamen scriptas propter disciplinam arcani.

*vino, qui in linguarum ignearum specie in iis habitabat, ipsos edocente, quid unumquemque eorum ex composito agere oporteret in ea gente, cujus dialectum loqui is edocuerat, divinas mysteriorum precationes & agenda sacra, eaque gentis profectui & temporum rationibus & persequentium insidiis conformia componebant. Et in precibus quidem atq; expressionibus æque invicem differebant: at verò Mysteriorum traditionis forma una ab omnibus atq; eadem sine mutatione proponebatur, uti & Dominus noster Jesus Christus eandem tradidit. Post hos autem instinctu divino agitatos Apostolos nonnulli sanctorum Patrum, peculiariter singuli & preces conficiebant & orationes & perfecti cultus sacri connexionem, quemadmodum conspicuus inter sanctos Epiphanius, & Magnus Basilius & Divus Chrysostomus. Omnino tamen ex fluviis vivæ Paracleti scaturiginis hauriebant sua dogmata, quæ quidem orthodoxorum Ecclesia tanquam ab ipsomet Christo dicta ac facta suscepit, & nunc quoque præ aliis diva Basilii M. nec non Divi Chrysostomi Liturgia obtinet, una cum illa Præsanctificatorum, quam nonnulli ajunt esse Jacobi, dicti fratris Domini, alii Petri Apostoli & quidem primarii, alii verò aliorum.* Cæterùm de Liturgiis, quæ Apostolis attribuuntur, hîc prolixius agere instituti nostri non est, cum firmissimis argumentis demonstratum à pluribus fuerit, fictas eas atque Apostolis suppositas esse. Scilicet simplicissimas Apostolorum Liturgias brevesque fuisse arbitramur, nec prolixis illis, quæ hodie tùm in Ecclesia Græca tùm Romana obtinent, cærimonis superbientes. Si verò, quæ extant genuinæ sint, ἐπίκλησισ πνεύματος ἁγίου consecra-

secrationem Eucharistiæ olim constituit, quæ in Ecclesia Græca consensu catholico & recepta & semper retenta fuit.

## §. III.

Ab Apostolis ad Viros Apostolicos ævoque Apostolico proximos progredimur. Justinus Martyr variis in locis consecrationem eucharistiæ gravi atque emphatico stylo nobis depingit. Ita autem ille Apol. II. f. 60. *Quod vero Deum esse nos haud negemus, qui universitatis hujus ædificatorem veneramur, eundemque (quemadmodum edocti sumus) neque sacrificiis cruentis, neque libamentis, neque suffimentis ullis indigere asseveramus, & effusis precibus actisque gratiis in omnibus nostris, quas offerimus, oblationibus ipsum pro viribus imploramus, solum eo dignum honorem hunc existimantes; ut quæ ab illo ad alimentum sunt producta, igne haud consumamus, sed nobis ipsis ac egentibus offeramus, illi autem gratam mentem significaturi, laudes rationi consentaneas celebremus, ac hymnos decantemus; qui & pro eo, quod nos condidit, pro omnibus, valetudinem quæ confirmant, terræ muneribus, pro germinum varii generis diversitate, pro idonea temporum vicissitudine, & pro futura resurrectione beata eademque nunquam intermoritura propter fidem, quâ in ipsum ferimur, precationes ad eum dirigimus; quis sanæ mentis homo haud ultro confitebitur?* Additur f. 97. 98. *Deinceps fratrum Antistiti offertur panis poculumque vini & aquæ: quæ is accipiens satori omnium per nomen Filii & Spiritus S. laudem ac gloriam tribuit gratesque agit multas, quod mune-*

*muneribus istis dignos reddere nos voluerit. Finitis vero precibus, perfectaq; gratiarum actione, populus præsens universus bona quæque precatur, dicendo: Amen. Quæ quidem vox in sermone Hebræo idem exprimit, quod Latinorum: Ita Deus faxit! Dum vero & Præfectus gratiam Deo persolvit, & universus populus fausta quæque acclamat; Diaconi, quos vocamus, sive ministri præsentium unicuique dant, quod accipiat à pane vino & aqua, pro quibus grates actæ Deo sunt, iis autem qui absunt, iidem ea perferunt. Ipse vero hic cibus à nobis Eucharistia vocatur, quam non licet ulli accipere alii quam ei, qui, quæ à nobis docentur, vera esse crediderit, & lavacro, quod pro peccatorum remissione ad regenerationem paratum est, ablutus fuerit, eamque, quam Christus tradidit, vivendi rationem tenuerit. Neque enim illam ut communem panem ac nudum vinum accipimus, sed quemadmodum caro factus per Dei verbum Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, ita & hanc precum verbo eoque ab ipso tradito consecratam alimoniam, qua sanguis ac caro nostra per mutationem nutriuntur, illius in carne manifestati Jesu carnem ac sanguinem esse, edocti sumus. . . . Sicque in cunctis, quæ à nobis offeruntur, benedicendo celebramus Deum omnium rerum architectum, & quidem per filium ejus Jesum Christum ac Spiritum S. . . . . Post hæc omnes assurgimus una, preces, ut ante diximus, effusuri, quas ubi perfecimus, panis offertur vinumq; & aqua, Antistes vero similiter preces gratesque Deo persolvit, quantascunque potest, populo omni Amen, h. e. ita fiat, acclamante. Tum distributio atque acceptio donorum consecratorum singulis contingit, absentibus autem per Dia-*

*Diaconos ea mittuntur.* Quanam autem in prece illa εὐχαριστία, de qua Justinus loquitur, constiterit, explicatur ex parte in Dial. cum Tryphone Judæo f. 359. ubi ait, Christum sacramentum eucharistiæ eapropter instituisse, *ut & simul gratias Deo referremus, tùm pro eo, quod orbem hunc creaverit una cum omnibus, quæ in eo sunt, & hominis quidem gratiâ, tùm & quod à perversitate, in qua fueramus, nos liberaverit, ac Principatus Potestatesque absoluta dissolutione dissolverit, per eum scilicet, qui ex consilio ipsius factus est patibilis.* Subjicitur f. 345. de εὐχαῖς καὶ εὐχαριστίαις. *Hasce enim victimas easdemque solas Deo offerre didicerunt Christiani, & in recordatione cibi sui sicci & humidi, in quo & passionis, quam sustinuit per ipsum Deus Deum, meminit.* Hæc verba, etsi prolixa sint, & sine ulla necessitate hùc posita videri possint, ex parte etiam in Dissert. de Oblat. Vet. Eucharist. §. XXVII. p. 316, sqq. à nobis allegata jam sint; eapropter tamen tota adduximus, ut lectori pateat omnis, quæ Justini tempore obtinuit, eucharistïam celebrandi ratio. Sunt verò, quæ hic observamus, sequentia. I. Ævum Justini à simplicitate Apostolica jam descivisse. Simplex enim Consecratio in longas preces mutata fuit, quæ nec omnes eucharistiæ respiciebant sacramentum, nec ab Apostolis præscriptæ erant, utpote ex tempore, quod ajunt, à Sacerdote, qui consecrabat, factæ. II. Consecrationem à Justino memoratam εὐχαριστίᾳ ac precibus factam fuisse, eo qui sacra faciebat, *pro viribus & quantum poterat*, Deum laudante & gratias agente, id quod de voce quoque altiore intelligendum esse censemus. Ea enim omnia innuit Justi-

nus,

nus, ubi dicit ὅση δύναμις. Ita & Constitut. Apost. L. VIII. C. XL. *Gratias Tibi agimus -- non quantum debemus, sed quantum possumus.* Origenes eâdem ferè Phrasi utitur L. VIII. contra Celsum p. 386. quam & supra p. 327. cum aliis ejus locis jam translatam dedimus: *Deum unum atque unum ejus Filium verbumque & imaginem omni, quo possumus, supplicationum atque honorum cultu prosequimur.* Submissa autem voce * consecrationem Justini tempore haud factam fuisse, tùm ex contextu ejus patet, tùm ex iis, quæ alii Patres referunt. Dionys. de Eccl. Hier. C. III. n. 3. §. 12. introducit *exclamantem divinum Sacerdotem*: *Tu dixisti: Facite hoc in memoriam mei.* Adde Cyrilli Hieros. Catech. Myst. III. IV. Adjicit quoque ὕμνȣς Justinus M. quos olim in administratione eucharistiæ adhibitos fuisse & Constitutiones Apost. memorant. L. VIII. C. XII. ubi ἁγιασμὸς ita describitur: *Et omnis populus simul dicat: Sanctus sanctus, sanctus, Dominus Exercituum: pleni sunt cœli & terra ejus gloria: Benedictus in secula. Amen.* Quæ ipsa ἀρχιερεὺς aliis tamen verbis deinde statim repetit. C. XIII. Lectio Psalmi XIII. durante distributione injungitur & τȣ͂ ψάλλοντος mentio fit. Plinius quoque Secundus Epist. L. X. Ep. 97. memorat, si quidem genuina hæc sit Epistola, quod arbitramur, *Christianos solitos fuisse stato die ante lucem*

* Submissa voce olim Canonem Missæ dictum fuisse ex eo arguit Mabillonius, quod *secreta* nuncupetur ab Herardo Turonensi & in Missalibus Gallicano & Romano, unde & legi in ordine Romano, Pontificem *secrete intrare in Canonem*. Vide ipsius Comment. in Ord. Rom. p. 48. T. II. Mus. Ital.

*lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Dionys. de Eccl. Hier. C. III. n.2. *Pontifex sacra Dei opera decantans, consecrat dona divina, & in conspectum ea profert cantione celebrata.* n. 3. §. 7. *Reliqua cohors sacra, administra sacrorum atque spectatrix, ceremoniam sanctissimam debita reverentia aspectantes, cantico universali prædicant originem omnium, à qua nulla non bona, nobis quæ obtingunt, data proficiscuntur. . . . Cantionem vero illam vocare ii amant ὑμνολογίαν* & quæ sequuntur. Quinimo & Augustinus memorat, suo tempore in Ecclesia Africana tempore oblationis Psalmos decantâsse chorum, L. II. Retract. C. 11. & τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας Hom. 24. in 1. Cor. X. ita explicat Chrysostomus: *Poculum benedictionis vocavit, quia manibus illud tenentes, eum ita iterum cantu collaudamus mirabundi, quippe perculsi dono inenarrabili ac benedicentes, quod illud effudit, ut ne in errore maneremus, nec modo effudit, sed & omnibus nobis exhibuit.* Conferri hîc potest elegantissimus Jo. Bonæ de divina Psalmodia tractatus, & quod supra in Diss. de Oblatione Eucharistiæ §. 6. ad verba καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον posuimus. Nec omitti hic debet, quod in Cyrilli Hierosol. Catech. Myst. V. legitur: *Post hæc* ( postquam scilicet Sacerdos dona sancta distributurus dixit, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, populusque respondit, εἷς ἅγιος, εἷς Κύριος, Ἰησοῦς Χριστὸς ) *audite divino carmine cantantem, qui vosmet exhortatur ad communicationem sanctorum mysteriorum, dicens: Gustate ac videte, quod bonus sit Dominus.* IV. Non opus esse censemus, mus, ut prolixa demonstratione ostendamus, conse-

cratio-

crationem euchariſtiæ à Juſtino memoratam in precibus conſiſtere, quas εὐχαριςίαν & εὐλογίαν nominat. Totus enim contextus hùc collimat, valdeque foret violentum, dicere, quod per εὐχαριςίαν & εὐλογίαν verba τῦτό ἐςι τὸ σῶμά μυ intellecta velit. V. Egregia ſunt, quæ Juſtinus addit, nemini euchariſtiam olim exhibitam, niſi qui fidem doctrinæ Chriſtianæ dederit & juxta inſtitutum Chriſti vixerit. Heic, quod obiter notamus, omnis hodierna Eccleſia à primitiva deviat, cum omnibus nunc porrigatur euchariſtia, ſi ſaltem ore fidem Eccleſiæ, cui nomen dedere, profiteantur, nec enormibus ſe polluant peccatis. VI. Præſentiam realem ex unione perſonali explicat Juſtinus, oſtenditque, panem euchariſticum cum corpore Chriſti vi conſecrationis uniri, quam & Pauli & Ignatii, & Irenæi ſententiam eſſe ſuprà docuimus, eandem, quam hodie ii defendunt, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt. VII. Mirum tamen eſt, Juſtinum de ἐπικλήσει Spiritus S. nihil omnino hîc dicere, cujus prima veſtigia in Irenæo ejus συγχρόνῳ invenire licet. Hujus ſententiam de Conſecratione in notis ad fragmentum ejus ſecundum p. 27. 64. ſqq. luculenter exhibuimus, ut plura hîc addere non ſit neceſſarium.

§. IV.

In conſtit. Apoſtol. L. VIII. C. XII. etſi quidem verba inſtitutionis Dominicæ in mediis precibus recitentur, Conſecratio tamen fit per verba ἐπικλήσεως, quæ ſequuntur. Ita autem illa habent: *Tibi Regi ac Deo panem hunc & calicem hunc offerimus, gratias Tibi per eum agentes, quia nos dignos*

 *habui-*

*habuisti, qui staremus coram te, ac sacerdotio fungeremur Tibi; & poscimus te, ut super hæc dona, in conspectu tuo proposita placate respicias, Tu, qui nullius indiges Deus, & bene placeas in eis ad honorem Christi Tui, atque supra hoc sacrificium mittas sanctum Tuum Spiritum, testem passionum Domini Jesu; ut exhibeat panem hunc corpus Christi Tui, & poculum hoc sanguinem Christi Tui.* Patet ex his verbis, Consecrationem hâc ἐπικλήσει olim factam fuisse, quæ supponit, eandem verbis institutionis nondum fuisse absolutam, id quod probè observandum, ut sententia veteris Ecclesiæ hoc de argumento ritè capiatur. Hinc & Origenes T. II. Comment. in Matth. f. 253. Eucharistiam vocat *id, quod verbo divino ac precibus sanctificatur*: & f. 254. *Panem verbo Dei atque precibus consecratum.* Et post pauca: *Neque materia panis, sed oratio in eum habita est, quæ utilitatem præbet illi, qui eum comedit ratione Domino haud indignâ.* Juxta præjudicatam opinionem hæc explicat Huetius, cùm scribit: *Precationem verò illam, quæ panem comedentibus utilem efficit, & sermonem super pane prolatum, quid aliud esse dicam quàm mystica illa verba, quibus panis consecratur, & quæ εὐχὴν ac mysticam precem nonnulli Patres appellant? quia precationem, licet non expressam, involvunt, qua Deum rogat Sacerdos, ut prolatis à se mysticis verbis idem efficiat, quod effecit olim, cùm eadem ipse proferret.* Hæc contorta esse quivis videt, qui quid ἔντευξις sit noverit, quæ utique à recitatione verborum institutionis Dominicæ plurimùm differt. Ast ipse hæc explicat Origenes, locis in priori Dissertatione p. 327. sq. jam addu-

adductis atque evolutis, cum L. VIII. adv. Cellum scribit p. 386. 389. *Unum Deum atque unum ejus filium & imaginem, quibus possumus, supplicationibus atque honoribus prosequimur, cunctorum precationes Deo offerentes per unigenitum ejus, cui eas primum dicamus, reputantes eum ceu propitiatorium pro peccatis nostris offerre Deo, qui super omnia est, preces nostras ac sacrificia & intercessiones* Et rursus: *Nos vero rerum omnium creatori placentes, etiam panes cum gratiarum actione & precibus pro iis, quæ data sunt, effusis appositos edimus, & eos quidem oratione jam redditos sanctum quoddam corpus, id quod & sanctos facit illos, qui sano quidem proposito eo utuntur.* Tertullianus de Consecratione Eucharistiæ nihil ferè habet, nisi quòd in libro de Oratione sub finem *sacrificiorum orationes* memoret. Cæterùm & L. IV. adv. Marc. C. XL. hæc leguntur: *Acceptum panem & distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit*, hoc est Corpus meum, *dicendo, id est figura Corporis mei.* Nec negari potest, ita hæc Tertulliani verba esse posita, ut Consecrationem à Christo verbis istis, *hoc est Corpus meum*, factam fuisse, credidisse idem videatur. Contradicit tamen hîc Marcus Antonius de Dominis de Republ. Eccl. L. V. C. VI. §. 12. aitque, vocem *dicendo* Consecrationem juxta mentem Tertulliani innuere haud posse, quia *panis jam distributus* non amplius consecrari possit, cùm Consecratio distributionem omninò debeat præcedere. Arbitratur itaque, *dicendo* idem esse ac *cùm dixerit.* Quæ tamen explicatio necessaria non est, si statuas, præsentiam realem in usu sacramenti demùm se exerere, juxta usitatam illam regulam: *nihil habet ra-*

*tionem sacramenti extra usum, seu actionem divinitùs institutam.* Conf. Form. Conc. Art. VII. de Cœna Domini p. 747. sqq. Cyprianus, qui itidem de Consecratione nihil tradit, Epistola tamen LXXV. *invocationem solitæque prædicationis sacramentum* refert, quem locum in notis ad Irenæi fragmenta p. 70. 71. adduximus. Non tamen est inter anter antiquiores, qui post Irenæum verba invocationis clarius efferat, quam Cyrillus Hierosol. Ita enim ille Catech. Myst. I. *Panis & vinum eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis nudus erat panis ac vinum: facta vero divina imploratione panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi.* Catech. Myst. V. tota recensetur Liturgia. Manum primùm lavat Sacerdos, osculum mutuum sequitur, clamat idem ad populum: ἄνω τὰς καρδίας, hoc respondente, ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον, addit Sacerdos εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ, subjungit populus: ἄξιον καὶ δίκαιον. Dicuntur postea preces eucharisticæ, in quibus mentio fit cœli & terræ & universæ creaturæ Angelorum, &c. Excipit has ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαώθ, ubi addit Cyrillus: *Ea propter enim hancce Theologiam ab Angelis traditam nobis asserimus, ut ita Exercituum supramundanorum reddi queamus socii cantionis; ut nimirum spiritualibus hisce canticis excitati ac sanctiores redditi, hominum amantem Deum imploremus, velit Spiritum suum sanctiorem delegare in proposita, ut panem faciat corpus Christi, vinum autem sanguinem Christi. Vere enim id, quod Spiritus sanctus attigerit, sanctum est redditum atque mutatum.* Dio-

Dionysius de Eccles. Hierarch. ubi de celebratione cœnæ dominicæ data opera agit, de ἐπικλήσει nihil habet. Precum tamen meminit C. III. περὶ τῶν ἐν τῇ συνάξει τελουμένων n. 2. *Qui vero in ordine sacrorum administro primas tenent, una cum Sacerdotibus altari divino imponunt & sanctum panem & benedictum poculum si quidem ante ab Ecclesia, quanta quanta adest, omni cantilena communis publice fuerit recitata: ad hæc dein divinus sacrorum antistes preces sacras perficit, cunctisque pacem sanctam annunciat, ac omnibus oscula sibi invicem figentibus, secreta manuum sacrarum ablutio peragitur.* Et n. 3. §. 7. *Hymnum vero istum alii quidem vocant Hymnologiam, alii vero cultus divini tesseram, alii denique (quod arbitror) divinam ac sacerdotalem gratiarum actionem, tanquam omnia divinitus ad nos pervenientia dona sacra complectentem. Videtur enim mihi omnium, quæ decantantur, operum divinorum singularis dispensatio, ad nos quæ spectat, & substantiam nostram ac vitam quàm optime sustentare, & ad archetypam pulchritudinem, nostram, Deum quæ refert, imaginem conformare, & in divinioris habitus ac consuetudinis communitate collocare, sed &, dum nos ex ingenerata ruditate locum quasi desertum, eumque donis divinis vacuum esse advertit, bonis jam præparatis ad principium nos revocare, & perpetua nostrorum acceptione, perfectissimam propriorum traditionem bene semper multiplicare, atque illâ ipsâ Dei ac divinorum commercio nos donare.* Denique §. 22. hæc adduntur: *Divus sacerdos juxta divinum altare stans laudibus celebrat dicta Jesu sacra opera divinæ circa nos Providentiæ, quæ quidem ille pro generis nostri salute, ex sanctissimi Patris vo-*

*voluntate in Spiritu S. secundum scripturæ oracula perfecit. Cantans vero, ac in veneranda illorum solertique consideratione attentos defigens oculos, ad symbolicam istorum oblationem pervenit, & quidem divinam juxta traditionem. Quomodo dein reverenter aqueac rite secundum munus sacerdotis, post sacra operum divinorum cantica, ob majestatem rei sacræ, ab ipso indigno peragendæ se sermone excusat? Primo quidem sancte ad ipsum exclamat: Tu dixisti: Hoc facite in recordationem mei. Post ea Deum imitante sacro hoc officio dignus ut evadat, expetit, quo ipsius instar Christi rem hanc divinam faciat, & tàm ipse, qua par est reverentia eam exhibeat, quàm ii, qui sacra hæc participaturi sunt, debita veneratione ea accipiant: tùm sacrificat divina dona cantuque celebrata in conspectum profert per Symbola sancte proposita. Etenim obtectum atque indivisum panem detegens, ac in multas partes dispescens, poculique usum cunctis distribuens, symbolice unitatem adauget atque dividit, sanctissimum hisce ministerium celebrans.* Hactenus Dionysius, cujus verba tota fere hùc posuimus, ut, quæ ipsius tempore in usu fuerit Liturgia, pateret, diversa omnino à Liturgia Cyrilli Hierosolymitani, maximè, quod invocationem Spiritus S. concernit, quam Dionysius non habet. Nunc ad liturgias Ecclesiæ Græcæ communes nobis progrediendum est.

§. V.

Liturgia Jacobi, cui maxima semper fuit autoritas, ita habet: *Miserere nostri, Bone Deus! juxta misericordiam Tuam, ac demitte & in nos & in proposita hæcce dona Spiritum Tuum sanctissimum, præstantissimum illum vitæque plenissimum, qui eodem gaudet throno tecum Deo & Patre & cum uni-*

*unigenito tuo Filio una regnans, ejusdem essentiæ ac æternitatis, qui locutus est in Mose ac Prophetis nec non in Novo Testamento tuo, qui descendit in specie columbæ in Dominum nostrum Jesum Christum in fluvio Jordane, inque eo requievit, qui delapsus est in Apostolos tuos in forma linguarum ignearum in cœnaculo sanctæ celebrisque Sionis in die Pentecostes: ipsum hunc sanctissimum Spiritum tuum demitte, ô Domine, in nos & in proposita hæc dona, ut adveniens sancta sua bonaque & egregia præsentia sanctificet, reddatque panem hunc sanctum corpus Christi tui, & poculum hoc pretiosum sanguinem Christi tui, ut sint omnibus ex iis accipientibus in remissionem peccatorum ac vitam æternam, in sanctificationem animarum ac corporum, ad fructificationem bonorum operum.* Eadem hæc ἐπίκλησις habetur & in Liturgia Marci, maximè & in Liturgia Basilii, ubi: *Accedimus ad sanctum altare tuum, ac proponentes antitypa sancti corporis ac sanguinis Christi tui te rogamus ac obsecramus, sancte sanctorum! juxta beneplacitum bonitatis tuæ ut veniat sanctus tuus Spiritus in nos & proposita hæc dona, eaq; consecret & sanctificet & ostendat. . . . . Panem quidem hunc ipsum corpus pretiosum Domini ac Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, quod vero in hoc poculo est, ipsum sanguinem pretiosum Domini ac Dei Salvatorisque nostri Jesu Christi, qui pro vita mundi effusus est.* In Liturgia verò Chrysostomi hæc exstant: *Porrò offerimus Tibi rationale hoc atque incruentum sacrificium, teq; rogamus supplices atq; obsecramus, demitte Spiritum tuum sanctum in nos & dona hæc adjacentia. . . . Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui*

 id

.. *id autem, quod in hoc poculo est, pretiosum sanguinem Christi tui*, additurque in quibusdam codicibus μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Atque hæc veterum liturgiarum loca sunt, ex quibus perspicere est, quænam fuerit ista ἐπίκλησις, quâ S. eucharistiam isti consecrârunt. Hinc oppidò mirandum, fuisse Viros doctos, qui crediderint, juxta veteres Liturgias consecrationem non in ἐπικλήσει, sed in verbis institutionis ponendam esse. Id quod in Concilio Florentino Joannes de Turrecremata ausus est asserere, qui textum Basilii violento modo in suam detorquere sententiam haud dubitavit, verba Basilii, ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα Χριστοῦ, ita explicando, ut per ἄρτον cœtus fidelium sit intelligendus, qui sit corpus Christi mysticum. Conc. T. XIII. f. 1144. 1145. Eundem in finem Leo Allatius ποίησον illud referendum esse ait ad sequentia. Scilicet his verbis non arbitratur designari, nondum factum esse corpus Christi, quod recitatis jam institutionis verbis factum fuerit, sed id solùm à Deo peti, ut & sacrificium hoc acceptum habeat, & sacramentum hoc accipientibus jubeat esse salutare. Hinc ex aoristo μεταβαλὼν hanc quoque derivat explicationem: *Fac ut panis hic, quem in pretiosum corpus Christi, & quod est in calice, quod in pretiosum Sanguinem Christi jam immutasti, sint nobis participatio Spiritus S. remissio peccatorum, &c.* Quinimo & μεταβαλὼν in Missa Basilii *extrinsecus additum esse* dicit. Conf. Exerc. XXV. in R. Creyghtoni Apparatum, versionem & notas ad Historiam Concilii Florentini p. 500. sqq. 517. 519. & quæ ad Irenæum commentati sumus p. 77. sqq. Quæ verò Turre-

recrematæ fuit explicatio, qui ἄρτον de corpore Christi mystico exposuit, eandem Card. Bessario etiam in libro de Sacramento Eucharistiæ defendit. Vid. T. VI. Bibl. Patr. f. 471. Is tamen, qui appositè magis gis hîc respondet, est Jacobus Goar, contendens, consecrationem verbis institutionis quidem in Ecclesia Græca olim factam, ast precibus confirmatam fuisse, illa virtutem physicam, has moralem habere, denique ex aoristo μεταβαλὼν concludi posse, factam jam esse mutationem. Conf. not. in Euchołog. Græç. f. 141. sqq. & Petri Arcudii L. III. de concordia Eccles. Occid. & Orient. C. XXVII. sqq. qui refutare conatur Nic. Cabasilam, Marcum Ephesium, aliosque, qui putant, precibus consecrationem fieri. Ast gratis hæc omnia dicuntur, sensumque verborum manifestè detorquent, ut quivis videt. Cæterum omnes propemodum Liturgias Orientales hanc, de qua loquimur, ἐπίκλησιν habere notavit Richardus Simon in notis uberioribus ad apologiam Gabrielis Severi p. 143. sqq. Addi de hoc argumento possunt Sixtus Sen. Bibl. S. L. VI. annot. 3. Bellarm. L. IV. de Euch. C. XIV. Allatius L. III. de perpetua Eccl. Occid. atque Or. consensione C. XV. §. 22. sqq. & Bona de reb. Liturg. L. II. C. XIII. §. 4. 5.

§. VI.

Cum in evolvendis Liturgiis nunc versemur, ex Missis quoque latinis quædam afferre lubet, ut conficiamus, in Ecclesia quoque Occidentali consecrationem * per invocationem Spiritus S. olim, etsi

 non

* Notandum tamen, has omnes preces non exstare in canone, sed esse secretas utplurimum, quas appellant. Nec enim in ullo Missali Latino Canon est, ubi exstet ἐπίκλησις, uti ea in Græco omnium Liturgiarum Ca-

non ubivis factam fuisse, id quod perperam negat Aymonius in Metamorph. de l' Egl. Rom. p. 170. Ita scilicet sæpius in Missali Gothico: *descendat, Domine, in his sacrificiis tuæ benedictionis coæternus & Cooperator Paraclitus Spiritus: ut oblationem, quam tibi de tua terra fructificante porrigimus, te sanctificante sumamus.* Alibi: *te oramus, uti hoc sacrificium tua benedictione benedicas & Spiritus S. tui rore perfundas, ut sit omnibus legitima Eucharistia.* Rursum: *munera tua quæsumus, Domine, S. Spiritus tui donatione sacrentur.* In Missa S. Mauritii habetur Collectio *post sanctus* dicta: *Oremus, fratres dilectissimi, ut Dominus ac Deus noster speciem istam suo ministerio consecrandam cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet.* In Missa S. Leudigarii: *concede nobis, ut descendat hîc benedictio tua super hunc panem & calicem in transformatione Spiritus tui Sancti.* Alii: *præsentia munera ita sincera pietate intuere, ut S. Spiritus perfundantur benedictione.* Rursus: *Te, Pater omnipotens, deprecamur, ut superposita altari tuo munera lætus aspicias, atque hæc omnia obumbres, Sancti Filii tui Spiritu.* Iterum: *Offerimus tibi hunc panem sanctum & calicem salutarem, obsecrantes, ut infundere digneris Spiritum tuum Sanctum.* Missale Gallicanum vetus in Missa S. Germani ita habet: *Descendat, precamur, omnipotens Deus, super hæc, quæ tibi offerimus, verbum tuum sanctum, descendat inæstimabilis gloriæ tuæ Spiritus, descendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio nostra hostia spiritalis, in odorem suavitatis*

nonе invenitur. At notandum, canonem olim secretam nuncupatum fuisse. Vide quæ supra jam notavimus & confer Bonam.

*tatis recepta*, quod & alibi in hoc Miſſali frequentius repetitur. In die quippe Circumciſionis oratur, *ut ſacrificium ſuſceptum, benedictum & ſanctificatum fiat nobis euchariſtia legitima in Dei Patris Filiique nomine & Spiritus S.* Idem fere exſtat in Miſſa Mozarabica. In die natalis Domini: *In altare tuum panis ac vini holocauſta proponimus, rogantes, ut has hoſtias Trinitas indiviſa ſanctificet.* Dom. II. poſt octavam Epiphaniæ: *Quæſumus, ut oblationem hanc Spiritus tui permixtione ſanctifices, & corpus ac ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti plena transformatione conformes.* Dom. I. Quadrageſimæ: *Emitte Spiritum tuum de ſanctis cœlis tuis, quo ſanctificentur oblata.* Dom. III. poſt Paſcha: *His ſacrificiis propitiatus illabere, hiſque benedicturus deſcende.* Dom. VI. poſt Paſcha: *Oramus, ut hæc libamina Spiritus tui ſancti benedictione reſpergens ſumentium viſceribus ſanctificationem accommodes.* Cæterum acutè obſervavit Card. Bona, *ritum Mozarabicum & veterem Gallicanum in hoc* nempe in invocatione Spiritus S. *convenire cum Græco* de reb. Liturg. L. II. C. XIII. §. 5, ubi tamen in eo errare videtur, quod credidit, hujus invocationis finem non fuiſſe conſecrationem & ſanctificationem donorum, ſed noſtram. Utramque * enim precibus hiſce expetitam fuiſſe ipſa verba monſtrant, ut non opus ſit prolixam hîc refutationem dare. Ita & Ambroſius in principio Miſſalis Fer. VI. *Deſcendat etiam, Domine*

* Sic habet L. I. Sacr. R. E. ſive Codex Gelas. in Vigilia in Pentec. Secr: Virtute Sancti Spiritus „Domine munera noſtra continge: ut, quod ſolennitate præſenti ſuo nomine dedicavit, & intelligibile nobis faciat & æternum. p. 110.

*Domine, illa Spiritus tui invisibilis forma & incomprehensibilis Majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat.* Quinimo & in Missa Ambrosiana, tam antiquiore, quam recentiore, dicitur sacramentum ineffabile gratiæ divinæ per infusionem Spiritus S. fieri corpus Jesu Christi. Eadem exstant in * Liturgia Cyrillo Al. adscripta: *Emitte de excelso sancto tuo & de habitaculo præparato incomprehensibili in sinu tuo & de habitaculo præparato incomprehensibili in sinu tuo & de throno regni gloriæ tuæ ipsum Paraclitum & Spiritum Sanctum tuum. . . . super nos famulos tuos & super has oblationes venerandas, quas incipio apponere coram te, super hunc panem & super hunc calicem, ut sanctificentur & commutentur.* Et in Liturgia Gregorii II. Pontif. Rom. quam in Græcum idioma vertit Georgius Codinus : *Tu Domine, verbo tuo in te ipsum commutas hæc quæ sunt proposita: tu habitas inter nos; præpara nobis ministerium plenum mysteriis : insere in nobis memoriam mysterii tui sancti : mitte super nos gratiam Spiritus S. tui, qui purificet & commutet has propositas oblationes in corpus & sanguinem liberationis nostræ.* Denique in Missa, quam primus edidit Flacius Illyricus, hæc habentur: *Petimus ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, & descendat super hunc panem & super hunc calicem plenitudo Divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus incompre-*

* Hæc primum Græce composita fuit, postea in Arabicum & Latinum sermonem transducta.

*prehensibilis invisibilisque Majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat.* In Sacramentario Gallicano Mille annorum ætatem ferente, & à Mabillonio T. I. Musæi Italici edito in Missa in quinquag. habetur p. 338. *hac post nomina: virtute S. Spiritus, Domine, munera nostra continge: ut quod solemnitate quinquaginsimæ suo nomini dedicavit, & intelligibile nobis faciat & æternum.* Sequitur *Collectio ad pacem: Munera nostra, quæsumus, Domine, S. Spiritus tui dignatione sacrentur.* Aliàs ἐπίκλησις Sp. S. in hoc Sacramentario non habetur. In Missa Ambrosianâ apud Pamel. T. I. p. 298. ante consecrationem: *Benedictio Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus S. copiosa de cœlis descendat super hanc nostram oblationem &c.* In vetere Missali Ecclesiæ Narbonensis secretis additur hæc Oratio: *Descendat quæsumus, Domine, Spiritus S. tuus super hoc altare, quo hæc munera tuæ Majestati oblata benedicendo benedicat & sanctificando sanctificet, & sumentium corda dignanter emundet.* Conf. Edm. Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus P. I. L. I. C. IV. Art. 7. §. 6. p. 393. Hæc autem omnia ostendunt, in Ecclesia etiam Occidentali primùm per invocationem* Spiritus S. consecratam fuisse eucharistiam, posterioribus verò temporibus fuisse abrogatam, cùm in hodiernis Missalibus non amplius inveniatur. Pro-

* Olim altaria etiam consecrabantur aspersione vini aqua mixti, super quod hæ preces dicebantur. . . . . . . . Largitor æternæ salutis, tu mitte Spiritum tuum super vinum cum aquâ mixtum, ut arma virtute cœlestis defensionis ad consecrationem hujus Ecclesiæ vel altaris perficiat. Vide L. I. Sacr. R. E. sive cod. Gelas. p. 120.

Proſcripta itaque fuit antiquiſſima traditio, variavitque Eccleſia in conſecratione, à qua totius Sacramenti eſſentia aut forma, ut terminis Scholaſticis utar, juxta ſententiam Eccleſiæ Romanæ conſiſtit.

## §. VII.

Sequitur, ut dicta Patrum, qui vel in precibus & ἐπικλήσει verbis inſtitutionis Conſecrationem ponunt, juxta ordinem ſeculorum hîc ponâmus, & quantopere ii variaverint, oſtendamus*. Sufficiat autem

* Conferri hîc poſſunt Jac. Goari, Ord. Prædic. Euchologium ſive Rituale Græcorum, vel porius obſervationes, quas in Euchologium hoc confecit Goarus, Petr. Arcudii, Corcyræi Liber III. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, Aymon Metam. de l'Egl. Rom. p. 170. ſqq. Marc. Ant. de Dominis de Republ. Eccleſ. L. V. C. VI. & XII. Leonis Allatii L. III. de Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione & in Rob. Creyghtoni Apparatum, verſionem & notas ad Hiſtoriam Concilii Florentini ſcriptam à Sylveſtro Syropulo de unione inter Græcos & Latinos Exerc. XXV. ſeqq. Jo. Bona de Reb. Liturg. variis in locis, Rich. Simon in notis uberioribus ad Apologiam Gabr. Severi, itemque in Hiſtoria Critica fidei & rituum populorum Orientalium Gallicè ſcripta & ſub nomine Domini de Moni edita, Acta Concilii Florentini, tùm T. XIII. Concil. exſtantia, tùm à Sylv. Syropulo ſcripta & à Creyghtono publici juris facta, Card. Beſſario in libro de Euchariſtia, Edm. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus, qui & P. I. L. I. C. IV. Art. 8. §. 19. p. 404. allegat *Diſſertationem Gallicam cujuſdam Doctoris pro Conſecratione per benedictionem peragenda, quam videre non contigit*: Martenius vero de ea nobis dixit, eam non impreſſam fuiſſe parvamque eſſe

autem, præcipua ſaltem attuliſſe; & ſemel monuiſſe, veteres mox precibus, mox verbis inſtitutionis vim conſecrativam tribuere. Quod ut pateat, ſelecta primùm Patrum Græcorum dabimus, quæ id evincant, teſtimonia. Euſebii Emiſeni loca adferre pluribusque illuſtrare ferè non attinet, cùm notorium ſit, ſermones, qui ipſi attribuuntur, eſſe ſuppoſititios. Ita autem ille ſub finem Serm. V. de Paſchate: *Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his autem commemoratis mox exuitur omni face peccati, ita, quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ*

& nullius momenti, Iſaacius Habertus, Epiſc. Vabrenſis in notis ad Ἀρχιερατικὸν ſive Librum Pontificalem Eccleſiæ Græcæ, Hugo Menardus in notis ad Librum Sacram. Gregor. M. Jo. Gerhardus tùm in Confeſſ. Cathol. tùm in locis Theologicis, Caſpar Calvœrius in Rituali Eccleſiaſtico, Edm. Albertinus L. I. de ſacramento Euchariſtiæ, Matthæus Larroquanus in Hiſtoria Euchariſtiæ Gallicè ſcripta P. I. C. VII. Cl. Salmaſ. ſub nomine Simplicii Verini Lib. de Tranſſubſtantiatione ad Juſtum Pacium contra H. Grotium variis in locis, & Iacobus Baſnagius in Hiſtor. Eccl. Gallico idiomate exarata paſſim, denique Vir Clariſſ. Petrus Zornius in Diſſertatione Hiſtorico-Theologica de ἐπικλήσει Veterum ad Spiritum S. in S. Cœna, quam ſub præſidio celeberrimi Theologi Ioh. Fechtii Roſtochii A. MDCCV. defendit, ut Bellarminum, Perronium, Cœffetellum alioſque plures taceamus. Euſeb. Renaudot quoque diſſertationem de Conſecratione Euchariſtiæ conſcripſit, quæ nondum impreſſa eſt. Adjungi etiam poteſt Io. Dallæus de cultibus Latinorum religioſis à p. 349. uſque ad p. 388. Pet. de Marca Traitte du ſacr. de l' Euch. in Recueil. des divers traittés ſur l' Euch. T. I. p. 469. ſqq. du Pin Bibl. Eccl. T. 17. p. 170.

*turæ sacris altaribus imponuntur*, *antequam* invocatione summi Numinis consecrentur, *substantia illic est panis ac vini*. Ex his patet, *invocationi Summi Numinis* seu precibus consecrationem attribuisse Eusebium. Ast quæ sequuntur, aliter sonant: *Post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid autem mirum, si ea, quæ potuit verbo creare, verbo possit creata convertere?* Id quod & repetit in Sermone de corpore & sanguine Domini: *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens*: Accipite & edite, hoc est enim corpus meum, *& sanctificatione repetita*: accipite & bibite, hic est sanguis meus. Epiphanius in Ancorato circa medium: *In statu damnationis sunt, qui post illa verba Dominica*: hoc est corpus meum, *non credunt esse ipsum verum corpus Christi, sed exspectant nescio quas preces humanas, ut fiat*. Ephræm Syrus περὶ ἱερωσύνης ita: *Sacerdotium vero magna fiducia. . . . consolationem pariter atque pœnitentiam precatur, nec non remissionem & misericordiam ac commiserationem à Rege misericorde, ut Spiritus Paracletus descendat ac sanctificet dona in terra jacentia*. Greg. Nyss. Orat. in baptismum Christi non longe ab initio: *Panis rursus est tantisper communis panis, cum vero eum sacrificat mysterium, corpus Christi dicitur & fit. Ita oleum mysticum, ita & vinum, quæ exigui ante benedictionem pretii sunt, post Spiritus sancti sanctificationem, quodvis eorum diverso modo operatur.* Aliter idem in Orat: Catechet. T. II. C. XXXVII. pronunciat, *panem Dei verbo sanctificari & in corpus verbi Dei transmutari*. Quodnam autem hoc verbum

bum ſit, ſtatim explicat, ſcil. *panis in corpus verbo ſtatim transmutatus, quemadmodum à verbo dictum eſt, hoc eſt corpus meum.* Eadem & Gregorii Naz. videtur eſſe ſententia, qui Orat. II. de Paſchate ita ſcribit: *Prolatis verbis à Sacerdote,* hoc eſt corpus meum, *qui non credit eſſe verum corpus Chriſti, ſine dubio fidem derogat.* Theophil. Alex. Epiſt. I. ἑορταστικῇ ait, panem Dominicum & ſacrum calicem *per invocationem & adventum ſancti Spiritus ſanctificari.* Ita vertit Hieron. Opp. T. 4. P. 2. f. 698. Nemo autem ex Seculi IV. Patribus eſt, qui argumentum hoc luculentius tractaverit Johanne Chryſoſtomo. Ita autem ille L. VI. de Sacerdotio: *Cùm vero & SpiritumS. invocat, & ſacrificium venerabile conficit.* Id quod & alibi dicit, exemplum Eliæ Prophetæ allegans, qui precibus à Deo impetravit, ut flamma è cœlis deſcendens conſumeret hoſtiam. Alibi tamen Homil. L. in Matth. *qui dixit: hoc eſt corpus meum, verboque rem confirmavit.* Et Homil. II. in 2. Tim. eandem ferè in ſententiam loquitur. In Homil. LXXXII. in Matthæum hæc habentur: *Non ſunt opus humanæ virtutis propoſita: qui tunc ea fecit in iſta cœna, idem & nunc ea nobis operatur. Miniſtrorum quidem ordinem nos tenemus, at vero ille ipſe eſt, qui ea ſanctificat atque præparat.* Porrò: *Hæc eadem illa eſt menſa, neque quicquam habet vilius: nec enim illam tantum Chriſtus inſtruxit, hanc verò homo, ſed & idem hanc quoque parat:* quæ eadem ferè dicuntur in Hom. LX. ad populum Antiochenum. Quomodo autem intelligenda ea ſint, ex Sermone de proditione Judæ explicandum eſt, ubi: *Atque jam adeſt idem Chriſtus, menſam*

 *hanc*

*hanc instruens. Qui enim illam ornavit mensam, idem & hanc nunc exornat. Etenim homo non est, qui proposita corpus ac sanguinem Christi facere queat, sed ipse Christus pro nobis crucifixus. Formam modo gerens adstat Sacerdos, precesque offert, illa enunciens verba: Hoc est corpus meum: gratia autem & virtus Dei est, quæ omnia operatur. Et veluti vox illa dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram! semel quidem dicta est, omni vero tempore efficax fit, corroborans naturam nostram ad sobolis generationem: pariter se habet hæc quoque vox, à divina ista lingua semel prolata: Hoc est corpus meum. in quavis mensa in Ecclesiis verbi illius vis ad hunc usque diem, imo usque ad Adventum ipsius perfectum operatur sacrificium.* Quæ omnia in compendio ibidem ita effert Chrysostomus: *Hoc est corpus meum, inquit Sacerdos. Hoc verbum proposita transformat.* Repetuntur hæc ferè à Jo. Damasceno L. IV. de fide Orthod. C. XIV. & allegantur in Formula Concordiæ Art. VII. de Cœna Domini p. 747. 748. additis D. Lutheri verbis T. VI. Jen. f. 99. & T. III. Jen. f. 446. exstantibus, ubi ait, *non nostram pronunciationem, sed verba Christi in prima institutione dicta habere efficaciam, ut non nudum tantum panem, verum etiam corpus & sanguinem ipsius distribuamus & accipiamus.* Id quod omnino à recepta Ecclesiæ Romanæ sententia abludit, quæ arbitratur, *verba Christi non præterita, sed quæ modo à Sacerdote cum intentione consecrandi proferantur, conficere corpus Christi.* Conf. P. Arcudii L. III. de Conf. Eccl. Or. & Occ. C. XXX, f. 233. Cæterùm, cum ista dicit Chrysostomus, nulla omnino ratione eam in sententiam descendit, quod verba à Christo pronunciata sacramen-

cramentum effecerint, utpote quod jam factum erat, sed id solum asserit, promissionem his verbis inclusam, istam symbolorum sanctificationem operari. Quod egregiè potest illustrari ex libro Chrysostomi, ubi demonstrat, quod Christus sit Deus. Ita enim ibi: *Dixit Dominus*, cœlum fiat, *& opus fecit*, fundetur terra, *& substantiam produxit*, Sol luceat, *& sidus apparere fecit, omniaque verbo suo operatus est, ita & Ecclesias plantavit, & verbum hoc*, ædificabo Ecclesiam meam, *omnia est operatum*. Scilicet, quemadmodum Chrysostomus verbo hoc Ecclesiam propriè ædificatam fuisse dicere nec voluit nec potuit, sed id omne benignæ Dei voluntati & promissioni his verbis declaratæ adscripsit, ita & eidem sanctificationem symbolorum eucharisticorum attribuit, eodem ferè modo, quo verba, *crescite & multiplicamini*, cum pronunciantur, propagationem generis humani operari nequeunt, quam promissio divina illis annexa efficit. Conf. Edm. Albertini L. I. de Euch. C. VII. f. 33. 34. Patet ex his, quæ diximus, Chrysostomi de Consecratione Eucharistiæ sententia. Duplex quippe juxta eum consecratio est, alia quâ Deus elementa proposita sanctificat, alia quâ nos consecramus. Hæc in precibus & ἐπικλήσει πνεύματος ἁγίου consistit, cùm humana virtus præsentiam corporis sanguinisque Dominici efficere non valeat. Illa verò est operatio divina, verbis institutionis significata, eapropter in administratione eucharistiæ repetendis, atque eo sensu efficacibus, quod promissionem divinam contineant, ista omnia efficientem & effecturam. Hâc ratione ut Chrysostomi verba explicemus, ipsius Liturgia nos cogit, quæ etsi ab eo con-

fecta non sit, sententiam tamen ipsius sine dubio exprimit, quæ itidem cum L. VI. de Sacerdotio verbisque ex eodem superius datis egregiè convenit.

## §. VIII.

Theodoretus Dial. II. *per invocationem sacerdotalem* consecrationem fieri asserit. Proclus Episc. Const. περὶ παραδόσεως τῆς θείας λειτουργίας ad verba Liturgiæ Chrysostomianæ, καταπέμψης τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα, hæc habet: *Fusis itaque precibus hisce Spiritus sancti expectabant adventum, ut divina sua præsentia propositum ad faciendam rem sacram panem vinumque aqua mistum ipsum illud corpus & sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi ostendat atque exhibeat.* Idem hic Proclus est, qui ait, mysticam Liturgiam ab Apostolis dictatam fuisse Clementi, conscriptam quoque à Jacobo, deinde à Basilio, denique à Chrysostomo, si modo Procli sit tractatus, qui ipsi attribuitur. Nilus in Epist. MS. ad Phil. Scholasticum ita: *Charta quidem ex papyro & glutine confecta, nuda vocatur charta; quod si vero Regis inscriptionem acceperit, manifestum, quod Sacra nominetur. Similiter mihi divina etiam mysteria ante Sacerdotis orationem ac Spiritus S. descensum, nudus panis ac commune vinum existere videntur proposita; post devotas verò illas invocationes adventumque adorandi atq; vivificantis & boni Spiritus, non amplius tenuem panem ac commune vinum esse, quæ mensæ sacræ sunt imposita, sed corpus ac sanguinem pretiosum & impollutum Christi omnium Dei, quæ puros reddunt ab omni contaminatione eos, qui*

*debita*

*bita reverentia magnoque desiderio ea assumunt.* Locum hunc erui ex Allatii diss. de Missa præsanctif. §. 18. Hesychius L. VI. in Levit. C. XXII. *Per ejus* Domini *virtutem & prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis sensum excedunt.* Maximus de Eccles. Mystag. C. XXIV. *Gratia Spiritus S. semper quidem præsens est, maxime tamen & peculiari ratione sacræ communionis tempore eorum, quæ adsunt, quodvis transmutat transfigurat atq; transformat in Divinius.* Joh. Damascenus de fide orthodoxa L. IV. C. XIV. ita sententiam suam pronunciat: *Quodsi igitur verbum Dei vivum est atque efficax, & quæcunque voluit, Dominus effecit, dum dixit: fiat lux, & facta est. . . . . Nonne & jam corpus suum panem & sanguinem vinum atque aquam facere queat? . . . Deus dixit: Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, atque hoc facite in memoriam mei, hinc & secundum omnipotens ejus præceptum, dum venerit, id fit: ita enim dixit; tantisper dum advenerit. Ac ut pluvia contingit novæ huic agriculturæ per invocationem obumbrans Spiritus S. virtus. Uti enim omnia, quæ Deus fecit, Spiritus S. efficacia fecit; ita & nunc illa ipsa Spiritus S. operatio supra naturam operatur, quæ nonnisi sola fides capere potest. Quomodo hoc mihi continget, inquit virgo sancta, quoniam Virum haud cognosco? Respondet ei Gabriel Archangelus, sanctior Spiritus super te veniet, ac virtus altissimi obumbrabit te. Quodsi igitur & nunc quæras: quomodo panis fit corpus Christi, & vinum atque aqua sanguis Christi? ego quoque tibi dico: Spiritus S. supervenit, atq; hæc operatur supra rationem & conceptum omnem.* Et post pauca: *Panis propositionis vinumque & aqua*

*per invocationem adventumque Spiritus S. ſupernaliter transmutantur in corpus & ſanguinem Chriſti.* Qui hæc attentius perlegerit, is nullo videbit negotio, eadem dicere hîc Damaſcenum, quæ ex Chryſoſtomo ſupra extraximus. Nicephorus Patriarcha Conſtant. ἀντιῤῥητικῷ II. *Quemadmodum panis & vinum & aqua naturaliter in corpus ac ſanguinem edentis & bibentis transmutantur, neque tamen aliud corpus, atque prius fuit, fieri dicimus ita & hæc ſupernaturaliter Sacerdotis invocatione atque adventu Spiritus S. in corpus & ſanguinem Chriſti transmutantur.* Eadem dicuntur à Theodoro Grapto in Orat. de inculpata Chriſtianorum fide, cujus fragmentum Originum Conſtantin. Manipulo inſeruit Combefiſius: *Hæc ſupernaturaliter invocatione Sacerdotis ac ſuperventu Spiritus ſancti in corpus ac ſanguinem Chriſti transmutantur.* Pet. Siculus Orat. contra Manichæos: *Et nunc & ſemper idem obſervatur Præceptum, divinorum miniſtrorum ſacerdotio celebratum, viſibiliter quidem propoſiti panis oblatione, inviſibiliter verò adventante Spiritu ſanctiſſimo & propoſita ſanctificante, nec modo antitypa, ſed ipſum corpus ſanctiſſimum atque pretioſum ſanguinem Domini ac Dei noſtri perficiente.* Nicetas Studita tr. de Zeo ait, *panem per Spirirum ſanctum in carnem Chriſti transmutari.* Samonas in Dialogo cum Achmete Saraceno. *Ponit enim Sacerdos in menſam ſanctam panem, ſimiliter & vinum, & ſacra invocatione precatur. Tum ſanctior Spiritus deſcendit ac ſupervenit propoſitis, & igne divinitatis ſuæ panem ac vinum in corpus & ſanguinem Chriſti transmutat.* Theophylactus in Cap. VI. Joh. *Panis hic verbis ſecre-*

*ſecretis transmutatur in carnem Chriſti per benedictionem arcanam adventumque Spiritus Sancti.* Maximus Homologeta & Georgius Pachymeres ad Dionyſ. C. III. de Eccles. Hier. *Ipſe autem Sacerdos ad illa prototypa, ipſum ſcilicet pretioſum Domini corpus & ſanguinem adducitur, credens, etiam propoſita Spiritu ſancto ac omnium moderatore in illa eſſe transmutata.* Theodorus, Antidorum Epiſc. in expoſitione Liturgiæ ſcribit de Symbolis euchariſticis: *quæ igitur & agnoſcimus & credimus ita transmutari, uti invocatio habet.* Nicolaus Caſabilas in expoſitione Liturgiæ C. XXVII. expreſſis verbis ait: *Dona ſanctiſſimum ac omnipotentem Spiritum recipientia transmutari*, pluresque adducit tùm citato tùm ſequentibus capitibus rationes, ut evincat, verba inſtitutionis ad conſecrationem euchariſtiæ non ſufficere. Ea enim ſaltem narrativa eſſe, nec ad præſens opus ſine precibus applicari poſſe arbitratur. Addit, quamvis Chriſto ea ad conſecrationem ſuffecerint, Sacerdotibus tamen preces eſſe adjiciendas, nimirum, ut quod ille propria virtute fecit, hi ἐπικλήσει ſua impetrent. Eandem ſententiam propugnat Simeon Theſſal. in Reſponſ. ad Quæſt. Gabriel. Pentapol. Marcus Epheſius peculiarem conſcripſit libellum, cui titulus: *Quod non modo verborum Dominicorum ſono ſanctificentur dona divina, ſed & precibus ea inſequentibus ac ſacerdotis benedictione, virtute quidem Spiritus ſancti.* Jeremias Patr. Conſtant. ita ad Theologos Wirtembergicos: *Panis fit corpus Chriſti & vinum atque aqua ſanguis Chriſti, adventu ſancti Spiritus, qui ſupra rationem ac cogitationem omnem ea transmutat.* Ita & Gabriel Severus aſſerit variis in

libris Transſubſtantiationem fieri per Sacerdotis benedictionem ac preces, additque *benedictione ac precum virtute fieri corpus ac ſanguinem Chriſti.* Ita tamen hanc ſuam defendit ſententiam, ut dicat, euchariſtiæ formam in verbis Dominicis προηγουμένως id eſt *antecedenter* poſitam eſſe, *conſequenter* verò & ut loquitur συνεπόμενα ἔχον ſe habere, quæ ſequuntur. Vide tr. de Sacramento euchariſtiæ eo capite, quod de materia & forma Liturgiæ inſcribitur. Cæterum omnes Græcorum confeſſiones conſecrationem ἐπικλήσει Sp. S. fieri aſſerunt, eorum nempe, qui placitis Eccleſiæ Latinæ ſe non ſubmiſere. Conferri hîc poteſt Confeſſio fidei Græcorum à Thoma Smitho edita, ubi expreſſis verbis iſta ponuntur. Ita & Concilium Conſtant. A. DCCLIV. habitum aſſerit, Euchariſtiam ſanctificari deſcenſu Spiritus S. Vide Conc. Nic. II. Act. VI. Conc. T. V. f. 756. Conc. VIII. Oecum. quod contra Photium habitum fuit, allegat Act. IV. verba Nicolai primi in Literis ad Michaëlem Imper. Conſt. exſtantia, quæ conſecrationem in benedictione & ſanctificatione Spiritus S. ponunt. Vid. T. VI. Conc. f. 489. Synodus Conſtant ſub Cyrillo Berrhöenſi A. MDCXXXVIII. habita clariſſime hanc ſententiam effert: *Anathema Cyrillo, hanc qui fovet ſententiam atque credit: haud transmutari panem propoſitum ut & vinum, Sacerdotis benedictione ac Spiritus S. adventu, in verum corpus ac ſanguinem Chriſti.* Vide L. Allat. de Eccl. Occ. & Or. perp. Conſ. L. 3. C. 11. p. 1064. 1068. Edidit eam & Aymonius. Quum tamen dicimus, Græcos ſtatuiſſe, quod ἐπικλήσει Sp. S. conſecratio fiat, id non aſſerimus, eos certæ precum formæ eandem alli-

gâſſe

gâsse. Varias enim, ut supra vidimus, ii Liturgias habent, omnesque preces æquales hîc esse contendit Photius in Epist. ad Nicolaum, ubi: *Aspice, ait, si placet præter hactenus dicta, liturgiarum quoque diversitates, easdemque & in precibus, & in invocationibus, & in ordine ac successione, & in temporis longitudine ac brevitate, & in multitudine ac paucitate, & quod per eas, o rem miram! tum panis communis transmutetur in Corpus Christi, tum vinum commune divinitus sistat sanguinem illius, qui tanquam redemtionis pretium pro nobis illud cum aqua ex proprio latere effudit. Neque tamen eorum, quæ recensita sunt, discrimen ac variatio prohibuit, quo minus dona ista, in quibus illæ preces peraguntur, uniformem parique efficacia divina præditam Spiritus S. virtutem sine omni & multiplicatione & permutatione reciperent.* Hactenus Photius. Nunc Patrum Latinorum de Consecratione Eucharistiæ sententiam enarrabimus.

## §. IX.

Optatus Milevit. L. VI. contra Parmenianum C. I. statim ab initio de Schismate Donatistarum usitatam suo tempore in Ecclesia Africana Spiritus S. ἐπίκλησιν fuisse haud obscurè docet. Ita enim ille: *Quid tàm sacrilegum, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere? . . . . . quò Deus omnipotens invocatus sit, quò postulatus descenderit Spiritus S.* Ambrosius L. IV. de fide ad Gratianum C. X. Consecrationem in Oratione ponit: *Nos quotiescunque sacramenta sumimus, quæ per sacræ Orationis mysterium in Car-*

 *nem*

*nem transfigurantur & Sanguinem, mortem Domini annunciamus.* Aliam tamen alibi ſententiam propugnare videtur, cùm ſcribit: *Hodie dat nobis eum, quem ipſe quotidie Sacerdos conſecrat ſuis verbis.* De benedict. Patriarch. C. IX. §. 38. Luculentius hæc repetuntur in libro de iis, qui myſteriis initiantur C. IX. *Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit? . . . . Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa Conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur . . . . Ipſe clamat Dominus Jeſus,* hoc eſt Corpus meum. *Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt Conſecrationem Corpus ſignificatur.* Et L. IV. de ſacramentis C. IV. *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum. Ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur adſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, Corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur, quibus verbis eſt & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergò ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum . . . . Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti.* C. V. dicitur: *Antequàm conſecretur, panis eſt: ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti . . . Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus. Ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi Sanguis efficitur,*

*tur, qui plebem redemit. Ergò videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere.* Adde & L. V. C. IV. Ast probè notandum est, utrumque hunc libellum, tùm eum, qui de initiatis agit, tùm alterum de sacramentis, Ambrosii non esse, uti jam suprà in Diss. de Oblatione Eucharistiæ sub initium §. 40. observavimus. Rabanus in libello: Dicta cujusdam sapientis de Corpore & sanguine Domini adversus Rathbertum: *Per Spiritum Sanctum ea creat & consecrat, & in quo Sacerdos ista fieri supplicat.* Vide Mabil. Sec. IV. Bened. P. 2. f. 594. Hieronymus Epistolarum Classe VII. Epist. 101. ad Evangelum Presbyterum Opp. T. IV. P. 2. f. 802. ita vanitatem Diaconorum supra Presbyteros se temerè extollentium castigat: *Quis patiatur, mensarum & viduarum Minister ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur?* Quæ ipsa tùm in Epistola ad Heliodorum,* tùm in Sophon. C. III. repetit. Augustinus suam de Consecratione Eucharistiæ sententiam diversimodè exponit. Ita enim L. III. de Trinitate C. IV. *Nec linguam quippe ejus* (sc. Pauli) *nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis Corpus Christi & Sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.*



* Ubi: Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, *qui* Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus. Classe I. Epist. Ep. 5. Opp. Hier. T. IV. P. 2. f. 10. NB. pro *qui* Martianæum male legisse *quia*.

*sionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei, cùm hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.* Et Epist. LIX. ad Paulinum: *Ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici, orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Oratione Dominica concludit.* Iterum de Baptismo L. V. C. XX. *Quomodo ergo exaudit Deus homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi vel super oleum vel super Eucharistiam?* Docent hæc, Augustinum credidisse, Consecrationem Eucharistiæ precibus fieri. Ast quæ alibi ponit, ab his, quæ modo recensuimus, haud parum abludunt. Ita enim Serm. CCXXVII. novæ editionis: *panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Christi, Corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi.* Et de divers. Serm. LXXXVII, *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi.* Fulgentius Ruspensis L. II. ad Monimum: *Quando autem convenientius quam ad consecrandum sacrificium Corporis Christi Sancta Ecclesia, quæ Corpus est Christi, Spiritus S. deposcat adventum, quæ ipsum caput suum secundum carnem de Spiritu S. noverit natum?* In Libro Sacramentorum Gregorii Magni: *Ineffabile divina gratiæ sacramentum offertur à plurimis, & unum Christi Corpus Spiritus S. infusione perficitur.* Eandem ratione Gregorii M. sententiam ita in ejus vita

vita effert Paulus Diaconus : §. 18. * *Præscius Conditor noster infirmitatis nostræ ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & Corpus sibi ex carne semper virginis operante sancto Spiritu fabricavit, panem & vinum aqua mistum, manente propria specie, in Carnem & Sanguinem suum ad Catholicam precem ob reparationem nostram Spiritus sui sanctificatione convertit.* Isidorus Hispal. de Ecclesiast. Offic. L. I. C. XV. *Ordo orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro est institutus.* Et Origin. L. VI. C. XIX. *Sacrificium dictum quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.* Concil. Tolet. XVI. A. DCXCIII. habitum Can. VI. *Panem sanctificari* ait *benedictione Sacerdotali.* T. V. Concil. f. 430. In Libro Carolino II. C. XXVII. hæc exstant : *Sacramentum Domini Corporis & Sanguinis, &c. consecratur à Sacerdote divini Numinis invocatione.* Ludovicus Pius ait, Corpus Domini per meditationem precum fieri. Vide Marculphi formulas veteres ab Hieron. Bignonio editas C. VIII. p. 209. & 121. Carolus Calvus in literis ad Pontificem Adrianum II. eandem fere in sententiam pronunciat, uti videre est ex Supplem. Concil. Gall. p. 265. Florus Magister in expositione Missæ ad verba, *qui pridie &c.* Consecrationem verbis institutionis perfici arbitratur : *In his verbis iste panis & calix ab initio consecratus est, Christi virtute & verbis semper consecratur & consecrabitur.* Aliter Haymo,

* Hæc verba ponuntur ex occasione miraculi, quod Paulus Diaconus ibi recenset de Corpore ac Sanguine Christi, incredulæ cuidam mulieri in eucharistia visibiliter apparente.

mo, Episcopus Halberstadiensis : *Orationes sunt, quas fundit Sacerdos in Consecratione Eucharistiæ.* Comment. in 1.Tim. II. 1. qui idem in libello de corpore & sanguine Domini T. XII. Spicil. Dacher. ait: *substantiam panis & vini per operationem divinæ virtutis in carnem & sanguinem converti.* Atque iterum: *Commutat ergo invisibilis Sacerdos suas visibiles creaturas in substantiam suæ carnis & sanguinis secretâ potestate.* Walafridus Strabo C. XXII. de rebus Ecclesiasticis : *Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum & Consecrationum officio, totum hoc Apostoli & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Et relatio majorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modò in Parasceve Paschæ, in quo die apud Romanos Missæ non aguntur, communionem facere solemus, i. e. præmissa Oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos Corpori Dominico communicâsse & Sanguini, quos ratio permittebat.* Paschasius Radbertus libro de Corpore & Sanguine Domini C. XII. *Virtute Spiritus S. per verbum Christi, fit Sanguis Christi.* Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus : *Cum benedictione & gratiarum actione primùm Dominus Corporis & Sanguinis sui sacramenta dedicavit & Apostolis tradidit, quod exinde Apostoli imitati fecere & successores suos facere docuerunt, quod & nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit Ecclesia . . . . . . Sicut Corpus Christi aromatibus unctum in sepulchro novo per officium condebatur, ita modò in Ecclesia mysticum Corpus illius cum unguentis sacræ Orationis con-*

*conditum, in sacris vasis ad percipiendum fidelibus per Sacerdotum officium administratur.* De instit. Clericorum L. I. C. XXXII, Concilium Carisiacense An. DCCCXXXVIII. congregatum, ait: Consecrationem precibus fieri & signo crucis. Vide T. III. Concil. Gall. f. 129. Concilium Turon.II. A.DLXVII. habitum Can. 3. *Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo* i. e. in crucis forma *componatur.* Hunc Canonem illustravit Harduinus Emb. II. c. 2. Amalarius L. I. C.XII. ait, consecrationem fieri *verbis & manu Sacerdotis.* Hildebertus Turonensis in carmine de officio Missæ : *Sub cruce, sub verbo natura novatur.* Synodus Carisiaca An. 858. congregata apud Hincmarum Opusc. IV. T. II. p. 141. *Manum chrismate sacro perunctam, de pane & vino aquâ mixto per orationem & crucis signum conficere Corporis Christi & sanguinis sacramentum.* Augustin. Tract. 118. in Joh. *Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibetur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex quâ regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Remigius Antissiodorensis in Comment. ad 1. Cor X. 16. *Panis, quem frangimus in altari, nonne participatio Corporis Domini est? Utique primùm consecratur & benedicitur à Sacerdote & à Spiritu Sancto.* In Canone * *Ego Berenga-*

* Debebat hîc dici : Confessionis formula secunda, quæ in Concilio posteriori Romano Berengario proposita fuit, & ab hoc confirmata & subscripta, incipiens pariter *Ego Berengarius* expresse ponitur &c. Cæterum exstat hæc formula apud Lanfrancum C. II. in collecti-

*rengarius* expresse ponitur, *panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ Orationis & verba nostri Redemtoris* consecrari. Rupertus Tuitiensis L. II. in Exod. C. X. *Operatione*, inquit, *Sancti Spiritus panis corpus, vinum fit sanguis Christi. Sed istud non capit humana sapientia. Totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus effectum non est destruere vel corrumpere substantiam, quamcunque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti, quod erat, invisibiliter adjicere, quod non erat.* Addatur & Stephanus Æduensis Tract. de Sacramento altaris C. V. Hinc, quod ἐπικλήσει & operationi Spiritus sancti sanctificationem symbolorum adscripsere veteres, ista ponit Hugo Menardus: *Quare olim quibusdam sanctissimis Viris hæc sacrosancta mysteria conficientibus sancti Spiritus præsentia sub quodam visibili signo apparere solebat, ut quondam S. Johanni Abbati, cognomento Chozebitæ, qui postea fuit Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, ut refert Johannes Moschus in Limonario C. XXV. & C. XXVII. Idem scribit de quodam Presbytero cujusdam in Cilicia pagi nomine Mardardus, qui nonprius Missam incipiebat, quam videret Spiritum sanctum altari obumbrantem: & C. CL. scribit de quodam Rumelli prope Romam Episcopo, qui ad* orationem oblationis* *solebat videre descensum Spiritus sancti, & celebrans coram Papa Aga-*

onibus Conciliorum, in Decreto Gratiani. Conf. Mabill. Acta SS. Ord. S. Bened. Sec VI. P. II. Præf. f. XXI.

* εὐχὴν τῆς προσκομιδῆς. At vero cum ea apud Latinos nunquam in usu fuerit, falsum hoc esse putat Morinus in tr. de Ordin. P. II. f. 178. b.

*Agapeto* *, *amoto quodam Diacono, qui ei erat impedimento, ipse eum Papa vidit adventum Spiritus sancti.* Not. in lib. Sacram. Gregorii M. p. 45. Quodsi itaque cum hisce omnibus hodiernam Ecclesiæ Romanæ sententiam comparemus, quæ consecrationem in quinque illis verbis *Hoc enim est corpus meum* ponit; dicendum utique erit, eandem variasse, aliamque ab Ecclesia primitiva fovere sententiam, quæ consecrationem maximè in precibus atque ἐπικλήσει Spiritus sancti insertisque institutionis verbis posuit. Quinimo & ipse Canon Missæ hodiernus veteris Ecclesiæ exprimit sententiam, precesque consecratorias cum verbis institutionis egregie combinat. Scilicet si ab infallibili diviniori Scripturæ regula abeamus, non potest fieri aliter, quam ut in diversas opiniones erroresque discedatur. Hinc Innocentius I. ad Decentium, Episcopum Eugubinum: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis Ordinibus & Consecrationibus haberetur* **. Tam familiaris sanè veteri Ecclesiæ fuit illa ἐπίκλησις, εὐλογίαν Christi exprimens, ut & in Sacramento Baptismi fuerit adhibita. Locum ex Gregorii M. libro Sacramentorum hanc in rem jam in notis ad Irenæum p. 76. 77, adduximus. Similiter Ambrosius L. II. de Sacram. C. V. *Venit Sacerdos,*

Ff

* Dixit scilicet Papæ Agapeto, ut refert Moschus: *Diaconum illum prope me assistentem, qui flagellum tenet, ab altari remove.*

** Innocent. I. Epist. ad Decentium Eugubinum *de forma consecrationis* scribere noluit, ne mysterium arcani revelaret. Ita Pagi in critica Historico-Theologica in Annales C. Baronii T. I. f. 23. b.

*dos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii & Spiritus Sancti.* Idem L. I. C. V. *Non sanat aqua, nisi Spiritus S. descenderit & aquam illam consecraverit.* Sic & L. I. Sacram. R. E. sive Codex Gélas. in consecratione Chrismatis p. 69. *Emitte quæsumus, Domine, Spiritum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olei* Et p. 71. oratur: *ut sancti Spiritus immisceat virtutem Deus per potentiam Christi sui.* Ibid. in consecratione fontis baptismalis p. 83. *Spiritus S. hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admixtione fœcundet.* p. 84. *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui, & totam hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.* Hinc & Dionysius, qui tamen de ἐπικλήσει eucharistica nihil habet, de Hier. Eccles. C. II. *qui aquam illius sacris invocationibus sanctificat.* Basilius Lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium C. XXVII. *Benedicimus etiam aquæ baptismatis.* Idem, quem citavimus, Pseudo- Ambrosius de iis, qui mysteriis initiantur C. V. *Quare prior Christus descendit, postea Spiritus sanctus, cum forma baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est. Nam ubi primùm ingreditur Sacerdos, exorcismum facit, secundo super creationem aquæ invocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.* Cyprianus Epist. LXX. ad Januarium: *Oportet ergò mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Cyrillus Hieros. Catech. III. *Ita e contrario aqua tenuis ad invoca-*

*tionem Spiritus S. & Christi, vim sanctitatis accipit ac possidet.* Gregorius Nyssenus Orat. in baptismum Christi: *vicissim igitur & à nobis accipe, quod aqua benedicta purum reddat hominem eundemq; illuminet.* Plura collegit testimonia Edm. Albertinus L. I. de Sacram. euchar. C. V. f. 17. 18. quæ hic adducere supersedemus. Cæterum, si nolimus, Patres in hoc de Consecratione Eucharistiæ argumento variâsse, approbanda nobis est ejusdem Albertini sententia, qui libro citato C. VII. sub finem f. 34. hæc habet: *Summa ergo disputationis hujus est, Patres eucharistiæ consecrationem ad tria retulisse: primo videlicet ad virtutem Christi & Spiritus Sancti, secundo ad preces, gratiarum actiones, benedictiones: tertio ad verba:* Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. *Ad virtutem Christi & Spiritus sancti tanquam ad causam principalem & proprie efficientem: ad preces, gratiarum actiones & benedictiones, tanquam ad conditionem imperatam & impetrantem, causamque instrumentaliter operantem: ad verba denique:* Hoc est est corpus meum, hic est sanguis meus, *tanquam ad verba promissiva, ut à Domino primum prolata sunt, & declarativa.* Hæc non sine summo judicio dicta esse videntur, nec coacta sunt aut violenta, sed ex recensitis Patrum effatis sponte fluentia. Harduinus verò de sacramento altaris C. VIII. ita habet. *Si consecratio precatioque Sacerdotis copuletur, eucharistia dicitur.* Et rursus: *Si consecratio secundum essentiam præcise consideretur, ut schola spectat, Christi Domini verbis continetur, si adæquate, ut Patres plerique spectavere, hoc est, etiam secundum integralia sacerdotis prece* quoque fit, *quæ ad consecrationem & ipsa spectat, si consideretur consecratio, ut est*

*actio religiosa, certis ex instituto Christi & Ecclesiæ præcepto ritibus peragenda.* Refert igitur Harduinus ad partes consecrationis integrales, Signum crucis, Orationem Sacerdotis omnesque cæteros ritus Missales.

§. X.

Restat, ut antequam ulterius progrediamur; paucissimis singula consecrationum genera recenseamus, quibus dona eucharistica apud veteres sanctificabantur. Et ante omnia quidem hic notandum nobis venit, duplici potissimum modo consecrationem esse dividendam. Est enim primò vel essentialis * vel accessoria, secundo vel immediata vel mediata. Definitionem cujusvis speciei recensere non videtur esse necessarium. Sufficit enim, varias has consecrationum species hîc recensuisse, suo cuivis charactere indito. Fit itaque juxta veteres consecratio I. per preces & ἐπίκλησιν, de quâ sufficienter jam actum fuit; II. per recitationem verborum institutionis precibus adjunctam; III. per orationem dominicam, uti ex §. 2. hujus Dissertationis videre est. Atque hæ tres species ad essentiam consecrationis pertinere videntur juxta Veteres, nisi quod de tertia dubium adhuc moveri possit. Sed pergamus. Fit & consecratio IV. per hymnos, quod jam in Dissertatione de Oblatione eu-

* Essentialis itidem duplex est, vel enim à parte Dei (venia sit verbo barbaro & Metaphysico) vel à parte hominum. Illa est virtus divina Spiritus S. Hæc recitatio verborum institutionis cum precibus conjuncta, quod paragrapho præcedente jam posuimus. Addc & quæ p. 104. 109. diximus ad Irenæi fragmenta.

Euchariſtiæ §. 6. diximus. Addi poſſunt, quæ in hac ipſa Diſſertatione §. 2. ex Chryſoſtomo & Proclo & §. 3. ex eodem Chryſoſtomo, itemque Juſtino Martyre, Plinio, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Cyrillo Hieros. & Auguſtino protulimus. Ἁγιασμὸν, qui hymno conſtabat, ita effert Chryſoſtomus: *Magna vocis contentione tantum cantabant, myſticum illud ſanctificationis canticum proferentes.* Oper. T. VI. f. 4. Adde Severiani Homil. II. eidem Tomo adjectam f. 597. 598. Inde & Caſaubonus putat, hymnum, qui Matth. XXVI. 30. & Marc. XIV. 26. memoratur, pertinuiſſe ad ipſum, quo euchariſtia celebratur, actum, diſſentientibus tamen Baronio & Janſenio. Conf. Exerc. XVI. in Baron. num. LXII. p. 519. 520. Notandum hoc loco, quod ſupra omiſeramus dicere, cùm in Diſſertatione de Oblatione Euchariſtiæ §. 6. ad Matth. XXVI. 30. καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον commentaremur, de hymno hoc euchariſtico motam olim quæſtionem fuiſſe à Carolo M. Albinoque Flacco propoſitam. Reſcire enim voluerat ab Alcuino Carolus, quiſnam fuerit* iſte hymnus, quem Chriſtus Apoſtolique poſt ſumtam cœnam decantaſſent. Reſpondit ille, negando primùm, fuiſſe aliquem Pſalmum, in quo utique erraſſe eum credimus; deinde aſſerendo, vel non omnia ab Evangeliſtis ſcripta eſſe, vel hymnum fuiſſe partem illam ſermonis *Pater, clarifica Filium tuum,* & quæ ſequuntur Joh. XVII. Conf. Flacci Alcuini Epiſt. CVI. in Epiſtolis à Caniſio editis. Denique notum etiam eſt, Gentiles olim carminibus decantatis conſecraſſe. Conferri autem de hâc, quæ per cantum fit, conſecratio-

* Hymnum hunc circumtulere olim Priſcillianiſtæ. Vide Auguſt. Epiſt. ad Ceretium Epiſcopum, & Cave Hiſt. Lit.

cratione poteſt Caſpar Calvœrius in Rituali Eccleſiaſtico P. I. L. II. Sect. II. C. LXI. p. 643. ſqq. & C. LXXIX. p. 708. ſeqq. Conſecrationem quoque V. ſigno crucis factam olim fuiſſe ſuperiore paragrapho memoravimus. Atque hæ duæ conſecrationis ſpecies, quas ultimo loco adduximus, acceſſoriæ ſunt, nec eſſentiam conſecrationis, ut cum Scholaſticis loquamur, ingrediuntur. Conſtat &, quod ſexto loco monemus, veteres olim vinum per attactum conſecrati panis conſecraſſe. Hinc in Liturgia Jacobi, cum panis conſecratus poculo immittitur: *Unio corporis ſacroſancti ac pretioſi ſanguinis Domini & Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* In Miſſa Romana: *Hæc commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* Eadem ferè in Miſſa à Matthia Flacio Illyrico primum edita exſtant: *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In Miſſa præſanctif. hoſtia conſecrata vino nondum conſecrato intingitur, qua ratione tamen vinum non conſecratur, etſi adoretur. Vide Allat. de Miſſa præſanct. §. IX. & XVIII. XIX. Cæterum & in eadem Miſſa, cum præſanctificata conficiuntur, conſecratione facta ſanguine dominico tinguntur & deinde in pyxidem reponuntur. Vide l.c. Ep. ad Naud. §. 1. & 3. Concil. Arauſic. I. Can. XXII. *Et calix offerendus eſt & admixtione euchariſtiæ conſecrandus**. Addatur Micrologus C. XXIII. de Eccleſia-

* Neſcio cur hunc canonem intelligendum credat Mabillonius de calice jam conſecrato. Comm. in Ord. Rom. p. 77. T. II. Muſæi Italici. Hunc canonem 22. Arauſic. Concilii I. A. 441. habiti explicat Harduin. Emb

clesiasticis observationibus. In Missa vetere ex codice Ratoldi, Abbatis Corbejensis, à Menardo edita in Appendice ad librum Sacramentorum Gregorii M. p. 265. exstat: *Hæc commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Concilium Toletanum IV. Can. XVII. *Conjunctionem panis & calicis* memorat. Non tamen dissimulandum est, fuisse, qui commixtioni isti contradixerint, eandemque postea fuisse abrogatam & è Missalibus expunctam. Conferri hanc in rem potest Julius I. apud Ivonem Carnotensem P. II. Decret. C. LXXXV. Concil. Bracar. III. Can. I. Conc. Claromont. ab Urbano II. celebratum apud Ordericum Vitalem L. IX. Hist. Eccles. ad A. MXCV. Ut autem penitius hanc consecrationis speciem intelligamus, sciendum est, Seculo IX. eam in Ecclesia Latina viguisse consuetudinem, ut eucharistia die Viridium consecrata in diem sequentem reservaretur, & parte hostiæ consecratæ in calicem immissa vinum nondum consecratum attactu panis benedicti consecraretur*. Conf. Amalar. de Eccles. Offic.



II. C: I. ubi de consecrat. per attactum luculenter agitur.

*Quæritur sc. num vinum attactu consecrati panis consecret? Hanc sententiam Ordini Romano attribuit Hulsemannus Manual. Augus. Confess. Procem. Disp. XX. n. 4. quem tamen refutat Barth. Nihus. de Comm. Orient. sub specie unica in Epilogo n. 4. p. m. 1678. Mabillon verò Comm. in Ord. Rom. p. 37. T. II. Mus. Ital. Constat itaque duplicem Euchar. particulam fuisse immissam in calicem, unam ex priori consecratione, alteram ex præsente, fortasse, ut sacrificii unitas & perpetuitas hoc ritu inculcaretur. Et jâm quoque olim fuisse Patres tùm ante tùm post Berengarium, qui crediderint, vinum nondum consecratum per particulam

Offic. L. I. C. XV. Eadem cum Amalario habet vulgatus Alcuinus. Ord. Rom. in Paraſc. p. 75. Mabillon in Muſ. Ital. T. II. p. 77. in Comm. prævio in Ord. Rom. qui tamen, cum ait, iſta Ordini Romano inſerta fuiſſe*, refutatur à Clariſſ. Basnagio Hiſt. Eccles. L. XVI. C. X. §. 9. 10. 11. ſ. 952. 953. 954. Impropriam autem hanc conſecrationem putat eſſe Menardus, cùm ait: *Quod de quadam exteriori conſecratione intelligendum eſt, cùm antea conſecratus fuerit* calix *per verba Chriſti. Quare hoc vocabulum* conſecratio *non ſignificat præcedentem conſecrationem per verba Chriſti factam, ut quidam male explicant.* Not. ad Libr. Sacram. Greg. M. p. 378. Scilicet diverſa omnino eſt commixtio panis conſecrati & vini itidem conſecrati à commixtione panis conſecrati vinique nondum conſecrati, quod probè notandum, ne confundamus, quæ non confundenda ſunt. Add. Grancolaſii, Doctoris Sorbonici Tr. Gall. de Miſſa & Offic. div. P. I. & Card. Bonæ L. II. Rer. Liturg. C. XVIII. §. 3. Cæterum, cum de ἐπικλήσει πνεύματος ἁγίου apud Græcos uſitata diſſe-

panis conſecrati in calicem immiſſam conſecrari, multis teſtimoniis probat idem Mabillon, Comm. in Ord. Rom. §. 12. ſqq. p. 66. ſqq. Negant id tamen & plurimi e. g. Bernhardus, Jacobo à Vitriaco &c. Ait autem & ipſe Mabillon, nunquam hanc fuiſſe univerſalem Eccleſiæ ſententiam: vinum attactu panis conſecrati ſine verbis inſtitutionis valide conſecrari poſſe.

* Ratio ipſius eſt, quia hæc verba: *ſanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem*, non inveniuntur, in eo ordine Romano I. quem ipſe dedit in T. II. Muſæi Italici. Deſunt itidem in Cod. antiquiſſimis Vatic. Corbej. & Colbertino.

differeremus, eam Ecclesiæ Græcæ consuetudinem referre negleximus, juxta quam *aquam ferventem in sanctum poculum fundunt*, descensum S. Spiritus, qui aqua fervida significatur, super vinum hâc ratione denotantes; quæ septima consecrationis species est. Notandum autem, aquam calidam post Consecrationem demùm infundi, Sacerdote ita benedicente: *Benedictus fervor sanctorum tuorum semper, & nunc & semper & in secula seculorum. Amen.* Infundit tùm Diaconus dicitque: *fervor fidei plenus S. Spiritu. Amen.* Antiquus est hic ritus, in Liturgiis Basilii & Chrysostomi præscriptus, in cassum à Latinis impugnatus, & in Concilio Florentino ab Episcopo Mitylenensi ita defensus, ut Eugenio Papæ plenè fuerit satisfactum. Confer Card. Bonæ L. II. Rer. Liturg. C. IX. §. 4. Aliam quoque caussam allegat Theodorus, Antidorum Episcopus, cur aqua calida in calicem infundatur, ut nempe impleatur typus Christi, ex cujus latere aqua calida exivit, in expositione Missæ, verbis ab Allatio in Hottingero convicto C. IX. datis & â Bona repetitis. Adde Jac. Goar. not. 167. ad Missam Chrysost. in Euchologio sive Rituali Græcorum, & Pet. Arcud. de Concord. Eccles. Occident. & Orient. L. III. C. XXXIX.

## §. XI.

Nunc, quid in * Concilio Florentino Anno MCCCCXXXIX. habito hoc de argumento, de



* Acta hæc Conc. Flor. ex quibus heic damus excerpta, scripsit Theod. Xanthopulus, si Allatio fides Exerc. in Creyght. p. 73. 74.

Consecratione scilicet Eucharistica, statutum fuerit actumque, enarrandum nobis est. Congregata fuerat ea Synodus à Pontifice Eugenio IV. Patrum Basileensium conatus sufflaminaturo, & Græcos spe auxilii à Latinis ferendi illectos in partes Ecclesiæ Romanæ tracturo. Hunc in finem, cùm de pluribus articulis inter ipsos actum fuisset, Sessione tandem XXV. argumentum de Consecratione Eucharistiæ proponitur. Status controversiæ cum adjuncta Græcorum solutione hic est, ex Tomo XIII. Concil. editionis Labbeo-Cossartianæ f. 492. exscriptus: *De divino autem ministerio quæsitum est a Latinis: Quare enunciatis Christi verbis hisce: Accipite, edite, hoc est enim corpus meum, pro vobis fractum in remissionem peccatorum, nec non illis: Bibete ex eo omnes, hic est enim sanguis meus novi ac æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis ac omnibus effunditur in remissionem peccatorum: quare, inquam, sacris donis hisce verbis consecratis, vos tamen præterea preces funditis, dicentes: Et fac hunc panem pretiosum Christi tui corpus, id vero, quod est, in hoc poculo, pretiosum sanguinem Christi tui, commutans sancto Spiritu tuo? Id autem ita solutum est: Nos dicimus, quod verbis istis consecrari fateamur panem divinum ac fieri corpus Christi: Sed deinceps, uti & vos ipsi dicitis: Jube perferri dona hæc per manum sancti Angeli in altare tuum supracœleste; ita & nos precamur, dicentes: descendere Spiritum S. in nos, & facere in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi, atque id, quod in poculo est, pretiosum sanguinem Christi, eaque transmutare sancto suo Spiritu, ut accipientibus fiant in ablutionem animæ ad remissionem peccatorum.* Confirma-

firmatur hoc f. 497. ubi exſtat, Ruthenum, Nicænum & Mitylenenſem Epiſcopos privatim Pontifici Eugenio IV. de Conſecratione ita reſpondiſſe: *Quod ad myſteria attinet, confitemur, quod conſecrentur vocibus Dominicis, etſi nos poſtea invocemus; Fiat corpus & ſanguis Chriſti.* Additur tamen, cæteros Græcos noluiſſe conſentire, & quia *veram rei tractationem de donorum conſecratione* neſciverint, quæſtionem hanc omittendam in poſterum cenſuiſſe, ac reſtitiſſe Latinos ejuſque ultimam deciſionem petiiſſe. f. 498. Num verò hæc ſecuta demùm ſit, ex Actis non liquet. Exſtat f. 509. *Deſcriptio ſanctæ ac œcumenicæ Synodi, Florentiæ quæ contigit.* Hic nihil planè de Conſecratione occurrit, uti nec in decreto ſeu definitione ab Horatio Juſtiniano edita. Id unum obſervatur, poſt ὅρον ſubjectaſque ſubſcriptiones quærere demum Latinos: *quare non contenti eſtis illis Domini verbis: Accipite, edite, ſed poſt ea additis: Et fac panem hunc pretioſum Chriſti corpus: & : transmutans illa ſancto Spiritu Tuo.* f. 574. Additur quoque fol. 526. *hæc à Latinis objecta* Dorotheum, Epiſcopum *Mytilenſem, canonicè & legitime diſſolviſſe*, etſi verba ejus non afferantur, quæ invidiſſe nobis ait Actorum Scriptorem Leo Allatius de Eccl. Occident. & Orient. Conſenſ. L. III. C. XV. §. 31. p. 1232. Aſt in Decreto Eugenii IV. Latine conſcripto ſed interpolato expreſſe exſtat f. 537. *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit ſacramentum.* Cæterum, quæ inter Græcos & Latinos tùm intercesſerunt, diſputationes, recenſentur ab eodem Juſtiniano, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtode, in Actis Concilii hujus, quæ collegit, diſpoſuit

& no-

& notis illustravit, citato Tomo XIII. Concil. insertis. Magnis argumentorum ambagibus in Concilio Latinorum Consecrationem defendit Johannes de Turrecremata, galero purpureo eapropter ab Eugenio IV. donatus. Is quippe Collat. XXII. verbis Salvatoris solis tanquàm formâ transsubstantiationem fieri ut probaret, allegavit dicta Chrysostomi, Damasceni, Dionysii, Ambrosii & Augustini, quæ fere omnia supra recensuimus. Urget & inter alia dictum Augustini : *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum.* Tract. 4. in Joh. & de Cataclysmo C. III. Id quod tamen Augustinus occasione Baptismi dixit, nec ita dixit, ut preces excluderet usumque Sacramenti à Domino præscriptum, qui ad formam illius conficiendam omninò est necessarius. Noluit tamen his omnibus ambas dare, qui præsens erat in Concilio, Græcorum Imperator Johannes VII. Palæologus. Hinc Turrecremata postridie nova addidit Patrum dicta, maximè verò Augustini, qui de verbis Domini C. XXVIII. hæc habet : *Ante verba Consecrationis, panis est, post Christi verba non panis sed corpus Christi est.* Et in Sermone de Corpore Christi : *Intra Catholicam Ecclesiam nec majus à bono Sacerdote, nec minus à malo Sacerdote conficitur, quia non in merito consecrantis sed in verbo conficitur Salvatoris.* Id verò ridiculum ferè est, quod addidit Turrecremata, Basilium formam Consecrationis in precibus non posuisse. Quum enim dicat : *Fac hunc panem corpus Christi*, per ἄρτον cœtum fidelium intelligendum esse, qui sit τὸ σῶμα τὸ μυστικὸν τοῦ Χριστοῦ.

Scili-

Scilicet ita causam nostram prodimus, ubi manifesta παρερμηνεία Veterum dicta ad sententiam nostram torquemus atque deflectimus. De eo enim ἄρτῳ sermonem hîc esse quivis videt, qui est δῶρον προκείμενον, in Corpus verum Domini Jesu consecrandum, & à fidelibus accipiendum. Nec longa refutatione egent, quæ adjicit Turrecremata, formam Consecrationis non posse esse *verba deprecationis*, quia *hæc virtutem activam non habeant*. f. 1155. Formam enim extremæ unctionis ex Christi institutione deprecatoriam esse statuunt Thomas in IV. Dist. XXIII. & Suarez in III. Par. Disp. XL. Sect. III. Contradixerat Turrecrematæ Arathensis, cui & reposuit ille, sed Pontifex ad unionem cohortatus est dissentientes addiditque: *Non puto, quod aliquis sit ita parum intelligens, qui credat, quòd possit confici corpus Christi aliter quam verbis Salvatoris nostri, non dico rationibus Ambrosii & Hieronymi. Videant consequentiam. Nam aliàs ante istos Doctores non fuisset confectum corpus Christi, & hoc nullus diceret.* Respondit Rossensis, credere se, verbis institutionis Consecrationem fieri, sed ita, ut eadem invocatione Spiritus S. consummetur. Scilicet, quemadmodum ex semine fructus effici nequeat, nisi ager benè fuerit præparatus instrumentis huc pertinentibus, ita verba quidem institutionis in se satis efficacia esse, ast necessarias tamen esse Sacerdotis preces, ut efficaciam suam queant exserere. Porrò cùm Basilii & Chrysostomi Liturgiæ jam ante factum schisma in Ecclesia Græca obtinuerint, se iis & in posterum usuros adjecit. Nec hæc quoque sine refutatione dimisit Turrecremata, uti videre est

ex f. 1157. 1158. Additur tandem f. 1161. ex relatione Cardinalis Placentini, Græcos, quæstione de Consecratione proposita, confessos, se Latinorum sententiam juxta Chrysostomum penitus tenere, quo & acquieverit Pontifex. Quamvis autem ex his, quæ protulimus, Actis sufficienter appareat, eos sententiæ Latinorum ex omni parte non accessisse, quippe qui Liturgias suas non mutaverint, Latinorum opinioni penitus licet contrarias, eosdemque consensum quendam cum Latinis finxisse saltem, politicis quippe ex rationibus, quas Imperator ipsis suggesserat, denique hanc de Consecratione controversiam in Canonibus Concilii haud decisam fuisse; aliter tamen ista paululum refert Sylvester Syropulus, (non enim Sguropulum cum Roberto Creyghtono dicimus, quem graviter eam ob rem recteque reprehendit Leo Allatius Exerc. II. in Creyght. Hist. Conc. Flor. p. 18. seq.) qui ipsemet quoque Concilio interfuit atque etiam subscripsit, minis Imperatoris territus, licet acerrimus Latinorum hostis esset. Conscripsit is Historiam Concilii Florentini, quam notis illustravit publicique juris fecit laudatus Creyghtonus primùm Carolo II. Regi Angliæ à sacris, posteà Episcopus Bathoniensis & Wellensis, Hagæ Comit. A. MDCLX. refutavit autem Leo Allatius in Exercitationibus, quas in R. Creyghtoni Apparatum, versionem & notas ad Historiam Concilii Florentini scriptam à Silvestro Syropulo de unione inter Græcos & Latinos Romæ MDCLXV. edidit. Scribit autem Syropulus Sect. I. C. I. f. 278. Latinos petiisse, *Ut corrigeretur ac irrita redderetur in conficiendo sacrificio incruento usitata benedictio tertia ac invocatio Spiritus Sancti, a Sacerdote facta,* quia nempe

Eucha-

Euchariſtia verbis inſtitutionis conſecranda ſit. Tandem reſpondiſſe fertur Imperator : *Quodſi certiores reddi velitis, quod Baſilius M. ac Chryſoſtomus M. ita tradiderint conſecrare dona divina atque conficere, deprehendetis in omnibus, quotquot in Oriente ſunt, Eccleſiis Scriptas Liturgias ita accepiſſe, quæ vero ultra 800. eſſe videntur. Ad hæc autem Julianus dicebat : Poteſtne ſacra Majeſtas tua confirmare juramento, quod quæ determinas, Biblia ita ab initio tradita ſint a ſanctis illis, prout nunc inveniuntur, & quod in hiſce temporibus haud mutata ſint : Sin vero hoc non fiet, quomodo fidem nos Bibliis habebimus?* Multa deinde inter Græcos & Latinos hâc de re diſputatione orta, Roſſenſis ( ὁ Ῥωσίας) & Nicænus tandem dixerunt : *Quemadmodum divinum illud præceptum, ſemel a Deo prolatum : Progerminet terra herbam agri, ferens ſemen juxta genus ſuum, inde ab initio & adhuc operatur, nec non usque ad conſumationem ſeculi operabitur ; & nos quidem perſuaſum habemus, quod divinum illud mandatum ſit, quod terræ virtutem conferat germinandi ac fructificandi ; nihilo tamen minus opus ſit agriculturæ operatione, cum eam ad fœcunditatem terræ quam maxime cooperari advertamus : ita & de ſancto hoc ſacrificio aſſerimus, quod verba quidem iſta ſint, quæ illud conſecrent, præterea vero accedant & preces ac invocationes Sacerdotis ad conſecrationem, quemadmodum ad terræ proventum agricolæ induſtria. Hæc cum dicerent, neque noſtri omnes contenti ſatis erant, quippe attenti ad ſcopum eorum, quæ in divinis Liturgiis ſcripta ſunt, neque Latini, & illi quidem multo minus, utpote ad præjudicium ſuum reſpicientes. Propterea etiam haud conſenſerunt.*

*runt.* Hac disputatione facta graviter Græcos increpuisse fertur Pontifex. Cùm postea Synodi definitio à Græcis subscripta fuisset, Imperator delegatos ad eum misit, qui consensum Ecclesiæ Græcæ cum Romana in articulo de Consecratione Eucharistiæ declararent, ut Pontificis animus rursus mitigaretur. Hinc in Synodo Nicænus ita locutus esse fertur Sect. I. C. VIII. f. 293. 294. *Quod Romana docet Ecclesia de donorum divinorum consecratione, idipsum nos quoque statuimus, quod voces divinæ atque dominicæ sint, quæ consecrent atque perficiant dona divina, illæ scilicet: Accipite, hoc est corpus meum: & rursus: Bibete ex eo omnes, hic est sanguis meus: atque in hoc ipso vobiscum sentimus. Neque enim aliud quid asserimus, præter id, quod & vos dicitis atque traditis. Accedere autem dicimus etiam Sacerdotem ad illa verba, uti ad eorum, quæ ex terra nascuntur, conatum colonus. Omnia vero ad verba illa Domini referimus, atque in hoc ipso eandem vobiscum sententiam tenemus.* Addit autem Syropulus f. 294. Nicænum hæc, cæteris Græcis nescientibus & dissentientibus, ex vaferrima perfidia, Latinisque & Imperatori placendi studio dixisse, petiisse & Latinos, ut ista ὅρῳ Synodali insererentur, sed noluisse id Imperatorem, veritum, ne, si reverteretur Constantinopolin, diceretur, ipsum Liturgiam à S. Jacobo, Basilio & Chrysostomo traditam evertisse. Ne tamen & Latini quererentur, se subdolis falsisque verbis fuisse circumventos, jussisse Imperatorem, ut Nicænus præcipuique ex Græcis ista omnia coram Papa publice assererent, atque hoc etiam factum & à Latinis in Acta Concilii relatum fuisse. *Quod etiam*

*factum*

*factum est*, ait Syropulus, *& nobis invitis & de eo nihil quicquam cognoscentibus. Hac puritate & consilio & libertate & consensione gesta sunt omnia.* Cæterum & Sect. X. C. XIII. f. 300. idem memorat, ὑπομνηματογράφον & πρωτοσύγκελλον jussu Imperatoris sacra dixisse in palatio, Papæque nomen in diptychis commemorâsse, πρωτοσύγκελλον quoque non benedixisse sanctis donis ἐν τῷ ἁγιάσμῳ h. e. Spiritum S. non invocâsse, quod plurimi observaverint ipsumque condemnaverint, maximè Philippus Diaconus. Hactenus Syropulus, cujus recensionem ut veram esse demonstremus, utique non opus est. Consentit etenim cum Actis Concilii, eademque egregie illustrat, si hoc unum exceperis, quod ait, non omnes Græcos huic sententiæ subscripsisse, fictumque hunc ab Imperatore & Episcopo Nicæno fuisse consensum, ut Pontificis animus sedaretur & conciliaretur. Unde & ex Actis hujus Concilii concludere est, Ecclesiam Græcam consecrationem eucharistiæ in invocatione Spiritus S. precibusque, Ecclesiam Latinam verò in nullis plane precibus sed in sola verborum institutionis recitatione ponere. Quæ ipsa & magnum Ecclesiarum Orientalis atque Occidentalis in articulo tanti momenti dissensum ostendunt, & demonstrant insimul, Ecclesiam Romanam heic variâsse & discessisse à veteri consecratione, quam primitiva Ecclesia ipsaque Romana antiquior in precibus posuit, uti tùm ex Missalibus antiquis tùm ex dictis Patrum Latinorum supra adductis videre est.

## §. XII.

Cùm itaque videamus, Ecclesiam Latinam in articulo de consecratione Eucharistiæ Ecclesiæ Græcæ omnino contrariam esse, operæ pretium nos facturos existimamus, si rationes eorum, qui ex Ecclesiæ Romanæ Scriptoribus ἐπίκλησιν Græcorum aggressi sunt, paulo penitius pensitemus. Agmen ducat Card. Joh. de Turrecremata, cujus rationes contra ἐπίκλησιν adductas T. XIII. Concil. f. 1143. 1144. exhibet. Primum argumentum à testimoniis Patrum Chrysostomi, Damasceni, Dionysii, Ambrosii & Augustini desumtum ex iis, quæ jam diximus, facilè resolvi potest, cum iidem partim variaverint, adeoque firmam probandi rationem hîc non præbeant, partim de consecratione sive sanctificatione symbolorum, in quantum eadem à Deo fit, saltem loquantur, non verò de consecratione Sacerdotis; ut taceamus, supposititia pro genuinis à Turrecremata allegari, & Dionysium quoque in partes trahi, qui, uti supra ostendimus, precibus consecrationem fieri omnino statuit. Secunda ratio admodum scholastica est. Ita enim arguit Vir acutus: *Illius verbis sacramentum conficitur, cujus virtute panis transsubstantiatur in corpus Christi.* Quid si in hoc argumento connexionem, quam vocant, negaverimus? Ast in Consecratione verba Christi quoque adhibenda esse, nunquam negârunt Græci. Nec cogitare debebat Turrecremata, ipsos, dum ἐπίκλησιν consecratoriam urgent, propria quadam virtute sua tantum voluisse efficere mysterium, qui virtuti divinæ promissioni-

que

que in verbis inſtitutionis exſtanti omnia iſta adſcripſere. At quomodo, ajunt ii, virtus divina ſe hîc exeret, niſi precibus eam ſanctaque ἐπικλήσει expetiverimus? Tertia ratio cauſam Latinorum penitus prodere videtur. *Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum perfectum. Aſt non conſecravit niſi verbis* Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. *Ergo his verbis conſecratio perficitur.* Suprà enim §. 1. probavimus, Chriſtum conſecrâſſe, çùm *gratias egerit & benedixerit*, verba autem illa: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, demùm in diſtributione dicta fuiſſe. Quartum argumentum ſuâ mole cadit: *Verba nullius Sancti poſſunt tranſſubſtantiare, ſed ſolius Chriſti.* Hoc enim totum conceditur & habet quod vult Turrecremata. Quis enim dixerit, verba Sacerdotis propria quadam atque inſita vi mirabilem iſtam unionem ſacramentalem efficere poſſe? Maneat ſemper iſta Irenæi ſententia: Deus conſecrat virtute ſua omnipotente, vi datæ in inſtitutione cœnæ Dominicæ promiſſionis. Sacerdos verò conſecrat precibus & ἐπικλήσει, ſine qua virtus divina impetrari nequit. Quod quinto loco dicit Turrecremâta, Chriſtum & Apoſtolos non uſos fuiſſe Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi, ſed ſolis verbis inſtitutionis, cum conſecraverint, id, ſi prius quidem aſſertionis membrum reſpicias, bene ſe habet, ſi poſterius verò, falſiſſimum eſt. Chriſtus enim *benedixit & gratias egit*, cùm conſecraret, ut jam diximus, & Apoſtoli *benedixerunt*. 1. Cor. X. 16. Hanc verò benedictionem in recitatione verborum inſtitutionis conſtitiſſe, nemo aſſeruerit, qui cogitaverit, εὐχαριστίαν & εὐλογίαν preces eſſe. Quinimo Turrecrematæ ſenten-

tiam destruit tota antiquitas, uti supra §. 1. 2. vidimus, maximè Gregorius M. qui ait, Apostolos sola Oratione Dominica Eucharistiam consecrasse Cæterum, cum addit Turrecremata, Basilium & Chrysostomum nullibi in Liturgiis asserere, quod invocatione Spiritus S. fiat consecratio, id sola Liturgiarum, quæ ipsis adscribuntur, inspectione refutatur. Sacerdos enim in iis precans sistitur, ut Deus ex pane & vino, interventu Spiritus S. faciat corpus & sanguinem Jesu Christi, quæ preces fundi neqeunt, nisi credatur, corpus Jesu sanguinemque ipsius nondum adesse. Cum itaque verba institutionis ante hanc ἐπίκλησιν dicta jam fuerint, in aprico est, Basilianæ & Chrysostomianæ Liturgiæ Autores consecrationem iisdem haud adscribere. Nec sequitur, verba Christi fore imperfecta, si invocatio Spiritus S. debeat superaddi. Quid enim? Meritumne Christi imperfectum est, quod homines per id salvari nequeunt, nisi id vera fide sibi applicaverint, vitamque ducant ad mandata Christi legesque nobis præscriptas compositam? Necessariæ sunt quippe preces consecratoriæ, non eaproper, quod, ut jam diximus, virtute quâdam propria consecrent, sed quod & Christus & Apostoli consecraverunt precibus, & quod non convenit tanti momenti rem sine precibus perficere, divinamque haud flagitare gratiam, ut res cœlestes cum terrestribus uniat. Addit Turrecremata, precibus nihil posse consecrari, idque exemplo mulieris Cananææ probat. Cum enim hæc dixisset: *Miserere mei Fili David*, respondisse Christum: *Fiat, sicut tu vis.* Sanationem itaque precibus factam non esse sed verbo Christi. Proprium jugulum, ut arbitror, petit

petit hic Turrecremata. Scilicet non negatur, virtute Christi omnipotente verboque efficacissimo sacramentum hoc augustissimum perfici. Ast quemadmodum filia mulieris Cananææ sanata non fuit, nisi præcedente matris prece, ita ἐπικλήσει nostra præcedente demum fit consecratio. Docent hæc, Turrecrematam sententiam Ecclesiæ Græcæ haud satis habuisse perspectam, nodumque quæsivisse in scirpo, etsi de cætero Vir longe doctissimus fuerit, magnoque polluerit ingenii acumine. Cæterum easdem ferè cum Turrecremata rationes contra ἐπίκλησιν profert Card. Bessarion, qui cum à partibus Græcorum primum stetisset, utpote Archiepiscopus Nicænus, magnamque eruditionis & facundiæ laudem in Concilio Florentino reportâsset, tandem dignitate Cardinalitia illectus sensim sensimque ad Latinorum partes deflexit, donec, finito Concilio, sede Nicæna exutus detracto velo ad Latinos transiit. Graviter eum hanc ob perfidiam increpuit Marcus Eugenicus, Metropolita Ephesinus. Hinc &, quod argumentum de consecratione Eucharistiæ attinet, scriptis libellis bellum gessere literarium. Et Marci quidem libellum, qui non verbis modo dominicis sed & precibus consecrationem fieri statuit, supra §. 2. & 8. memoravimus, Liturgiis Græcis insertum, quæ Parisiis A. MDLX. prodiere, f. 138. sqq. Adde & Biblioth. Patrum Bignæanam T. IV. Bessarion vero tractatum de sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi conficiatur, conscripsit, Liturgiis itidem citatis adjectum & T. VI. Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum Parisiis A. MDCLIV. editæ, itemque Maximæ veterum Patrum Bibliothecæ Lugdunensi T.

XXVI. aſſutum. Prima ratio eſt, quam ponit, transſubſtantiationem in inſtanti fieri, verboque adeo omnipotenti Jeſu Chriſti perficiendam eſſe. At ſupponit hîc Beſſarion, quod negamus, ſolam conſecrationem ſacramentum efficere. Nec ad momentum quoddam iſta reſolvi poteſt, quod determinare & arduum eſſe videtur & temerarium. Denique, ut ſæpius jam obſervavimus, conſecratio à parte Dei (ſit venia verbo è Scholaſticorum lacunis petito) fit utique virtute ea omnipotente, qua efficit omnia, ſed à parte ſacerdotum precibus & invocatione Divini Numinis. Ait ſecundo Beſſarion, preces meritum naſci ab offerente, corpus Chriſti autem non fieri juxta meritum offerentis ſed ſecundum omnipotentiam Dei. Quid ſi omnia hæc conceſſerimus? Sed nec quisquam negaverit, exauditum iri eum, qui promiſſione divina fultus ex mandato Chriſti Deum invocaverit. Accedit, totius Eccleſiæ preces hîc cum precibus Sacerdotis combinari, huncque agere, ut *οἰκονόμον μυστηρίων Θεοῦ* 1. Cor. IV. 1. *ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύοντα* 2. Cor. V. 20. Tertia ratio à Beſſarione allegata ex incertitudine conſecrationis petita eſt, quæ ſecutura eſſet ex precibus Sacerdotis digni vel indigni, ſacramentum conſecrantis. Aſt & huic dubio jam ſatisfecimus. Scilicet, nec conſecratio à ſolis dependet precibus, quod nemo unquam dixit, ne ipſe quidem Marcus Eugenicus, Beſſarionis adverſarius, nec ſolus eſt Sacerdos qui precatur, nec ſuo nomine id facit, quod facit. Addit Beſſarion, Sacerdotem, qui poteſtatem habeat faciendi corporis Chriſti, dicere *Hoc eſt corpus meum* at eum, qui precetur, ut hanc poteſtatem nanciſca-

tur a Deo, eam nondum habere præſumi. Miror, hæc potuiſſe dicere Beſſarionem. Scilicet duriſſima hæc Phraſis eſt, dicere, quod Sacerdos corpus ſanguinemque Chriſti facere poſſit. Deus eſt, qui eadem in ſacramento reddit præſentia juxta promiſſionem in verbis inſtitutionis datam, exoratus precibus Sacerdotis & Eccleſiæ. Aſt juxta Romanæ Eccleſiæ ſententiam hîc pronunciavit Beſſarion. Nec plura reponere hîc opus eſt, ne ad aliud argumentum inviti dilabamur. Ultimum, quod urget Beſſarion, eſt, quod conſecrationis verba ſint immutabilia. At verba ἐπικλήσεως ait eſſe varia, mox optativa mox imperativa. Plura hîc tanquam vera dicuntur & extra controverſiæ aleam poſita, quæ nos in dubium vocamus. Verba quippe conſecrationis cùm in S. codice non exſtent, immutabilia vocari nequeunt. Compoſuit olim ea Sacerdos pro lubitu, poſtea formulas præſcripſit Eccleſia, eâ libertate uſa, quam conceſſit Dominus. Id quod & ſupra diximus. Cæterum verba ἐπικλήσεως nec optativa, nec imperativa ſunt, ſed deprecatoria, ut quivis videt. Vereor autem, ne, dum Beſſarion Liturgias Græcas in ſuam ſententiam rapere conatur, inani defungatur operâ. Etenim Turrecrematæ adoptat opinionem, cùm ait, verba: *Fac huncce panem pretioſum corpus Chriſti Tui* de Eccleſia, corpore Chriſti myſtico, intelligenda eſſe, panem quippe propoſitum per verba inſtitutionis ἐπίκλησιν præcedentia jam mutatum eſſe in corpus Chriſti. Hæc, ut arbitror, nulla refutatione egent, utpote, ne durius quid dicamus, verò planè abſimilia. Nec *Amen*, quod recitatis inſtitutionis verbis apud Græcos ſuperaddit populus, oſtendit, eos cre-

didiſſe, conſecrationem jam factam eſſe, cùm hoc epiphonemate ſaltem affirmetur, recitata verba ab ipſo Salvatore dicta eaque propter veriſſima & πάσης ἀποδοχῆς ἄξια eſſe.

## §. XIII.

Aliam viam eamque meliorem ingreſſus eſt Jacobus Goarus, ubi de conſecratione Græcorum pronunciavit n. 139. ad Liturgiam Chryſoſtomi p. 141. Ait enim, conſecrationem licet verbis inſtitutionis perficiatur, absque precibus tamen ſine horrore celebrari non poſſe. Addit has preces conſecrationem confirmare, quippe quibus moralis attribui poſſit ſymbolorum ſanctificatio, cum verbis inſtitutionis phyſica adſcribenda ſit. Ultimum tamen, quod dicit, penitiori obſervatione dignum eſt. Arguit enim ex voce μεταβαλὼν juxta Liturgias Græcas ſymbola jam mutata eſſe ante ἐπίκλησιν. Repoſuimus quædam ad hanc objectionem in notis noſtris ad fragmenta anecdota S. Irenæi p. 77. ſqq. ubi & p. 80. obſervavimus, eandem fuiſſe Leoni Allatio ſententiam. Adde ſupra §. 5. Præter ea, quæ loco citato diximus, id unicum notandum eſt, non pati contextum, ut ſignificationem aoriſti nimis urgeamus. Rogatur quippe Deus ante verba iſta μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, ut panem vinumque faciat corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti. Supponunt hæc, nullam adhuc mutationem factam eſſe, ſed ut fiat, precibus demum expeti. Hinc μεταβαλὼν idem hîc ac μεταβάλλων. Quis enim quæſo eſſet hic verborum ſenſus

ſus : *Mitte Spiritum ſanctum ſuper nos & ſuper hæc propoſita dona, & fac panem hunc corpus Filii tui & quod eſt in calice, ſanguinem Chriſti tui, qui mutaviſti* jam ( ſc. externa hæc elementa ) *Spiritu tuo Sancto ?* Etenim, ſi verbis inſtitutionis facta jam eſt mutatio, quâ facta utique corpus Chriſti ſtatim præſens eſt, nulla ἐπικλήσει opus eſt, quæ id demum efficiat, quod jam effectum eſt. Sufficit denique ipſum Goarum fateri, hæc verba in antiquis codicibus non exſtare atque inſititia eſſe. Unde mirum omnino eſt, doctiſſimum Cardinalem Jo. Bonam *peſſimum ac deteſtandum recentioris Græciæ errorem* vocare, ſi credatur: *conſecrationem non fieri verbis in perſona Chriſti â Sacerdote prolatis, ſed precatione ejusdem Sacerdotis poſtea orantis & dicentis*: fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui, *quæ poſt verba conſecrationis exſtet in Liturgia Chryſoſtomi, ac ſi verba Chriſti ad conficiendum Sacramentum inefficacia forent, aut forma euchariſtiæ deprecatoria ſit.* Refutat poſtea Nicolaum Cabaſilam, Archiep. Theſſalonicenſem, qui in expoſitione Liturgiæ C. XXIX. aſſeruit, verba Chriſti utpote narrativè tantum prolata ad donorum conſecrationem non ſufficere, & C. XXX. orationem: *fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui*, confert cum precibus Latinorum: *Jube ſurſum ferri dona hæc in manu Angeli ad** ſupercœleſte *tuum altare*, ſcilicet, *ut illic poſita ſanctificentur.* Arbitratur itaque Caſabilas, ex canone Miſſæ patere, tàm Græcam quam Latinam Eccleſiam precibus conſecrare. Opponit autem Bona aſſertis Cabaſilæ verba Græcorum in Seſſ. XXV. Concilii Florentini prolata, quæ è Græco translata jam ſupra dedimus:



* Forſan *ſupracœleſte* hîc ponendum.

*Fateri nos diximus, per hæc verba:* Hoc eſt corpus meum, *tranſſubſtantiari ſacrum panem & fieri corpus Chriſti: ſed poſtea, quemadmodum & vos dicitis:* Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum; *ita nos quoque oramus, dicentes, ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum corpus Chriſti ſui, transmutetque ipſa* dona *Spiritu ſancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium aut condemnationem noſtram.* Ita ferè concepta ſunt hæc verba, ut credas, ſtatuere Græcos, præſentiam corporis Chriſti realem nonniſi in uſu ſe exercere, quod affirmant Auguſtanæ Confeſſionis Theologi. Quid enim aliud quæſo ſibi volunt iſta verba, ubi dicitur: *Spiritus S. deſcendat ſuper nos, & efficiat IN NOBIS panem hunc pretioſum corpus Chriſti ſui?* Cæterùm non opus erat, ut Cabaſilæ ſententiam refutaret Bona. Non enim video, quid iſthoc criminis ſit ſtatuere (quod quidam Scholaſtici ſtatuunt) totum Miſſæ canonem adeoque & preces ad conſecrationem pertinere, maximè, cum ipſemet Bona magnam teſtimoniorum copiam ex Miſſis Mozarabica & Gallicanis elatam det, quæ cum Liturgia Græca ejusque ἐπικλήσει omnino conſentiunt, & ſupra à nobis data ſunt. Scilicet communis illa ſententia, quod ſola inſtitutionis verba ſine precibus conſecrent, ipſi Miſſæ canoni contraria eſt, eaque propter reſpuenda, maximè, cum Concilium Florentinum, uti ex Actis, quæ adduximus, patet, nihil omnino hic definiverit. Cæterum varia ſunt, quæ Card. Bona ad cauſam ſuam defendendam quærit, effugia, ut ad objectio-

ectionem ex antiquissimis Græcorum Liturgiis petitam respondeat. Ait quippe, esse qui statuant, *Græcos ab initio ea precatione sive ἐπικλήσει usos ante consecrationem; eandem verò postea ad eum locum translatam esse, ubi nunc est.* Ast ipsemet hæc exsibilat Cardinalis doctissimus, risu potius aut indignatione digna, quàm ut operosè refutentur. *Alii*, addit, hanc precationem *sic intelligendam putant, ut respiciat non tempus, quo profertur, sed quod consecrationem antecedit: ac si Sacerdos tanti mysterii sublimitate extra se raptus, suæque memor fragilitatis, id, quod jam factum ex fide credit, quasi efficiendum consideret ac propterea oret*, fac panem hunc pretiosum Corpus Christi tui: *Neque enim absurdum videtur*, inquit Bona, *quod jam concessum est, acsi nondum concessum foret, iteratis precibus postulare.* Ast coacta & hæc sunt & obtorto collo hùc rapta. Non enim tumultuaria opera conficiuntur Liturgiæ, sed cura omnis adhibetur vel adhibenda est, ut suo omnia loco ponantur. Denique & miseram illam de Corpore Christi mystico responsionem Bona affert, sed, quæ summa doctissimi Cardinalis prudentia est, nullam his omnibus adjicit ἐπίκρισιν. Scilicet Græcorum Liturgiam defendisset sine dubio, si contra communium præjudiciorum torrentem niti & adverso amne navigare ipsi fuisset constitutum. Conf. L. II. de reb. Liturg. C. XIII. §. 4. 5. Arcudii verò argumenta, quibus ἐπίκλησιν Græcorum consecratoriam labefactare conatur L. III. de Concord. Eccles. Occid. & Orient. C. XXVII. sqq. exstantia, eaque, quæ Bellarminus de Eucharistia L. IV. C. XIV. ponit, luculentius enarrare & diluere nostri instituti non est, ne

actum

actum agamus, responsionesque à nobis jam dictas repetamus.

§. XIV.

Potuissemus hic gradum sistere; nisi dicenda quædam adhuc essent ad ea, quæ Balthasar Corderius in notis ad caput tertium Hierarchiæ Ecclesiasticæ Dionysianæ hoc de argumentopofuit, & ab aliis jam notata. Hic itaque, postquam T. I. f. 302. dixisset, oblationem eucharistiæ maximè consistere in consecratione, demonstrare postmodum aggreditur, *eandem precibus quibusdam non fieri, uti quidam Græci velint, sed solis verbis Domini.* Ait itaque primùm, Christum nec dixisse nec dici jussisse illas preces, quibus ipsi putent confici sacramentum, additque, nec ex Scriptura nec ex Traditione constare, eas esse necessario dicendas. Nam in Liturgia Latina, quam communis opinio teneat fuisse S. Petri aut Clementis, non haberi illas preces nisi ante verba Domini, non autem post, in Liturgia verò Æthiopum easdem planè non reperiri. Varia sunt, quæ Corderio hîc respondenda esse videntur. Etenim cùm Christi exemplum allegat, propria vineta cædit, cùm Christus gratias agendo & benedicendo consecraverit, suoque exemplo nos ita facere docuerit. Nec tamen is certam precum formulam hunc in finem nobis dedit, sed eandem libertati Ecclesiæ reliquit conficiendam. Cæterùm ex iis, quæ hactenus diximus, patet, constare & ex Scriptura & ex traditione, quod S. eucharistia non solùm verbis institutionis sed & precibus consecranda sit. Canonem Missæ à Petro vel Clemente non confectum fuisse, vel ex solis Gregorii M. verbis liquet, qui ait, precem istam

tam à Scholastico compositam esse, nec sequitur, uia preces consecratoriæ ante verba institutionis in anone Missæ exstent, illas necessario juxta traditio-em dicendas non esse. Denique Æthiopum Litur-ia Romæ edita hæc habet: *Rogamus te, Domine, c te deprecamur, ut mittas S. Spiritum & virtutem jus super hunc panem, & faciat corpus & sangui-em Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.* Cen-ores Romani, cum Armenii Ecclesiæ Romanæ re-luniti Liturgiam suam offerrent, mutarunt preces, k cum Missa Romana conformes fecere: e. g. relique-unt quidem hoc: *invocamus Spiritum tuum S.* Sed equentia verba ita mutavere: *qui transmutasti jam sta* sc. panem & vinum. Ignorantia horum Cen-orum ex eo patet, quod in Diptychis Armenianis ive in canone Missæ Armenico intactum reliquere nomine Barsumæ Eutychiani, qui S. Flavianum or-hodoxum trucidavit, de qua re Pontificem monuit Abbas Renaudotius. Eandem ἐπίκλησιν habent quoque duæ Liturgiæ Æthiopicæ, à Wanslebio edi-æ, quarum una Patribus Nicænis, altera* Dioscoro, Patriarchæ Alexandrino inscripta & ex vetusto Eduardi Pocockii codice elata est. Progreditur Cor-lerius, aitque falsa fore illa verba Christi, *hoc est orpus meum,* si ante per preces illas præcedentes facta esset consecratio. Ast, ut arbitror, contrarium po-ius sequitur, invertendumque est argumentum. Si enim per preces præcedentes jam corpus Christi præ-sens in sacramento fuit redditum, optimo utique ure verba ista pronunciari possunt: *hoc est corpus meum.* Quin potius hoc argumentum conficere po-

terat

* Recentior tamen est Dioscoro, uti putat Renaudot in Hist. Patr. Alex. in Dioscoro p. 120.

terat Corderius: si preces verba institutionis insequentes demum sacramentum conficiunt, utique his consecratio non perficitur. At tenendum est, quod semper monemus, fundamenta precum, quibus fit consecratio, esse verba institutionis. Concurrunt ergò utraque sed diversa ratione, tolliturque uno ictu omnis controversia, si indivulso nexu ista combinaveris. Nec stringunt, quæ addit noster Corderius, sacramentum hoc fieri non posse nisi verbis Dei, quia sit sublimissimum. Quis enim hâc inductus ratione preces excluserit, quæ tanta consecratione dignos nos efficiunt? Sed subjungit idem si consecratio precibus fieret, eam semper fore incertam, cum preces non semper exaudiantur, respondetque insimul ad argumentum ab extrema unctione petitum, cujus forma in verbis deprecatoriis juxta Ecclesiam Romanam consistit, aitque, exstare hic promissionem, quæ monstret, hanc deprecationem semper exauditum iri saltem quoad effectum principalem Jac. V. nullam autem talem exstare promissionem de precibus istis eucharisticis, in quibus Græci consecrationem ponant. Sed notandum primo est, eas preces, quibus spiritualia à Deo petimus, cæteris paribus, semper exaudiri. At preces consecratorias tales esse quis negaverit? Porro & hæ divina nituntur promissione, quia non solum ad exemplum Christi & Apostolorum fiunt, sed & hoc sacramentum Ecclesiæ traditum fuit, ut juxta institutionem Christi celebraretur. 1. Cor. XI. 23. Etenim si verborum institutionis efficacia promissione divina nititur, utique & preces eucharistiam consecrantes divina promissione nitentur. Denique illa promissio, quæ Jac. V. 15. exstat, utique, utique conditio-

ditionata est. Quis enim dixerit, preces, quæ pro sanatione ægroti ad Deum funduntur, semper exaudiri? Id verò cum grano salis accipiendum est, cùm dicit Corderius, Sacerdotem consecrare in persona Christi, non autem in persona Ministri; hinc verbis deprecatoriis eum uti non posse, quia hoc tantum Ministrorum sit, sed auctoritativis, scilicet tanquam Christum, cujus personam sustineat. Addit Vir doctus, inde fieri, ut, cum in omnibus aliis sacramentis Sacerdos loquatur tanquam Minister Christi, sive per modum exercentis actum, ut in Baptismo confirmatione* & pœnitentia, sive per modum imperantis, ut in ordine, sive per modum deprecantis, ut in extrema unctione, in hoc tamen sacramento non loquatur tanquam Minister Christi, sed quasi ipsemet esset Christus, idque Chrysostomum confirmare, cum dicat: *Christus per os ejus invisibiliter loquitur*, & Conc. Trid. Sess. XXI. C. I. Scilicet hæc ipsa nimium probant. Ipsa enim Christi & Apostolorum εὐλογία, omnes Græcorum Liturgiæ veterumque Missarum omnium, imo ipsius Missæ Romanæ Canonis preces deprecatoriæ & consecratoriæ hâc ratione essent proscribendæ, porrò Sacerdoti consecranti adscribenda esset virtus quædam omnipotens, quæ data ipsi esset, ita, ut precibus eam efflagitare haud habeat necesse, denique ageret hîc Sacerdos non tanquam οἰκονόμος μυστηρίων Θεοῦ 1. Cor. IV. 1. sed tanquam proprietarius divinæ cujusdam potentiæ, quinimo, quod quidam dixere, esset Creator Creatoris sui, quod horrendum foret affirmare; Aliter sane habet

* Confirmationis formam esse deprecatoriam statuit Sainte-Beuve in tr. de sacr. confirm. disp. Art. I. p. 275.

habet locus Haymonis quem supra notavimus. Rectè autem se habent, quæ ex Chrysostomo afferuntur, at Corderii sententiam non adstruunt. Scilicet, quando Sacerdos, ait, *hoc est corpus meum*, suum utique corpus his verbis non designat, sed Christi, *qui per os ejus invisibiliter loquitur.* Dionysium vero cum sibi consentientem affert laudatque Corderius, operam ludit, gratisque ea supponit, quæ in Dionysio non exstant, solis verbis institutionis consecrandam esse eucharistiam. Etenim contrarium is ponit potius, & ἱερουργίαν precibus hymnisque absolvit, uti supra §. 3. 4. 10. posuimus. Melius omninò & majore judicii vi hoc argumentum tractavit Bossuetus, Episcopus Meldensis. Is enim in explicatione quarundam difficultatum in orationibus Missæ occurrentium non solùm Liturgias Græcas approbat, sed & cum Latinis confert, mutuumque earundem consensum ostendit §. 4. 5. 6. Sed in eo tamen ait Liturgias Græcas à Latinis differre, quod facta consecratione Græci pro donis sacris precentur, id quod tamen aliam ab causam non fiat, quam ut ii, qui sacramentum accipiunt, sanctificentur. §. 42. Denique cum asseruisset, omnes Græcorum Liturgias ab Apostolis profectas esse, addit, eas à Missa Romana in re levissimi momenti tantum abludere, quod nempe hæc precem consecratoriam ante verba institutionis, illæ verò post eadem jam recitata ponant. Subjungit, utramque Ecclesiam credere, virtutem consecrativam essentialiter consistere in verbis Salvatoris, & per preces saltem donis propositis applicari, uti ignis materiæ combustibili applicetur, juxta Nic. Cabasilæ Exposit. Liturg. C. XXVII. XXVIII. XXIX. Ubi id mirandum, quod Bossuetus

Nic.

Nic. Cabafilæ fententiam approbet, quam magno conatu refutavit Card. Bona, uti fupra jam memoravimus, *deteftandum & peffimum errorem* ipfi affingens L. II. de reb. Liturg. C. XIII. §. 4. Denique Boffuetus omninò exiftimat, Græcis concedi poffe, preces neceffarias effe ad applicationem verborum inftitutionis faciendam, maximè, quia juxta Ecclefiam Romanam intentio Miniftri confecrantis quoque requiratur, quæ non poffit declarari melius quam precibus §. 45. Quæftionem autem, num verbis inftitutionis recitatis confecratio fufpendatur, donec preces adjiciantur, ita decidit, ut dicat, Confecrationem certis momentis non alligari poffe, fed totam iftam actionem conjungendam effe, ut effectus, qui inde promanat, intelligatur. Id quod & exemplo ordinationis, confirmationis & extremæ unctionis probat §. 46. Refpondet deinde ad objectionem ex Liturgia Bafilii petitam, ubi facra fymbola vocantur antitypa corporis Chrifti poft verba inftitutionis fed ante ἐπίκλησιν, videturque adeo Confecratio folis precibus attribui, ftylum Liturgiarum myfticum haud nimis premendum effe, temporaque fæpius in iis confundi, ita ut quod jam factum fit, in fequentibus memoretur, tanquam nondum factum. §. 47. Quamvis autem hanc fententiam optimam vocet Boffuetus, nullis ea tamen ab ipfo rationibus probatur nec probari poteft, fupponitque confufionem quandam precum in Liturgiis occurrentium, quæ vix tolerari poteft. Eæ verò rationes, quibus Epifcopus Meldenfis probat, Græcos verbis inftitutionis confecrationem adfcribere, admodum leves effe videntur. Ait enim, verba inftitutionis à Græcis elata voce pro-

ferri, ſumi panem caliçemque atque elevari, utrique & ſeparatim benedici, reſponderi etiam à populo *Amen*, denique dici τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφερόμενον, quæ omnia oſtendant, corpus Chriſti jam adeſſe. §. 48. Nulla hîc, ut arbitror, propoſitionum connexio eſt, nec iſta quidem prolixius nunc refutabimus, cùm ad aliqua ſupra jam reſponſum fuerit. Obſervat autem §. 50. laudatus Boſſuetus idem, quod Card. Bonam obſervaſſe ſupra diximus, Miſſas Mozarabicam & Gothico-Gallicanam egregiè cum Liturgia Græca quoad ἐπίκλησιν Spiritus ſancti conſentire, ita tamen, ut ἐπίκλησις mox ante, mox poſt verba inſtitutionis poſita exſtet, ſæpius quoque planè deficiat. Adjicit errorem Græcorum recentiorum, qui conſecrationem verbis inſtitutionis conſummari negent, tolerari poſſe, quia concilium Trid. Seſſ. XIII. C. III. Can. IV. non determinaverit, in quo præciſè conſecratio conſiſtat, etſi Catechiſmus hujus Concilii eam in verbis inſtitutionis ponat, & quia tùm Concilium Lugdunenſe, tùm Concilium Florentinum Græcis ritus ſuos permiſerint. Atq; ex his omnibus patet, Boſſuetum primùm à ſententia comuni Eccleſiæ Romanæ deflectere, cùm ait, preces ad applicationem verborum inſtitutionis conſecratoriam eſſe neceſſarias, poſtea verò communem Latinorum opinionem contra Græcos defendere, ne ab Eccleſiæ Romanæ fide hoc in argumento deſciviſſe videatur. Atque ita rationes eorum, qui ſolis inſtitutionis euchariſticæ verbis conſecrationem abſolvi exiſtimant, abundè ſatis examinavimus. Cæterum, quæ Scholaſtici recentioresque etiam Polemici Scriptores hanc in rem ſcripſere, ſub incudem revocare noſtri inſtituti non eſt, cum dudum id fecerit Edmun-

dus

dus Albertinus L. I. de Sacramento Eucharistiæ C. VI. & VII. ubi Alanum, de Valentia, Bellarminum, Vasquez, Suarez, Becanum, Coninckium, Sylvium, Justinianum, Mæratium, Gamachæum, Ysambertum Sixtum Senensem, Scribonium, Turrianum, de Lugo, Petronium, Coeffetellum aliosque luculentissime refutatos dedit. Id unum, antequam ad effectum consecrationis transeamus, nobis adhuc memorandum venit, esse nonneminem, sc. Jac. Basnage, qui arbitretur, descensum Spiritus S. in Eucharistiam non esse necessarium, quia hæc sit corpus Christi, additque, consecrationem per ἐπίκλησιν fieri non posse, quia preces non semper suum sortiantur effectum. Hinc Spiritum S. in primitiva Ecclesia non fuisse invocatum, ut descenderet in dona proposita, sed in corda fidelium. At, uti arbitror, hæc optimo jure reponi possunt. I. Non invocatur Spiritus S. ut in corpus Christi descendat, sed in panem vinumque, ad corpus sanguinemque Christi præsentem in iis reddendum. II. Si Spiritus S. in Christum descendit, cùm baptizaretur, descendere utique potest & in Eucharistiam, quæ corpus Christi est. III. Preces in celebratione & consecratione eucharistiæ dictæ suum semper sortiuntur effectum, quia promissione divina immobili fundantur, uti supra demonstravimus. IV. Nihil clarius aut evidentius in Liturgiis ponitur quam ista oratio, quâ Spiritus S. invocatur, ut in dona proposita descendat. Hinc illud: *demitte sanctum Spiritum tuum in nos & in proposita haecce dona*, quod in Liturgia Chrysostomi exstat. Et in Liturgia Basilii: *ut veniat Spiritus tuus Sanctus in nos & in dona hæc proposita.* Patet itaque, primitivam Ecclesiam utrumque combinâsse, sanctificationem donorum pro-

 posito

positorum & sanctificationem accipientium, & ob utramque Spiritus S. descensum exorâsse. Quinimò & ipsimet hæretici antiquiores ab Ecclesiâ ἐπίκλησιν eapropter, quod necessitas ipsius tantopere urgebatur, in usus suos transsumsere. Quod cùm exemplo Marci Hæretici apud Irenæum, & mulieris cujusdam apud Cyprianum p. 65. seqq. & 70. 71. in notis nostris ad secundum Irenæi fragmentum ostenderimus, juvat nunc & Origenis sive Maximi Dial. contra Marcion. allegare, ubi Sect. II. p. 53. hæreticus ita loquens introducitur, *quia Spiritus S. in Eucharistiam venit.* Et Theodotus in Opp. Clem. Alex. f. 800. hæc habet, Orthodoxorum fidem quoque supergredientia: *Panis sanctificatur virtute S. Spiritus, nec illa amplius sunt, ut apparet, quæ accepta sunt, sed mutata jam sunt virtute in spiritualem efficaciam.* Nunc ad effectum Consecrationis progrediamur.

## §. XV.

Effectus Consecrationis est præsentia realis Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna, ita tamen, ut hæc tùm demum se exerat, cùm tota Sacramenti actio perficitur. Hinc Canon ille: *Nihil habet rationem Sacramenti extra usum seu actionem divinitus institutam.* Vid. Form. Conc. Art. VII. de Cœna Domini p. 747. 750. Scilicet omninò nullum datur vel Veteris vel Novi Testamenti sacramentum, quod in actione non consistat, nec ipsa aqua baptismalis propriè vocari poterit Sacramentum, sed actio potius, quâ baptismus peragitur. Cæterùm

præsen-

præſentiam realem ad uſum totamque actionem reſtringunt ipſa inſtitutionis verba. Etenim tum demùm dixit Chriſtus: *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, cùm prius dixiſſet: *edite*, *bibite*, ut oſtenderet, haud præſens fore Corpus ſuum in ſacramento Euchariſtiæ niſi in uſu, ſeu ea, quam ipſe præſcripſiſſet, actione. Nec opponi poteſt, iſta haud ſatis connecti, cùm dici utique poſſit: *ſume & ede, hic eſt panis ſaccharo conditus*, hâc autem propoſitione planè non inferatur, iſtud, quod porrigatur, in uſu demùm fieri panem ſaccharo conditum. Diſtingui enim debent propoſitiones communes ab iis, quæ myſterium involvunt. Scilicet ii, qui præſentiam realem ſtatuunt, affirmant, verbis hiſce *Hoc eſt Corpus meum*, Salvatorem innuere ſupernaturalem Corporis Chriſti acceſſionem, quæ externum & viſibile panis elementum afficiat, cùm antea panis iſte fuerit communis nihilque habuerit præcipuum. At in ea propoſitione, quæ cum verbo inſtitutionis confertur, non dicitur ulla fieri acceſſio, ſed deſignatur ſaltem id, quod porrigitur. Itaque propoſitio ſacramentalis ex propoſitione communi haud eſt explicanda, ſed ſtrictè inhærendum verbis Salvatoris, nec latum quidem unguem ab iis recedendum, ne in devia dilabamur. Qui vero ajunt, verba Salvatoris, *Hoc eſt Corpus meum*, prolata, antequam comediſſent Diſcipuli, vera non futura, ſi præſentia realis ab uſu dependeret, non ſolùm in eo peccant, quod ſubtili nimis myſterii ineffabilis inveſtigatione id temporis momentum, quo præſentia realis ſe exerit, ſibi cupiunt deſignari, ſed & obſervare nolunt, quod Chriſtus in ipſo diſtributionis & ſumptionis actu iſta prolocu-

tus fuerit, ut adeò hic ſit verborum inſtitutionis ſenſus, quem παραφράζομεν. *Hoc, quod vobis porrigo, & quod vos nunc accipitis & comeditis, eſt Corpus meum.* Hinc & in noſtris Eccleſiis verba hæc: *Hoc eſt Corpus Jeſu Chriſti*, non dicuntur niſi in ipſo diſtributionis & ſumptionis actu. Atque ex his patet, quid dicendum ſit de objectione illa Boſſueti, quam toties ingeminat, Chriſtum non dixiſſe, *Hoc erit Corpus meum*, ſed *Hoc eſt Corpus meum.* Neque enim nos ii ſumus, qui τὸ *eſt* per τὸ *erit* explicemus, neque, ſi ita copulam hanc interpretaremur, à ſententia Eccleſiæ Romanæ penitus abluderemus. Ita ſanè Gulielmus Occamus propoſitionem à Chriſto prolatam exponit: *Hoc Corpus, quod ſtatim erit ſub iſtis ſpeciebus, eſt Corpus meum.* Quodlib. III. Qu. XIX, eandemque tenet ſententiam Thomas de Argentina. Aliud argumentum ex 1. Cor. X. 16. pro noſtra ſententia deſumi poteſt, quod D. Lutheri verbis dabimus: *Panis, quem frangimus, eſt communicatio Corporis Chriſti, id eſt, quando panem diſtribuimus & comedimus, tunc accipimus & comedimus non nudum panem ſed etiam Corpus Chriſti.* Probè quippe obſervandum eſt, Paulum non dicere in præterito, *panis, quem fregimus*, ſed in præſenti, *panis, quem frangimus*, ut oſtendat, extra uſum divinitus inſtitutum ſacramentum Euchariſtiæ non dari, cùm præter inſtitutionem ſuam nullum ſit ſacramentum. Nec opponi nobis poteſt, Veteres Euchariſtiam aſſervâſſe, ad abſentes miſiſſe & circumgeſtâſſe. Primò enim iſta conſuetudo univerſalis non exſtitit, ſed tùm à Conciliis aliquando prohibita, tùm à Patribus quibuſdam rejecta fuit; ſecundò inſtitutioni pri-

mæ omninò videtur esse contraria, ubi non dicitur: *asservate*, sed *edite* & *bibite*, immoteque hic tenenda est aurea Cypriani regula, quam supra quoque allegavimus, heic vero ob præstantiam suam repetimus: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Epist. LXIII. ad Cæcilium fratrem. Vid. Jo. Gerhardi Confess. Cathol. L. II. P. II. Artic. XIV. C. III. & Loc. Theolog. T. V. Art. de S. Cœna C. XVII. Sunt tamen & quædam, quæ ex Traditione Ecclesiastica ad causam nostram illustrandam peti possunt, licet, controversiis nondum natis, hanc quæstionem nullibi deciderint primitivæ Ecclesiæ Patres, sed securius fuerint locuti. In Dissertatione de Oblatione Eucharistiæ §. 40. sub finem probavimus, ex ipso Missæ Canone Gregoriano, demonstrari posse, quòd præsentia realis non à sola Consecratione sed & ab usu dependeat. Nec sua carent ἐμφάσει, quæ in prece consecratoria dicuntur, *ut NOBIS Corpus & Sanguis fiat dilectissimi filii tui*, ubi pronomen *nobis* alia ex ratione addi nequit, quam ut præsentiam realem in usu demum se exerentem indigitet. Locum Tertulliani *distributo* solùm *pani* præsentiam Corporis Christi realem adscribentis supra §. 4. adduximus, verbaque Græcorum in Concilio Florentino prolata & eundem ferè sensum fundentia §. 11. & 13. Latine exhibuimus. Quinimò, si præsentiam realem ad usum Sacramenti restringamus, nullo negotio solvitur difficultas, quam de putrefactione & corruptione hostiæ consecratæ communiter

niter objiciunt. Nec, qui * vino consecrato olim ad condendos anathematismos nominaque subscribenda usi sunt, aut qui ** hostias remanentes igni tradidere, aut qui ex Eucharistia *** cataplasmata ad sanandos morbos confecere, aut qui **** mortuis eandem

* Theodorus I. Pont. Rom. depositionem Pyrrhi Monethelitæ subscripsit atramento vino consecrato mixto. Ita Theophanes ad Annum 20. Heraclii & apud Baron. ad A. 648. n. 16. Historia Miscella L. 18. post med. Baronius l. c. dicit, nullum hujus rei aliud reperiri exemplum, sed dantur adhuc duo alia. (1) in Conc. VIII. Const. contra Photium juxta Nicetam in vitâ Ignatii Patr. Const. & (2) in Ariberto autore antiquo apud Baluz. in not. ad Agobard. p. 129. Dicit enim Aribertus, falsam pacem circa A. 854. inter Carolum Calvum & Bernhardum Comitem Tholosanum pactam, fuisse subscriptam & obsignatam sanguine Eucharistico.

** S. Dominicus ad convincendos hæreticos S. Eucharistiam in ardentem fornacem conjecit: ubi incombusta mansit per triduum. Vide Pelbartum in stellario Coronæ B. Virginis L. IV. P. I. art. 3.

*** Greg. Naz. de obitu Gorgoniæ sororis refert, quod lachrymas suas cum Corpore & Sanguine Christi mixtas corpori curando adhibuerit & ita sanitatem recuperaverit. S. Satyrus Eucharistiam collo alligavit, & ita in mare se projecit, ut è naufragio salvus evaderet. Vide Ambrosii Or. in obitum fratris Satyri. Exemplum quoque exstat in August. L. 3. Op. perfect. contra Julianum n. 164. cataplasmate Eucharistico mater filium Acacium cœcum natum ad visum perduxit.

**** Olim Consuetudo erat, Eucharistiam consepeliendi mortuis, quem usum postmodùm Concilia improbavere, in primis Carthag. III. Can. III. & Trullanum Can. 83. Id maxime usitatum in Episcopis mortuis docet Theod. Balsamon in hunc Canonem. Hùc & afferri potest locus ex vulgatâ S. Basilii vitâ, quæ malè Amphilochio Iconiensi

dem in os injecere, aut qui eam cum iis sepelivere, aut qui hostias veneno infecerunt, credere potuere, quod sola Consecratio præsentiam realem efficiat, nisi omnes eos horrendi criminis reos statuamus, quod his quidem jure merito impingitur. Patet ex his, in cassum nobis objici Augustini dictum: *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum*, quod in Catech. Maj. Lutheri Cap. de Sacramento altaris p.530. 553. approbatur. Supra enim, §. 11. monuimus, quod de baptismo id præcipuè affirmet, qui non re sola sed actione absolvitur. Atque ita in compendium redegimus rationes, quæ B. Lutherum impulere, ut præsentiam realem à tota actione sacramentali dependere statueret. Ita autem is sententiam suam in Epistola ad Wolfferinum, Pastorem Islebiensem, explicat: *Sanè D. Philippus rectè scripsit, Sacramentum nullum esse extra actionem sacramentalem.* Ait deinde, momentum, quo præsentia realis incipiat, non determinandum esse, *nec disputandum, an sub primis, mediis vel ultimis syllabis adsit Corpus & Sanguis Christi, hinc tempus non Mathematica sed Physica latitudine,*

tribuitur, qui hostiam consecratam divisisse fertur in tres particulas, quarum unam ore accepit, aliam è columbâ aureâ suspendit, tertiam ad consepeliendum sibi reservavit. Hinc & Eucharistia apud Latinos in extremo saltem halitu moribundis data. Ambrosius certè Mediol. mox ut glutivit sacrum Domini corpus, mortuus est. Sic etiam S. Benedictus (de quo hoc narrat Gregor. L.2. Dial.C.24) Monacho mortuo, quem terra ejecerat, quia ad parentes sine benedictione S. Patris accesserat, ob quam rem & mortuus erat in pœnam, Eucharistiam super pectus mortui cum magna reverentia poni jussit: quo facto susceptum corpus terra retinuit. Vide Mabillonii Annales Bened. T.I. L. 4. §. 11. f. 89. 90.

*dine*, atque, *ut dicunt*, ἐν πλάτει *spectandum.* Addit : *Sic ergò definimus tempus vel actionem sacramentalem, ut incipiat ab initio Orationis Dominicæ, & duret, donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus & ab altari discessum sit.* T. IV. Jen. Lat. f. 586. Et in refutat. argument. Carolstad. T. IV. Jen. Germ. fol. 385. hæc habet : *Quæstiones de instante Consecrationis excludimus, nec Deo* τὸ νῦν *vel tempus præscribimus, sed simpliciter acquiescimus in hâc fide, quòd certò fiat, quicquid Christus futurum promisit. Non disceptamus, in quo temporis momento leprosus sit mundatus, ad quem Christus dixit :* Volo, mundus esto. Matth. VIII. 3. *Sed sufficit, nos credere, ipsum juxta Christi verbum esse mundatum. Ita quoque credimus, Filium Reguli* Joh. IV. 50. *sanatum esse juxta verbum Christi :* Abi, filius tuus vivit, *nequaquam verò solliciti sumus, cui quasi verborum syllabæ sanitas accepta sit ferenda. Lazarum verbis Christi resuscitatum credimus, otiosis rixatoribus relicta quæstione, an vi nominis* Lazari, *aut verbi* veni, *aut adverbii* foràs *miraculum illud factum sit. Ita quoque de præsentia Corporis & Sanguinis Christi certi sumus ex verbis ejusdem,* Hoc est Corpus meum, *de modo præsentiæ parum solliciti sumus.* Lutherus itaque, qui de hâc quæstione, num præsentia realis in usu demum se exerat disputavit cum Carolstadio, Bucero & sociis (vide Bossuet. de variat. Eccles. Protestant. sub finem c. III.) existimavit, si ista combinemus, præsentiam realem inde ab * Oratione Dominica

* Scil. Tempore A.C. oblatæ A. 1530. Lutherani adhuc cantiones latinas & ordinem lectionum in Missa servabant. Vide A.C. p. 23. 276. &c.

minica verbisque institutionis incipere, sed finitâ actione sacramentali terminari, nec post hanc permanentem esse, quæ Romanæ Ecclesiæ fides est. Hinc & elevationem hostiæ in Ecclesia Vitembergensi diu retinuit ut testimonium præsentiæ realis, quia Sacerdos hâc ratione dictum velit: *Videte Christiani, hoc est Corpus Jesu Christi, traditum pro vobis.* Vide Confessionem parvam A. MDXLIV. editam. Abrogaverat quidem eandem jam præcedente anno monente Philippo Magnanimo, Landgravio Hassiæ,* retentam tantisper, quod Carolstadius inconsulto ausu eam abrogâsse videbatur. Johannes quoque Brentius, ** Theologus Wirtembergicus, præsentiam realem Consecratione effici statuit, ita tamen, ut cum legitimo usu immediatè conjuncta esse debeat. Nemo autem hoc de argumento luculentius egit quàm Philippus Melanchton in Colloquio Ratisbonensi A. MDXLI. habito, qui præsentiam realem nonnisi ad legitimum usum restringendam esse perspicuè docuit.

## §. XVI.

Cæterùm, cùm præsentiam Corporis Sanguinisque Dominici realem toties jam nominaverimus, utique explicandum nobis est, quid per eam intellectum velimus. Variæ autem ejus dantur species vel modi, quos qui confuderit, facilè in eum poterit dilabi errorem, ut adscribat nobis ea, quæ non statuimus

* Refutat hæc Sekendorfius utpote à Bossueto dicta.
** Vide omnino Confessionem Wirtembergicam, quam idem Brentius confecit.

mus. Sunt autem hujus præſentiæ ferè ſex modi. I. Aſſumtio. II. Augmentatio. III. Impanatio. IV. Conſubſtantiatio. V. Concomitantia. VI. Unio. *Aſſumptio* eſt, quâ panis vinumque per Conſecrationem cum Corpore & Sanguine Chriſti, imò & cùm divina ejus natura hypoſtaticè uniri creduntur, quod plurimi Veterum ſtatuere. Ita profectò Rupertus, * Abbas Tuitienſis : *Quomodo Verbum à ſummo demiſſum caro factum eſt, non mutatum in carnem ſed aſſumendo carnem, ſic panis & vinum utrumque ab imo ſublevatum fit Corpus Chriſti, & Sanguis, non mutatum in carnis ſaporem ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ eſt in Chriſto, immortalis ſubſtantiæ veritatem.* L. II. in Exod. C. X. & L. VI. in Joh. Confer alium Ruperti locum huc ſpectantem, ſupra jam allegatum a nobis. Alium aſſumtionis modum excogitavit ** Joannes de Pariſiis, Dominicanus,

* Rupertum Tuitienſem iſta ſtatuiſſe ajunt Baronius & Bellarminus Vaſques Valdenſis ; negat Gerberonius in *Apologia* Ruperti. Vide Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Ruperto. Nec tamen diſſimulandum eſt, Gabrielem Gerberonium Monachum Bened. è Congr. S. Mauri in *Apologia pro Ruperto, Abbate Tuitienſi* Pariſ. 1669. 8. edita plura loca ex Ruperti ſcriptis afferre, quæ pro tranſſubſtantiatione militant. Aſt & ea loca, quæ nos proferimus, contorte explicat. Berengarius in retractatione ultimæ fidei profeſſionis præſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiâ ſtatuit quidem, ſed ita, ut panis vinique ſubſtantia quoque remaneat. Et in Epiſtola ad Almannum ſeu Adelmannum ſtatuit, *panem & vinum non per abſumtionem ſed per aſſumtionem in totum converti Chriſti Corpus & Sanguinem.* Vide Mabill. Sec. VI. Bened. P. 2. Præf. p. 27. 28.

** Vaſquez quidem in Diſp. 180. q. 75. c. I. n. 13. ait

canus, qui docuit, *panem assumi à Verbo, sed mediante Corpore Christi, ut corpus accipitur pro parte hominis, non ut accipitur pro toto homine.* Vide determinationem *de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris, alio quam sit ille, quem tenet Ecclesia,* quam ex MS. Cod. S. Victoris Parisiis eruit, præmissâque de dogmate Transsubstantiationis dissertatione edidit Vir Clariss. Petrus Allix Londini Anno MDCLXXXVI. Quæstio primum visa fuit problematica, ast, cùm Episcopus Parisiensis hanc de Assumtione sententiam condemnaret, Johannes ad Pontificem provocavit, Romæque tandem A. MCCCIV. re nondum decisâ mortuus est. Confer Matthæi Larroquani Historiam Eucharistiæ Gallicè conscriptam P. II. C. XVIII. p. 741. seq. Tract. Gall. de Transsubstantiatione in Collect. diversf. Tract. de Euch. T. I. p. 461. 462. vitamque Johannis à Gul. Caveo traditam in Histor. Literaria Script. Eccles. ad A. MCCXL. ab iis, quæ Larroquanus refert, paululum abludentem, Gerberonii Apologiam pro Ruperto in Synopsi Apologiæ. Andreæ quoque Osiandro Theologo primùm Norimbergensi, post Regiomontano ea tribuitur sententia, quod unionem personalem inter panem Eucharisticum & Corpus Christi crediderit. Vide Phil. Melanchth. L. II. Ep. 447. Referri huc possunt & ex Scholasticorum opiniones, cùm vel affirmant, materiam panis mutari in Corpus Christi, sed formam substantialem panis manere eandem, vel formam panis converti, materiam autem illius manere informatam Christi anima, quæ Durandi

ex Valdensi, Ruperti errorem à Jo. Parisiensi refutatum esse. Sed falsum hoc esse, cùm Jo. Paris. Rupertum haud nominet, observavit Gerberonius in Synopsi Apologiæ.

randi à S. Porciano fuit ſententia in L. IV. Sent. Diſt. II. Q. III. vel ſubſiſtentiam panis deſtructa integra natura ejus poſt conſecrationem manere, vel exiſtentiam panis manere, ut per eam accidentia panis & vini exiſtant, vel manere aliquid ſubſtantiæ panis ſub eadem ſpecifica differentia, ſub qua antea erat, & quæ aliæ tricæ ſunt, quas prolixè exponere non attinet. Pertinent hæc ad varios tranſſubſtantiationis modos explicandos. Vide Albertinum & Gerhardum. Cæterum qui aſſumtionem iis, qui A. C. addicti ſunt, affingunt; miſere utique errant. Fecit id Concilium Hieroſolymitanum à Doſitheo Patriarcha Hieroſ. A. MDCLXXII. congregatum in Decreto XVII. ubi: *In ſacra Cœna credimus, adeſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non juxta Aſſumtionem, quaſi Divinitas λόγȣ cum propoſito euchariſtiæ pane uniretur perſonaliter, prout Lutheri ſectatores docent & ſatis quidem jejune ac miſere.* Secundus præſentiæ modus eſt *Augmentatio.* Hanc primus ſtatuit Joannes Damaſcenus L. IV. de fide orthodoxa C. XIV. & in Epiſtola ad Zachariam Doarorum Epiſcopum de corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ubi non ſolum ait, panem vinumque cum divinitate συζεύγνυσθαι *conjungi*, ſed & ab illa προσλαμβάνεσθαι *aſſumi*, quæ vox de unione divinæ & humanæ naturæ in Chriſto ab Auctore Symboli Athanaſiani uſurpatur. Superaddit verò huic προσλήψει Damaſcenus ἐπαύξησιν ſive augmentationem corporis Chriſti, qua ſcilicet corpus Chriſti incorruptibile ſemper augeatur, ut euchariſtiæ ubivis diſtribuendæ ſufficere poſſit. Secuti ſunt hunc errorem Græci quidam, ſed qui numerum non faciunt.

Inter

Inter recentiores hoc dogma fere recoxere quidam inter noſtros, ſed à fratribus eapropter reprehenſi, Salomo nempe Betulius, qui ſub nomine Friderici Vulteji Mitaviæ in Curlandia (Rintelii fert titulus) A. MDCLXXIX. Tractatum edidit ſub titulo: Caro & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem tamen ipſe poſtea refutare coactus fuit, & Everwijn Swidde, Eccleſiæ Hornanæ in Hollandia ſeptentrionali nuper Paſtor, in ſermonibus Eccleſiaſticis de Aſcenſione Chriſti & Seſſione ipſius ad dextram Patris A. MDCCVIII. habitis, & anno ſequente Amſtelodami Lingua Belgica impreſſis. Sunt & qui præſentiam realem corporis Chriſti in euchariſtia ex analogia Lapidis Philoſophici & Tincturæ univerſalis explicent, quæ ita ſe communicat, ut ſibi nihil tamen decedat, & hanc ajunt materiæ puriſſimæ eſſe qualitatem, corpori Chriſti ſpirituali utique adſcribendam. Quod cum glorioſiſſimum & ubique diffuſum ſit, omnibusque perfectioribus, quæ unquam cogitari poſſunt, qualitatibus veſtitum, ad qualitates corporum communium myſterium euchariſtiæ exigi non poſſe arbitrantur. Et tale quid crediſſe fertur inter myſticos Jac. Bœhmius. Tertium præſentiæ realis modum * *Impana-*

* Neſtorianis impanationem male imputat Garnerius Diſſ. I. de hæreſi & libris Neſtorii. Id verò egregiè refutat Mabillon Præf. ad Sec. IV. Ben. P. 2. f. XIII. XIV. Idem autem Neſtorianis imputavit Lanfrancus in dial. adverſus Berengarium. Impanationem Guitmundus L. 3. de corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritate primum refutavit, negavit etiam ſuo tempore quenquam ſtatuiſſe impanationem, quam & companationem dixit. Intelligit autem per impanationem unionem hypoſtat. inter corpus & ſanguinem Chriſti, & panem & vinum. Ita & Algerus de ſacr. corp. & ſang. Domini refutat aſſumtionem ſtatuentes.

*panationem* esse diximus. Hæc quid sit, norunt pauci. Simplicius certè Verinus sive Claudius Salmasius de transsubstantiatione p. 416. sqq. eam cum assumtione confundit. Melius, uti arbitror, Impanatio illis Patribus attribui posset, qui dixere, corpus Christi *in pane* consecrato esse, id quod ex Latinis Tertullianus, ex Græcis Cyrillus Hierosol. affirmavere. Ast *Impanatio* dicit localem corporis Christi in pane inclusionem, quam nemo statuit. Idem ferè de *Consubstantiatione* dicendum est, quæ uti & impanatio, insigni errore iis adscribitur, qui Augustanæ Confessioni addicti sunt. Olim hæc vox longe aliam significationem habuit. Ii enim hæretici appellati fuerunt συνουσιασταὶ sive Consubstantiatores, qui unam dicebant esse Christi naturam ex duabus & divina & humana mixtam & temperatam, conversa nimirum substantia divina in humanam, vel humana in divinam, quod post Apollinaristas Eutychiani asseruerunt. * Rodolphus Hospinianus Hist. Sacrament. P. II. p. 6. *Consubstantiationem* sacramentalem esse ait *coëxistentiam vel impanationem, qua corpus in pane tanquam in subjecto seu continente inclusum sit, aut physice & localiter in pane delitescat, & extra sacramenti usum in eo durabiliter permaneat.* Alii malunt dicere, consubstantiationem esse duarum substantiarum in unam coalitionem atque confusionem. Quocunque autem modo hanc vocem sumseris, in sententiam nostram quadrare

* Harduinus in not. ad Epistolam Chrysostomi ad Cæsarium Monachum n. 5. συνουσιασταὶ ex eo dicti, quod Christi carnem divinitati coæternam & substantiæ illius insitam arbitrabantur, qui Apollinaristarum error fuit.

re non poterit, cùm nullam vel inclusionem vel coalitionem statuamus. Hinc mirum oppidò est, tùm Romanæ tùm Reformatæ Ecclesiæ Doctores nobis * hanc consubstantiationem obtrudere, quam tamen nolumus, solemniter protestantes, maximam hâc ratione nobis injuriam fieri. Patet ex his, quid judicandum sit de iis, quæ Claudius Salmasius sub nomine Simplicii Verini de Transsubstantiatione ponit: *Etiam Lutheri sectatores haud minus quàm Pontificii carnalem ex bene lectis sed malè intellectis locis Patrum, suam de Consubstantiatione opinionem confecerunt. Cùm enim legerent apud Patres, panem non amittere substantiam suam, sed remanere panem etiam post benedictionem, & tamen corpus eosdem æstimare verè esse Christi, quod sumitur in eucharistia. . . . ex his & similibus loquutionibus duas diversas substantias in una sede junctas hærere, quarum altera alteram includeret, ut capsa major minorem, imaginati sunt. Sub involucro quippe panis substantiam latere credunt. Intra vini ergo liquorem substantialem alius liquor æque substantialis non mixtus, sed separatim inclusus absconditur. Quod merum est συνουσιαστῶν monstrum, nec minus mirum quam illud μετουσιαστῶν de subjecto, quod habet alterius subjecti accidentia, quæ suam amiserunt substantiam, ut in altera & aliena inhærerent.* p. 13. 14. Eadem ferè repetuntur p. 421. *Ea verò Lutheranorum* opinio *ante Lutherum nusquam audita*



* Consubstantiationem Lutheranos haud statuere ostendunt Bajer peculiari disputatione & David Gertmannus in Exercitatione Anti-Tilliana. Conf. Acta Erud. 1707. p. 348. Vide & disputationem Buddei & Olearii.

*dita aut cognita in Ecclesia fuit, quæ duas substantias suppositis suis distinctas in hoc sacramento collocat, divinam corporis Christi & humanam panis, hanc ut continentem & includentem, illam ut contentam & inclusam. Quam κατὰ περικλεισμὸν fieri licet dicere, ut olim quidam hæretici naturam divinam ab humana in Christo contineri & includi dixere.* Hæc si nostra cum sententia conferamus, apparebit utique, Salmasium ignorasse, quid nos statuamus & falso præjudicio abreptum perperam nobis ea affinxisse, quæ tamen cum ipso rejicimus. Id quod commune Scriptorum, qui controversias tractant, vitium esse deprehenditur. Alibi tamen scribit paulo melius: *Quod hodie συνουσιαστὰς plerique omnes appellant Lutheranos, longiter errant, & à vera nominis & rei ratione recedunt. Διουσιασταὶ sunt potius quatenus duplicem in sacramento Eucharistiæ agnoscunt substantiam corporalem, unam panis, alteram Christi. Vox enim συνουσιαστῆς confusionem potius substantiarum in eandem unitatem denotat, quam divisionem.* p. 96. & 375. Et p. 510. statuit, Lutheranos potius συνύπαρξιν quam συνουσίωσιν statuere. Atque hæc eapropter tàm prolixe enarramus, ut, qui ista legunt, ab errore populari sibi cavere discant. Legimus aliquando in Relationibus publicis, fuisse quæstionem propositam cuidam ex Proceribus Anglicanis, num è re patriæ suæ & religionis esse existimet, Sceptrum Anglicanum ut occupet Princeps Romano-Catholicus, aut qui ex Hannoverana Domo eâque Protestante descendat. Respondit ille, nullam hic Religionis rationem habendam, idem enim sibi videri, sive quis transsubstantiationem sive consubstantiationem credat.

Erra-

avit ſine dubio, quiſquis iſta dixit, cùm nullus omninò inter nos ſit, qui Conſubſtantiationem ſtatuat, uti mox patebit. Solum excipio Chriſtianum Thomaſium, Jurisconſultum Halenſem, qui tùm alibi tùm in Cautelis circa Studium Theologicum §. 15. Luthero Conſubſtantiationem affingit, additque, quòd illam à Gabriele Bielio, Occami diſcipulo, didicerit. Hæc, ut arbitror, contraria ſunt cautelæ, quam poſuit Vir doctus: *maxime cavendum eſſe in Theologia ſtudium calumniandi diſſentientes*, & quæ ſequuntur §. 22. Scilicet & iis, quibuſcum eandem communionem Eccleſiaſticam ſervat Vir Clariſſimus, opinionem affingit, quam non ſtatuunt. Recoquit deinde id, quod Hoſpinianus dudum objecerat, à Leonhardo Huttero dilutum in Concordia concorde reſp. ad proleg. lit. I 3. Porrò diſſimulat, Lutherum non Conſubſtantiationem ſed Unionem ſacramentalem ſtatuiſſe; quod ſi ignoravit, ex ſolo de Captivitate Babylonica libro id diſcere potuit. Denique gratis dicitur, Lutherum à Scholaſticis * Conſubſtantiationem didiciſſe, qui ad verba inſtitutionis ubique provocat, atque ex iis ſententiam ſuam extrahit. Cæterùm Gabriel Biel, Theologus Tubingenſis, nec Occami fuit diſcipulus, nec Conſubſtantiationem ſtatuit, uti patet ex Lect. XL. in Canonem Miſſæ: *Quamvis expreſſe tradatur in Scripturâ, quod corpus Chriſti veraciter ſub ſpeciebus panis con-*



* Conſubſtantiationem Lutheranis tribuit quoque Bælius prodigioſumque & abſurdum errorem vocat Comment. Philoſ. T. 2. 296. & alibi paſſim. Hinc eum refutavimus in Diſputatione noſtra IIda Anti-Bæliana alibique. Confer & de his omnibus Hoſpinianum in Hiſtor. Sacram. L. IV. C. 10.

*tinetur, tamen, quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat ibi esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non invenitur expressum in Canone Bibliæ.* Id tamen non negatur, ea, quæ Lutherus in Scholasticorum libris legit, ipsi viam ad veritatem ulterius investigandam parasse. Etenim de Petro de Alliaco, Episcopo Camerac. & Card. id disertè affirmat de Captiv. Babyl. T. II. Jen. f. 227. Is enim L. IV. Sent. Dist. XI. Qu. VI. Art. I. hanc opinionem, *quod substantia panis remaneat*, cæteris omnibus præfert, quod & faciunt Jo. Scotus L. IV. Sent. Dist. XI. Qu. III. Lit. B. & Gul. Occamus in Centiloqu. Theol. Conclus. L. IV. Qu. VI. & L. IV. Sent. Dist. XI. Qu. VI. ita tamen, ut hic affirmet, *communiter tenere Doctores*, quòd *non remaneat substantia panis, quia determinatio Ecclesiæ in contrarium existat.* Fertur & Paulus Scriptoris, Professor Theologiæ Tubingensis, Stephani Bruliferi discipulus, cùm Scotum prælegeret & ad L. IV. Dist. X. deveniret, Transsubstantiationem negasse, atque eapropter in exilium actus fuisse, circa initium Sec. XVI. Vid. Gesneri Bibliothecam, Larroquani Hist. Euch. P. II. p. 777. & Gerhard. Confess. Cathol. L. II. P. II. Art. XIV. C. II. p. 869. Quinimò non solùm à plurimis Scholasticis, Scotum sequentibus, qui substantiam panis & vini in S. Eucharistia manere asseruerant, sed & à Waldensibus & Jo. Wiclefo idem affirmantibus hanc sententiam haurire poterat Lutherus, uti videre est ex libro de Captiv. Babyl. ubi tum Wiclefum tùm Sophistas allegat. Nec statuerat primùm, Transsubstantiationem errorem fundamentalem esse, uti ex libro citato patet. Ast in libro

bro contra Henricum Angliæ Regem impiam & absurdam Transſubſtantiationem vocat, idemque ad Waldenſes repetit, in quorum confeſſione exſtat, *quod panis & vini natura & ſubſtantia in S. Cœna minime mutetur, quodque Chriſti verba nullam converſionem inducant.* Inſignem hanc Lutheri variationem (ac ſi uno ferè ictu veritatem aſſequi potuiſſet Vir è Scholaſticorum tenebris tùm emergens, quæ tempus utique longamque meditationem requirit) atro carbone notat Boſſuetus, Epiſc. Meldenſis de Variat. Eccles. Prot. L. II. §. 2. & 4. qui & Conſubſtantiationem ſemper nobis objicit. Docent potius iſta, Lutherum nonniſi re benè perſpecta rationibusque ex utraque parte probe expenſis, non vero tumultuario quodam impetu ad ſuam de euchariſtia ſententiam provolaſſe. Hinc &, dum A. MDXXII. Miſſam abrogavit *, Canonem Miſſæ tamen, ſola oblatione excepta, in Eccleſia Vitembergenſi retinuit.** Sed de Conſubſtantiatione ſatis. Nunc de Concomitantia quædam dicenda ſunt. Hanc, ut arbitror, ſtatuit Jo. Calvinus, cujus nota eſt ſententia. Affirmavit enim, *corpus Chriſti* quidem in ſacramento *non verè & realiter adeſſe, ſed tamen à credentibus verè & realiter manducari, nec fide id tantum & figurâ fieri, ſed per fidem tanquam inſtrumentum re ipſa ſubſtantiam divini illius corporis nobis offerri, exhiberi, communicari.* Quæ utique recentioribus non probantur, etſi ſint inter Reformatos, qui quoad

 modum

* Miſſa ſcil. anno 1522. Vitembergæ fuit abrogata ab Auguſtinianis juxta Literas à Luthero Wartburgi datas. Id quod redeunte Luthero 1523. confirmatum fuit.

** Vide Seckend. Hiſt. Luth. f. 217. a. L. 1.

modum loquendi præſentiæ reali propius accedant. Clarius hanc ſententiam enarravit, ſuamque fecit, aut potius Eccleſiæ noſtræ attribuit Vir illuſtris, Godefridus Gulielmus Leibnitius, in Diſcurſu de Conformitate Fidei & Rationis, tractatui Gallico de bonitate Dei & libertate hominis præmiſſo §. 18. p. 25. ubi hæc inveniuntur, quæ ex Gallico idiomate in Latinum transferimus: *Evangelici non approbant dogma Conſubſtantiationis vel Impanationis, quod ipſis nemo imputare poteſt, niſi qui de eorum ſententia male ſit informatus, quia non admittunt incluſionem corporis J. C. in pane, nec ullam quoque unionem unius cum altero requirunt, ſed ſaltem concomitantiam ſtatuunt, ita, ut hæ duæ ſubſtantiæ accipiantur ſimul*, cùm euchariſtia diſtribuitur. Addit porrò Vir ſummus p. 26. Calvini ſententiam, qui participationem ſubſtantiæ corporis Chriſti in S. Cœna inferat, juxta plurimos, *non differre forſan* à ſententia eorum, qui Aug. Conf. addicti ſunt, niſi in eo, quod credat, *fidem ad eam requiri, nec receptionem oralem ſufficere.* Quamvis autem Vir Illuſtris iſta deſumſiſſe videatur ex Artic. X. Auguſtanæ Confeſſ. qui de S. cœna agit, ubi vox *Unionis* ſacramentalis non exſtat, ſed tantum dicitur, *corpus & ſanguinem Domini in S. Cœna vere adeſſe & diſtribui veſcentibus*, apparebit tamen ex iis, quæ mox dicemus, eum præſentiæ realis modum ab Eccleſia noſtra ſtatui, qui *Unio* vocetur. Cæterum bene obſervandum eſt, per Concomitantiam hic intelligi non Concomitantiam illam Eccleſiæ Romanæ, juxta quam corpus & ſanguis Chriſti tùm ſub panis tùm ſub vini ſpeciebus

eſſe

esse dicuntur, ita ut e. g. corpus Christi præcipue quidem sub specie panis sit, sanguis verò sub eâdem concomitanter, sed aliam quandam, juxta quam corpus & sanguis Christi nec elementa externa assumunt, nec per accretionem quandam hisce adaugentur, nec pani vel vino includuntur, impanantur aut infunduntur, nec in eandem cum his substantiam coalescunt, nec cum iis quoque conjunguntur vel uniuntur, sed solum assistunt & concomitantur in externo sumtionis actu. Nunc ad unionem sacramentalem quæ recepta apud nos de præsentia reali sententia est, explicandam progrediamur.

## §. XVII.

Ultimus, quem diximus, præsentiæ realis modus est *Unio* sacramentalis, quam ii statuunt, qui Augustanæ Confessioni sunt addicti. Definitionem ejus ex Jo. Gerhardi Loc. Theol. de S. Cœna C. X. §. 69. dabimus: *Credimus in Eucharistiæ Sacramento veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam, exhibitionem, manducationem & bibitionem: quæ præsentia non est essentialis conversio panis in corpus & vini in sanguinem Christi, quam Transsubstantiationem vocant, neque est corporis ad panem ac sanguinis ad vinum extra usum Cœnæ localis aut durabilis affixio, neque est panis & corporis Christi personalis unio, qualis est divinæ & humanæ naturæ in Christo unio, neque est localis inclusio corporis in panem, neque est impanatio, neque incorporatio in panem, neque est consubstantiatio, qua panis cum corpore Christi & vinum cum*

*ipsius sanguine in unam massam physicam coalescat, neque est naturalis inexistentia, neque delitescentia corpusculi sub pane, neque quicquam hujusmodi carnale aut physicum, sed est præsentia & unio sacramentalis, quæ ita comparata est, ut juxta ipsius Salvatoris nostri veracis, sapientis & omnipotentis institutionem pani benedicto, tanquam medio divinitus ordinato corpus, & vino benedicto, tanquam medio itidem divinitus ordinato, sanguis Christi modo nobis incomprehensibili uniatur, ut cum illo pane corpus Christi, una manducatione sacramentali, & cum illo vino sanguinem Christi, una bibitione sacramentali, in sublimi mysterio sumamus, manducemus & bibamus. Breviter, non ἀπουσίαν absentiam, non ἐνουσίαν inexistentiam, non συνουσίαν consubstantiationem, non μετουσίαν transsubstantiationem, sed* * *παρουσίαν corporis & sanguinis Christi in Cœna statuimus.* Hinc in Form. Conc. Art. VII. de Cœna Domini p. 599. 600. 729. 736. *Unio sacramentalis* expressis verbis statuitur, diciturque, *corpus & sanguinem Christi, non tantum spiritualiter per fidem, sed etiam ore, non tamen Capernaitice sed supernatu-*

* Ast nec παρουσίαν statuimus, quæ utique nudam assistentiam præsentiamque externam non *unionem* significat Corpus enim Christi cum ubique præsens sit, in omni cibo, quem sumimus, præsens est, sive πάρεστι. Sed in sacram. Euch. non saltem πάρεστι sed & cum pane & vino *unitum* est. Unionem vero defendere Patres multi & recentiores quidam. Vide Harduini diss. de sacram. altaris & Bibl. Univ. T. 19. p. 552. maximè T. 15. p. 278.

*naturali & cœlesti modo, ratione sacramentalis unionis cum pane & vino sumi.* Et p. 755. 756. hæc extant: *Dicimus corpus & sanguinem Christi in S. Cœna spiritualiter accipi, edi & bibi. Tametsi enim participatio illa ore fiat: tamen modus spiritualis est.* Quinimo & corporalis præsentia negatur p. 753. quæ tamen p. 728. 729. ea ratione adstruitur, ut *corpus* Christi verè licet spiritualiter *præsens* esse credatur. Cæterum cùm corpus Christi ubique junctam divinitatem habeat, ea & in sacra Cœna præsens est, singulari tamen & incomprehensibili ratione, quæ omnes imperfectiones excludit. Conf. Damasceni L. IV. de fide Orth. C. XIV. ubi ἄρτος dicitur ἡνωμένος θεότητι. Id verò corpus, quod cum pane unitur, non demum creatur, reproducitur aut multiplicatur, ut quidam Scholastici statuunt, qui Transsubstantiationem hâc ratione explicare conantur, sed idem est unumque cum corpore Christi glorioso, quod mortuum olim fuit, nunc autem gloriosum est, nec corruptibile, uti Græcorum quidam somniarunt. Vide Apolog. Aug. Confess. Art. IV. p. 158. ubi: *Loquimur de præsentia Christi vivi.* Ista autem, quam dicimus, *Unio* sacramentalis à Confessoribus nostris ex proprio ingenio haud conficta fuit, sed ex Scriptura desumta, quæ voce κοινωνίας eam exprimit. 1. Cor. X. 16. Patres ἕνωσιν dicunt. Ita Ignatius in Epist. ad Philadelph. §. 4. ubi: ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος Χριστοῦ. Vide notas nostras ad Irenæum & Dissert. de Oblat. Euch. §. 26. Repetit eandem ἕνωσιν Irenæus* L. IV. adv. Hæres.

Ii 5 C. XVIII.

*Irenæi sententiam in notis ad ejus Fragm. Anecd. luculenter

C. XVIII. §. 5. Conf. quæ ad fragmenta Irenæi commentati ſumus p. 71. ſqq. & Form. Concord. Art. VII. de Cœna Dom. p. 729. nec non Juſtinum M. quem

explicavimus p. 75. ſeqq. 85. ſeqq. Aliam viam ingreditur Vir doctiſſimus Jo. Johnſonius in libro Anglico de ſacrificio incruento, ubi eruditè admodum de verbis Irenæi pronunciat. Ait autem, τὸ οὐράνιον, quod alteram Euchariſtiæ partem juxta Irenæum faciat, eſſe virtutem *Spiritus*, idque probare annititur ex L. V. adv. hær. C. IX. ubi tamen nec de Euchariſtia ſermo eſt, nec virtus Spiritûs ſed ipſe Spiritus memoratur. Cæterum, cùm locum Irenæi L. V. C. II. §. 3. ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, explicat Johnſonius, in eam videtur inclinare ſententiam, quæ per λόγον divinam naturam Jeſu Chriſti intellectam vult. Aſt probabile magis eſt, vel verba inſtitutionis vel ἐπίκλησιν Sacerdotis, vel, quod nos exiſtimamus, omnipotentem Dei virtutem hâc voce ſignificari. Id quod patet ex verbis ſequentibus: τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ τὴν ἔγερσιν αὐτοῖς χαριζομένου. Quùm verò Irenæus L. IV. C. XVIII. §. 5. ait, προσφέρομεν δὲ αὐτῷ τὰ ἴδια, egregiè obſervat Vir doctus, hæreticis hæc oppoſita fuiſſe, qui negaverint, panem & vinum eſſe creaturas Dei. Scilicet eapropter dicit Vir Sanctus τὰ ἴδια, quæ poſtmodum in Liturgias tranſſumta fuere, ubi: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρομεν. Ubi autem per ἔγερσιν *facultatem reſurgendi* intelligit Johnſonius, vix comprehendere poſſumus, quemnam ſenſum verbis Irenæi tribuat. Ita enim vertit: *Convenienter declarantes communionem & unionem, & confitentes reſurgentem & reviviſcentem potentiam Carnis & Spiritus* Chriſti in Euchariſtia: Facilius fluunt ea, quæ in notis ad Irenæi Fragmentum ſecundum diximus. Vide Johnſonii Lib. cit. C. II. Sect. I. p. 188. ſeqq. Scilicet cùm Theologi

quem supra allegavimus. Quemadmodum verò Irenæus loco citato ait, eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena & cœlesti, ita & Augustinus in Libro sententiarum Prosperi apud Gratianum: *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus adprobare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur è Deo & homine, cùm ipse Christus sit verus Deus & verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.* Quinimo & Patres Concilii Nicæni II. Actione VI. unionem panis cum corpore Christi per ἕνωσιν explicant, quâ

Anglicani præsentiam realem non credant, necessarium omninò est, ut ea, quæ Irenæus ponit, ita explicent, ut à præsentia reali alienus esse videatur. Nec tamen comprehendere satis possumus, quâ ratione eam negare ii possint, quos & tanta tenet veterum Patrum veneratio, & ad hanc fidem obstringit Catechismus Anglicanus, ubi: *Corpus & Sanguis Christi verè & certè accipiuntur & sumuntur à fidelibus in Cœna Dominica*, quæ eadem ferè verba sunt, quibus Augustana Confessio utitur, & quæ Jo. Calvinus non uno in loco nobis dedit, quæ & Ambrosii ipsissima est sententia L. 4. de sacr. C. 9. Nempe, ut præsentiam realem non omninò rejicerent, quidam duo Christi Corpora confinxerunt, carnale & spirituale, hoc affirmantes in Eucharistia accipi, alterum non item, quod in Discursu Anglico de Sacramento Eucharistiæ dixit Rev. Pellingius. In Articulis Ed. VI. damnabatur primùm præsentia realis. Sed hic articulus postmodum fuit omissus, ne scandalum iis daretur, qui præsentiam realem crediderunt.

quâ natura divina in Christo humanæ est unita. Idem ferè de tribus istis præpositionibus, quibus corpus Christi *in*, *sub* & *cum* * pane esse affirmamus, dictum esto. Scilicet & hæ ex Patribus transsumtæ sunt. Tertullianus Lib. de Oratione C. VI. *corpus ejus IN pane censetur:* & L. IV. Adv. Marc. C. XL. *Sanguinem suum IN vino consecravit.* Hilarius L. VIII. de Trinitate §. 13. *Naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit.* Jo. Chrosostomus Sermone III. de Sacerdotio: *CUM illis rebus, quæ videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Domini.* Idem ** in Epistola ad Cæsarium Monachum, de qua magnas lites miscuere Viri doctissimi Basnagius, Harduinus, aliique plurimi, unionem sacramentalem omninò statuit, & cum unione personali duarum naturarum in Christo confert. Fundamentum autem hujus unionis quod attinet, jam diximus, id non esse novam quandam corporis Christi creationem, ita ut aliud corpus sit in cœlis, aliud verò in terris creetur. Neque etiam ista *realis præsentia*, ut recte Calixtus in Considerat. Doctrinæ Reformat. p. 112. ait, *locali aliqua inclusione, alligatione aut commixtione, aut interventu ascensus & descensus* nititur. Cur autem ubiquitatem corporis Christi exclusam velit, non video, nisi quia in hoc argumento à fratribus suis discessit. Vide Form. Concord. Art. VII. de Cœna Dom. p. 755. sqq.

* Vide omnino *Unsch. Nachr.* A. 1715. p. 985.

** Ast Chrysostomus istam non scripsit epistolam. Ita sane Lequien censet pec. dissert. qui & cum Harduino facit, aitque nihil in ea contra fidem Romanam esse. Diss. III. in Dam.

ſqq. Is verò, quo illuſtris Leibnitius* ſupra à nobis laudatus, præſentiam realem explicavit, *modus & præſentiam realem tollit, & falſum ſupponit, & invita Scriptura invitisque Patribus hùc trahitur.* Dabimus iterum Viri ingenioſiſſimi verba ex Gallico idiomate à nobis translata: *Quemadmodum multi Philoſophi exiſtimaverunt, quod & juxta ordinem naturæ corpus immediate in diſtans inque plura corpora remota una eademque actione agere poſſit*, ita Theologi noſtri *eo magis credunt, nihil omnipotentiam divinam impedire, quo minus efficiat, ut unum corpus pluribus corporibus ſimul adſit, quia facilis omnino ab operatione immediata ad præſentiam tranſitus eſt, & forſan una ab altera dependet. Verum quidem eſt, quod inde ab aliquo tempore Philoſophi moderni rejecerint operationem naturalem immediatam corporis in aliud corpus remotum, fateorque, me ſententiæ eorum calculum adjicere. Attamen actio in diſtans nunc reſtituitur in Anglia per excellentiſſimum D. Newtonum . . . . . Et celeberrimus Lockius in reſponſione ad Epiſcopum Stillingfleetum declaravit, quod viſo Newtoni libro nunc retractet ea, quæ in tractatu de intellectu humano ſcripſiſſet, ſcilicet, corpus non poſſe operari immediate in aliud quam ut id attingat ſuperficie ſua ſuoque motu pellat, fateturque adeo, Deum poſſe materiæ proprietates conferre, quæ eam, licet remotam, ad agendum idoneam reddant. Atque ita Theologi Auguſtanæ Confeſſionis dicunt, quod dependeat à Deo non ſolum ut*

* Qui datis ad nos literis ſententiam ſuam defendit, ac poſt in Actis Erud. diſtinxit inter conjunctionem & unionem, illam ſtatuens, hanc negans. Aſt & *conjunctionem* rejicit Form. Conc. p. 729.

*ut corpus agat immediate in plura alia remota, sed ut iis etiam adsit & inde accipiatur, ita ut intervalla locorum & dimensiones spatiorum hic attendi non debeant. Et quamvis hoc vires naturæ superet, credunt tamen, hoc non superare potentiam Autoris naturæ, cui facile sit, datas abrogare leges vel eas suspendere, eadem ratione, uti fecit, ut ferrum super aquam nataret, ignisque in corpus humanum non ageret.* Disc. de conformitate fidei & rationis Libro Gallico: Essais de Theodicée præmisso §. 19. p. 27, 28. Multa sunt, quæ hanc præsentiæ realis explicationem difficilem reddunt. I. Actio immediata in distans negatur. II. Ab actione in distans ad præsentiam corporum à se invicem distantium non valet consequentia. III. Ipsemet Illustrissimus Leibnitius illam opinionem rejicit, adeoque hac ratione præsentiam realem explicare nequit. IV. Theologi Augustanæ Confess. actionem in distans pro fundamento præsentiæ realis nunquam posuere, sed ut rectè ait Vir celeberrimus, ad miraculum omnipotentiamque divinam confugiunt. Cæterùm §. 18. p. 26. præcedente jam dixerat Leibnitius, Theologos Aug. Conf. *nec provocare ad ubiquitatem corporis Christi*, quod tamen omnes fere faciunt, *nec admittere replicationem multiplicatam quorundam Scholasticorum, juxta quam unum idemque corpus uno eodemque tempore hic sedeat, alibi stet*, id quod verissimum est. Patet ex his, operam omnino eos ludere, qui præsentiam realem intellectui nostro comprehensibilem reddere voluerint. Nec tamen, quod comprehendere hoc mysterium non possumus, neganda ea sunt, quæ in S. codice expressis exstare verbis creduntur. Hinc vix approbari ea poterunt, quæ de præsentia reali

scribit

scribit Theologus insignis Jo. Alphons. Turrettinus: *Falluntur, qui se credunt ejusmodi ἀσύςατα credere. Jungunt voces, non ideas. Atqui credere propriè loquendo non est voces sed ideas jungere.* In Cogitat. de controversiis, sensu communi, &c. Th. XXXI. Sequentia enim pace Viri doctissimi regerimus. I. Multa sunt natura nobis nota, quæ vera esse scimus & combinare tamen non possumus, ita ut ἀσύςατα nobis esse videantur. Exemplum exhibet notissimum de origine mali argumentum, ubi nemo hactenus sapientiam, sanctitatem, bonitatem & providentiam Dei cum permissione peccati rectè combinare potuit, ut omne omnino solutum fuerit dubium. II. Et in rebus natura notis jungendæ sæpius voces sunt, ubi ideæ jungi non possunt, & vel nullæ plane vel imperfectæ saltem dantur; multaque in natura esse incomprehensibilia alibi dixit Vir doctissimus. Ubi autem incomprehensibilia credimus, voces non ideas jungimus, & nihilominus tamen credimus. Ita nullam habemus æternitatis ideam, nullam ipsius animæ, quæ nostrum corpus inhabitat. Ista tamen omnia credimus, nec sine ratione credimus. III. *Ideas jungere & credere* unum idemque non est. Ideas enim jungimus & cùm fingimus. IV. Thesis ista, ut arbitror, totam Religionem Christianam subruit, nisi suis illam limitibus coërceas. Multa enim credenda eadem præscribit, quorum ne ideas quidem habemus, multo minus jungere possumus. Solum de Trinitate articulum allegasse hic nobis sufficiat. V. Non sola idea, sed & sensus fundamentum fidei esse potest. VI. Non ubique evidens rei revelatæ idea ad credendum requiritur. Sufficit, si eviden-

tia

tia revelationis adſit. Ita e. g. reſurrectio mortuorum qui fieri poſſit, eſt valde inevidens : aſt revelatio circa eam eſt evidentiſſima. Sed de his quidem latius jam egimus aliis in locis, inprimis in Primitiis noſtris Tubingenſibus in Diſſ. de præjudicatis in Religione dijudicanda opinionibus fugiendis, nec non in Diſſertatione noſtra Apologetica Jo. Alphonſo Turretino oppoſita, ubi quæſtionem evolvimus: Num contradictoria proprie loquendo credi poſſint?

## §. XVIII.

Hæc dum de unione ſacramentali tradimus, non diſſimulandum nobis eſt, eſſe Viros doctiſſimos, qui totam hanc controverſiam ex Patribus decidendam determinandamque eſſe arbitrentur. Quod etſi magno conatu demonſtrare ſatagant Romanæ Eccleſiæ Doctores, nondum tamen, uti arbitror, eo ventum eſt, ut victas ipſis manus dare cogamur. Etenim, qui ad traditionem Eccleſiæ perpetuam hîc provocant, aut contorto collo Veterum teſtimonia, quæ ipſis contraria ſunt, vi præjudiciorum abrepti in ſuas partes trahunt, aut veteres in hoc articulo plurimùm variaſſe & diſſenſiſſe, nondumque nata controverſia, *ſecurius locutos eſſe* perperam diſſimulant. Scilicet cum augendis myſteriis, ad quæ credenda nimium utique inclinat hominum animus, opera olim data fuerit, & genuinæ Criticæ artis regulæ vel ignorarentur vel negligerentur, & tumultuaria ſæpius opera res fidei traderentur, mox hæc, mox alia ſententia in medium prolata fuit, prout hæ vel illæ difficultates animo ſe obtulere, factumque, ut unus idemque Eccleſiæ Pater mox mutationem panis, mox

unionem

unionem, mox figuram statueret. Id tamen & veritati dandum, exstare in veteribus missalibus maximè Gothico & Gallicanis plura loca pro transsubstantiatione formaliter militantia, multoque communiorem apud Patres esse de transsubstantiatione & præsentia reali sententiam, quam de figura. Exempla hîc coacervare nobis animus non est, qui ὡς ἐν παρόδῳ hoc de argumento nunc agimus. Aliquos saltem allegabimus heic, ne gratis dixisse videamur. Certè Tertullianus primò unionem sacramentalem præsentiamque realem variis locis statuit. Ita in Lib. de Oratione C. VI. *corpus ejus pane censetur*. De Resurr. carnis C. VIII. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima Deo saginetur*. De spectaculis circa finem: *Vis autem aliquid sanguinis? Habes Christi*. L. V. Adv. Marc. C. VIII. *Panis & calicis sacramento jam in Evangelio probabimus corporis & sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis* L. IV. Adv. Marc. C. XL. *Sanguinem suum in vino consecravit*. De pudicitia C. IX, nos vesci ait *opimitate Dominici corporis*, & de Idol. C. VII. ingemit Christianorum *eas manus admovere corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt*. Nihilominus alibi figuram expressis verbis asserit idem. L. IV. Adv. Marc. C. XL. *Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei*. L. I. Adv. Marc. C. XIV. *Pane corpus suum repræsentat*. L. III. Adv. Marc. C. XIX. *Corporis sui figuram pani dedit*. De anima C. XVII. *Vinum in sanguinis sui memoriam consecravit*. Denique Transsubstantiationem ex iis Tertulliani verbis probant Romanæ Ecclesiæ Theologi, cùm L. IV. Adv. Marc. C. XL. dicitur:

*Acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum FECIT*, Hoc est corpus meum *dicendo*. Quamvis enim statim addatur, *id est figura corporis mei*, videtur tamen Tertullianus, qui ex eucharistia veritatem corporis Christi contra Marcionem probare contendit, præsentiamque realem alibi statuit, figuram & veritatem hoc in loco verbo *fecit* combinare, & quandam mutationem insinuare voluisse. Pariter Cyrillus Hierosol. mox transsubstantiationem mox figuram habet in Catech es. Athanasius mox dicit, *Corpus Christi*, quod *in eucharistia* datur, esse idem, *quod sedet à dextris Dei*, mox esse *cibum spiritualem & spiritualiter dari in escam*: itemque: *Quot enim hominibus corpus satis esset ad esum, ut totius mundi fieret alimentum?* Hæc ipsa Montfaucon observat in Præfat. ad Opp. Athanas. f. XXI. Sic Chrysostomus Homil. 17. in Ebr. τύπον & σύμβολον dicit, Epist. ad Cæsar. *unionem* statuit, loco supra posito transsubstantiationem effert. Ambrosius etiam de sacr. L. I. C. 5. & 48. & de myst. C. 8. & 11. figuram statuit: ibidem & transsubstantiationem innuit. Rupertus Tuit. de quo jam supra L. 6. in Joh. ait: *permanet sensus verbi consonus, quod panis in veram substantiam corporis ejus divina virtute convertatur*. Testimonia de Assumtione antea dedimus, Figuram autem nullibi statuit. Similia ex Hieronymo, Augustino, Gregorio M. Theophylacto aliisque tum Græcis tum Latinis Patribus dari possent, si in controversiam ista vocatum iri crederemus ab iis, qui sine partium studio rem examinant. Hinc egregiè S. Evermundus: *Quidam Patres literalem sensum verborum*, Hoc est corpus meum, *defendunt*, *alii* figu-

*figuratum, juxta genium illius populi, qui locutionem figuratam vel maxime in usu habuit. Apparet hoc luce clarius ex libris Arnaldi & Claudii, ubi, quum Arnaldus dictum cujusdam Patris in suas partes trahit, vix omne Claudii acumen sufficit ad vim ejus retundendam; & quum Claudius aliud ad suam opinionem defendendam adducit, omnis Arnaldi fervor stylique, quo utitur, vehementia non destruunt argumentum Claudii. Hæc sententiarum diversitas in Patribus manifesta est. Parum si quis ingenii & sinceritatis habeat, id fatebitur* *. Digna hæc tanto Philosopho, & meliora sunt, quam quæ à Theologo præjudiciis suis immerso sperare possis. Scilicet si ita quidem de Viris doctissimis judicare liceat, & Arnaldus, Nicolius ac Renaudotius, qui libros de perpetuitate fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam composuere, & Claudius, Larroquanus, & Basnagius, qui illos refutarunt, hîc peccavisse dicendi sunt. Cùm enim nulla vel pro ho-



* Verba Gallica hæc sunt: *Une partie des Péres s'est attachée au sens literal de ces paroles: Ceci est mon Corps; l'autre les a prises au sens figuré dans un païs, où l'on parloit presque toûjours par figure. La verité de ce, que je dis, se prouve tres clairement par les livres de M. Arnauld & de M. Claude, où quand M. Arnauld allégue un passage de quelque Pére, tout l'esprit & toute la dexterité de M. Claude suffisent à peine pour l'eluder, & lorsque ce dernier en cite un autre avantageux à son opinion, toute la force & la véhémence de M. Arnauld ne renversent point l'argument de M. Claude. Cette difference de sentimens dans les Péres est manifeste. Il ne faut qu'avoir un peu de sens pour le connoître & un peu de sincérité pour l'avoüer.* Oeuvres Mêlées T. IV. Epist. ad Justellum p. 158.

rum vel pro illorum ſententia perpetua Patrum fides detur, ingenuè fatendum erat, variare Patres, & mox in hanc, mox in aliam opinionem propendere, ita ut certi quid ac determinati ex libris eorum concludi nequeat. Evermundo addemus Petrum Bælium Virum itidem acutiſſimum, & qui ad Scepticiſmum usque præjudicatas opiniones depoſuit. Hic primum, cùm omnia, uti par erat, nondum examinâſſet: *Nihil majorem Claudio admirationem conciliavit, quam iſta ingenii perſpicacia, qua oſtendit transmigrationem imperceptibilem fidei de præſentia reali determinata.* Gallica melius ſonant, quæ ad calcem hujus paginæ damus *. Alibi verò rem acu tangit: ** *Patres tam diverſimode locuti ſunt de eucha-*

* *Rien n' a fait plus admirer M. Claude, qu' une pareille dépenſe d' éſprit, par laquelle il a montré la tranſmigration imperceptible de la foy d' une préſence réelle vague à la foy d' une préſence réelle déterminée.* Nouv. de la Rep. des Lettres MDCLXXXVI. Fevr. p. 126.

** *Les Péres ont parlé ſi diverſement de l' Euchariſtie, qu' on pourroit comparer leurs expreſſions aux phénoménes céleſtes. Cette partie de la phyſique eſt celle, qu' on met le plus en parti, & qu'on abandonne le plus aux ſuppoſitions de l' eſprit humain. Combien de ſyſtémes ne fait-on pas pour donner raiſon de ces apparences? Ce qu'il y a de rare, c' eſt, qu'on en vient à bout dans toutes les hypothéſes, de ſorte que la difference des unes aux autres ne conſiſte que dans le plus ou moins d' embaras. La doctrine des Péres ſur l' Euchariſtie a eu le même deſtin. On n' en connoît que les phénoménes, c' eſt à dire que les phraſes differentes, qu' ils nous ont laiſſées dans leurs livres. La queſtion eſt de bien trouver la penſée qui repoſe ſous ces expreſſions Pour cela il faut aller en parti & forger des hypothéſes. La tranſſubſtantiation en eſt une, l'impanation en eſt une autre, la figure y entre auſſi; & l' on*

*... pourvû que*

*chariſtia ; ut expreſſiones eorum poſſint comparari phænomenis cœleſtibus. Hæc Phyſicæ pars maximè dubia eſt & conjecturis obnoxia. Quot quæſo conduntur ſyſtemata, ut horum phænomenorum ratio detur ? Et ( quod mirum eſt ) omnes iſtæ hypotheſes defenduntur, eâ ſaltem cum differentia, ut quædam majorem, quædam minorem habeant probabilitatem. Dogma Patrum de euchariſtia eandem ſortem nactum eſt. Non cognoſcuntur niſi ejus phœnomena, i. e phraſes diverſæ, quas in libris ſuis nobis transmiſere, eoque res tota redit, ut inveniamus ſenſum his expeſſionibus involutum. Hoc ut fiat, in partes eundum eſt, hypotheſesque formandæ. Una ex his eſt*

 *Trans-*

*l'on ait de l'erudition & du genie, de donner raiſon de toutes les apparenses. On n'a qu'à voir, comment le Cardinal du Perron & M. Arnauld ont prouvé, qu'il ne s'enſuit pas de ce que les Péres auroient crû la tranſſubſtantiation, qu'ils n'auroient pû ni dû s'exprimer, comme ils ont fait dans les paſſages, que ceux de la Religion objectent. C'eſt expliquer les choſes preſque auſſi heureuſement que l'on explique les phénoménes des cieux dans le ſyſtéme de Ptolomée. Il y a des Proteſtans, qui ſans être de l'opinion des Luthériens ſont perſuadés d'ailleurs, que s'il ne s'agit que de faire des hypothéſes, celle de la Confeſſion d'Augsbourg eſt préférable à toutes les autres pour ce qui eſt de donner raiſon des phraſes de l'antiquité. Car tout de même que les expreſſions les plus oppoſées touchant Ieſus Chriſt ſe reconcilient enſemble ſans nulle ombre de contradiction, dès qu'on ſuppoſe qu'il eſt Dieu & homme en unité de perſonne, de même l'on accordera aiſément enſemble tous les termes durs, empoullés, hyperboliques, ſimples & naïfs, qui ſe trouvent dans les Péres au ſujet du S. Sacrement, on les accordera dis-je enſemble, pourvû qu'on ſuppoſe qu'il y a là tout à la fois l'humanité de I. C. & la ſubſtance du pain.* Nouv. de la Rep. des Lettres MDCLXXXVII. Fevr. Art. II. p. 129. 130. 131.

*Transsubstantiatio, alia Impanatio, denique alia, quâ Figura defenditur, possuntque omnia hæc systemata defendi, si modo eruditione ingenioque quis sit instructus, ad rationem omnium horum phœnomenorum dandam. Luculenter hoc perspicitur ex iis rationibus, quas Card. Perronius & Arnaldus afferunt, ut ostendant, non sequi ex eo, quod Patres Transsubstantiationem crediderint, eos aliter potuisse & debuisse loqui, quam locuti sunt in iis locis, quæ Reformati objiciunt. Scilicet eâdem facilitate explicantur phœnomena cœlestia juxta mentem Ptolomæi. Sunt Protestantes, qui, etsi Lutheranorum opinionem non teneant, persuasi tamen sunt, quod, si de hypothesibus formandis saltem quæstio sit, sententia Augustanæ Confessionis præferri possit omnibus aliis, quoad hoc, ut nempe ratio detur phrasium in Patribus exstantium. Nam quemadmodum expressiones, quæ sibi maximè oppositæ sunt, de Jesu Christo optimè conciliantur, ita, ut nulla supersit contradictionis umbra, si supponas, illum & Deum & hominem esse in unitate personæ, eadem ratione conciliari secum invicem possunt facillimè termini duri, sesquipedales, hyperbolici, simplices & perspicui, qui inveniuntur apud Patres de Sacramento eucharistiæ, si saltem supponatur, quod ibi simul sit humanitas Jesu Christi & substantia panis.* Hactenus* Bælius, qui, si quid unquam scripsit limati & egregii, hæc scripsit applausu nostro dignissima, eoq; veriora, quod nullo par-

tium

* Cæterum addendus Evermundo & Bælio est Clericus qui idem dicit Bibl. Univ. T. XI. p. 444. & Spanhem. T. 2. f. 544.

tium ſtudio ductus iſta poſuit. Vidit iſta * Vir doctiſſimus, Matthæus Larroquanus, & cùm omnem operam daret, ut oſtenderet, Patres præſentiam realem non credidiſſe, ſed potius figuram corporis Chriſti in Sacramento euchariſtiæ, in præfatione Hiſtoriæ, quam de Euchariſtia Gallico idiomate conſcripſit, varias poſuit regulas, juxta quas Patrum dicta ſint exigenda, inter quas quarta hæc eſt, quam ** 2 ponit: *Patres non eſſe ſecum committendos, nec contradictiones ipſis attribuendas, cum hoc defectum judicii oſtendat, qui Patribus adſcribi nequeat***. Addere utique debuerat, ut arbitror, ſi ſalva veritate id fieri poſſit. Quæ ſi clara luce oculos perfundat, nulla eſt humana autoritas, quæ eam valeat deſtruere. Aſt de dijudicandis Patrum circa euchariſtiam effatis ſatis ſuperque diximus.

## §. XIX.

Scilicet hæc omnia, quæ hactenus diximus, diverſæque illæ Patrum ſententiæ & explicationes abunde ſatis monſtrant, hoc myſterium ſphæram humani



* Agnoſcit hanc Patrum variationem Vallemontius, ſed ait, non eapropter eos variâſſe, quòd certam de S. Euch. ſententiam non tenuerint, ſed quòd ob diſciplinam arcani datâ operâ æquivoce voluerint loqui, quam ſententiam ex perpetuitate fidei & Schelſtrateno hauſit.

** Verba Larroquani ſunt: *La quatrieme regle, que l'on doit ſuivre pour bien interpreter les temoignages* des Péres, *c'eſt de ne les pas faire combattre contre eux-mêmes, & de ne les pas jetter dans une contradiction. Car il faut ſuppoſer, qu'ils ont été aſſes prudens & aſſes judicieux pour ſe mettre à couvert d'un reproche qu'on n'eû pas manqué de leur faire, ſi cela leur étoit arrivé.*

mani ingenii longe ſupergredi, nec vim intellectui noſtro inferendam eſſe, ut ea concipiat, quæ concipere non valet. Hinc, ut arbitror, in re tam obſcura atque difficili, id erit optimum, in explicando hoc myſterio ad Philoſophicas ſubtilitates præciſionemque Scholaſticam haud recurrere, aut determinatione quâdam Mathematica modum præſentiæ deſignare, aut anathematiſmos contra diſſentientes condere, niſi contrariis opinionibus ii inſtitutionem Salvatoris plane ſubruant; ſed eos ſaltem terminos adhibere, qui ex Scriptura ſacra petiti ſunt, easque ſolum cærimonias admittere, quæ in prima inſtitutione ſunt præſcriptæ. Neque hic, ut arbitror, à ſententia Patrum abludimus, qui, cùm de myſteriis agunt, τὸ πῶς modumque inquiri vetant. Ita Paſchaſius Radbertus de Sacramento corporis & ſanguinis Domini C. I. *Si rationem quæris, quis explicare poterit, aut verbis comprehendere?* Sic & Athanaſius ad calcem lib. de ſalutari adventu Jeſu Chriſti rejicit eos, qui ſunt τὸ πόσον ἢ πῶς περὶ τὰς γραφὰς λέγειν τολμῶντες. Recte etiam Ambroſius Enarrat. in Pſ. XXXVI. §. 68. De iis, ait, quæ non comprehendimus, loqui vera non poſſumus. Et Jo. Damaſc. de fide Orth. L. IV. C. XIV. *Spiritus S. ſupervenit ac ea facit, quæ ſupra rationem ac conceptum ſunt.* Et ante iſta: *Ita & nunc ſancti Spiritus efficacia ea operatur, quæ ſupra rationem ſunt, quæ non niſi ſola fides capere poteſt.* Idem urget Gregorius Nazianzenus in Oratione de Spiritu S. ubi de ipſius proceſſione contra Arianos & Macedonianos loquitur: *Quænam igitur eſt Proceſſio iſta? Ediſſere tu mihi prius, quomodo Pater nongenitus ſit, tum & ego tibi accurate*

*rate describam Filii generationem & Spiritus S. processionem; ambo autem peccabimus, quippe in mysteria Dei penitius introspecturi. Nos enim, qui id facere tentamus, qui sumus? οἱ μηδὲ τὰ ἐν ποσὶν εἰδέναι δυνάμενοι, qui nimirum ne ea quidem, quæ ante pedes nostros sunt, cognoscere valemus, neque maris guttas, neque pluviæ stillas, neque ævi dies enumerare possumus, tantum abest, ut in profunditates Dei invadere queamus, ac rationem exquirere naturæ tam inenarrabilis ac rationem usque adeo excedentis.* Eadem fere habet Cyrillus Alex. in L.IV. in Joh. C. XIII. *Oportet itaq; & nos, quorum est ex aliorum nocumentis capere documenta, propriam corrigere vitam ac in assumendis mysteriis divinis fidem habere sepositis quæstionibus firmam, neque eorum, quæ dicta sunt, cuiquam inserere τὸ πῶς, illud:* quomodo? *Quod Judæorum erat verbum, sed & inflictæ eis propterea pœnæ extremæ causa.* Quæ & in sequentibus emphatica oratione prosequitur, tandemque concludit: *Qua quidem ratione carnem ipsis det comedendam, nusquam docet; cognoverat enim esse, qui in tenebris versarentur, neq; unquam comprehendere valerent rem silentio tectam.* Addimus Gregorii M. effatum in Hom. XXVI. in Evang. *Sciendum nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Gul. Durantis Speculatoris de Sacramento Eucharistiæ hæc fertur celebris sententia: *verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Vide Forster Hist. Juris Civ. L.III. C. 17. p. 485. & Cave Hist. Lit. p. 652. a Si itaque in

mysteria divina involare haud licet, & si ea comprehendere humanus non valet intellectus, cur de re incomprehensibili ita disputemus, ut charitatem rumpamus? Confiteamur potius nostram ignorantiam, & divinam adoremus sapientiam, quæ ista nos nescire voluit. Denique si quid determinemus, agnoscamus, nos de rebus divinis tantum balbutire, perfectiorem scientiam sæculo futuro reservantes. Atque hæc de effectu consecrationis dicta sunto.

## §. XX.

Cæterum, dum ad ipsam consecrationem redimus, diversæ quoque opiniones nobis enarrandæ sunt, quæ hodie Ecclesiam scindunt, consecrationem eucharistiæ concernentes. Claudius Salmasius, qui sub nomine Simplicii Verini Librum de Transsubstantiatione ad Justum Pacium contra H. Grotium scripsit, originem consecrationis perperam ab Ethnicis derivat. Ita enim ille: *Gentiles hanc vim suis consecrationibus attribuebant, ut rebus per eas ita consecratis Divinitatem crederentur infundere, & ita adfigere, ut deinceps in illis ipsis rebus inhæreret & semper præsens adesset. Sic simulachra Deorum dedicari & consecrari apud ipsos solita.* Docet porrò, consecrationem Græcis ἀποθέωσιν & ἀποτέλεσμα dictam fuisse, quæ posterior vox & rem consecratam innuit. Latine *consecrare* idem est ac *Deum facere.* Hinc Tertullianus Adv. Marc. L. I. *Hæc erit novitas, quæ etiam Ethnicis Deos peperit, novo semper ac novo titulo consecrationis cujusque.* Idem de Corona Militis: *Mortuorum est ita coronari,*

*nari, vel quoniam & ipsi idola statim fiunt, & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est.* In Libro de Idololatria: *Eorum imagines idola, imaginum consecratio idololatria*, ut alia loca taceamus. Minutius Felix: *Nondum Deus saxum est, lignum vel argentum. Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremo Deus est, cùm homo illi voluit & dedicavit.* Addit deinde Salmasius: *Quid aliud hodie facit aut credit gens Pontificia de pane Eucharistiæ? Ante consecrationem panis est, post consecrationem Deus, totus & verus Christus cum omni suæ divinitatis & humanitatis censu & paratura. Vocem etiam* consecrationis *ideo quasi propriam huic magicæ operationi sumserunt*, benedictionis *aut* sanctificationis, *quâ priores usi sunt Patres, repudiata.* Pergit: *Quis Latinorum & primorum Patrum consecrationem pro benedictione dixit vel gratiarum actione vel sanctificatione? Num Tertullianus aut Cyprianus aut Minutius aliique intra duo aut tria priora sæcula? Hæc res quarti sæculi. Inde incepit non solum* consecratio *Ecclesiarum dici sed etiam panis, non tamen eo sensu, quo nunc Pontificii eam solent usurpare. Consecrationem dixerunt, quâ panis sacrabatur, ac pro vulgari & communi fiebat mysticus, id est, sacramentalis.* Denique ait: *utinam Patres antiqui abstinuissent ejusmodi vocibus & loquutionibus, è gentium ritibus ac cærimoniis superstitionibusque petitis. Utinam temperassent in re sanctissima sed & simplicissima, nominare consecrationes, τελετὰς, ἱερουργίας, sacrificia, δυνάμεις, virtutes sacramenti!* Hæc Salmasius p. 436. seqq. Haud miror, hæc Viro doctissimo excidisse, qui præsentiam

ſentiam realem non credidit. Cæterum tota de voce lis eſt. Sive enim conſecrationem dicas ſive ſanctificationem, aut benedictionem, ſive εὐλογίαν & ἁγιασμὸν aut ἱερουργίαν aut τελείωσιν, unum idemque id eſt. Si verò de re ipſa certemus, à vocibus incipiendum non eſt, nec mora in iis explicandis inſumenda. Unum hoc obſervamus, Salmaſium nimio ἀνθολκῆς ſtudio ductum *conſecrationis* vocem ad ſæculum IV. reſtringere. Sc. diſſimulat, Tertullianum, quem tamen nominat, dixiſſe: *Sanguinem ſuum in vino conſecravit.* L. IV. Adv. Marc. C. XL. & de anima C. XVII. *Vinum in ſanguinis ſui memoriam conſecravit.* Ἱερουργίαν verò & τελετὴν conſecrationem euchariſticam primus dixiſſe fertur Dionyſius*. Quod reſtat, recentiorum diverſas de conſecratione ſententias nunc in compendio damus. De Græcorum, conſecrationem euchariſtiæ in precibus ponentium, dogmate ſupra ſatis ſuperque egimus. Romanæ ** Eccleſiæ recepta eſt opinio, conſecrationem fieri per verba:

* Hoc autem falſum videtur: ἱερουργεῖν enim jam dixerunt Clemens qui idem etiam voces ἐπιτελεῖν & ἐπιτελεῖσθαι adhibuit, ut & Juſtinus M. quorum teſtimonia, è Græco translata ſupra dedimus plura.

** De Conſecr. Eccl. Rom. luculenter agit, quem in fronte hujus Diſſert. hanc in rem jam allegavimus, Thiers des ſuperſtitions, qui regardent les ſacremens T. I. L. 3. C. 4. ubi inter alia ait, de his verbis H. E. E. C. M. nihil, neque vocem *enim* quoque, omittendum, nihil mutandum, nihil addendum, ne conſecratio vitietur, nec conſecrari poſſe hâc formulâ: *Illud eſt Corpus meum*, ſed benè hâc: *Iſtud eſt Corpus meum.* Addit verba conſecratoria non toties in conſecratione repetenda eſſe. Sic

verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quæ tamen, si solitaria sint, ad consecrationem haud sufficere videntur Thomæ, Capreolo, Paludano, Antonino & aliis, qui putant verba insequentia utique & de substantia formæ esse, quia prædicatum determinent. Quod & Gerhardus in consecratione Ecclesiæ Romanæ desiderat Loc. Theol. de S. Cœna §. 155. Diffident tamen nihilominus Scholastici, observatumque hoc fuit à nostris Martino Chemnitio & Joh. Gerhardo. Hinc miror, Cardinalem Bellarminum inter *mendacia Chemnitii* * referre, quod dicat, *Catholicos inter se disputare, quibus verbis eucharistia sit conficienda.* L. IV. de Euch. C. XV. Diximus hanc in rem quædam supra §. 1. & 2. Christophorus de Capite Fontium, Archiepiscopus Cæsariensis in Epist. ad Sixtum V. *septem* ait esse *Catholicorum de forma Eucharistiæ opiniones*, quarum tamen nonnisi sex diversas recenset, scilicet esse I. qui statuant, Christum nullis omnino verbis consecrâsse, quam sententiam tribuit Innocentio III. & IV. Gabr. Bielio, Godefr. Pictaviensi, Gul. Durando, Catharino, aliis. II. qui affirment, Christum verbis nobis ignotis consecrâsse, quod Albertus M. credi-

& Romanæ Ecclesiæ sententia patet ex Concilio Florentino quod in Decret. Un. Armen. ita habet: Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.

* Ita quidem Bellarminus perstringit Chemnitium. Nos arbitramur, hanc vocem ad fæcem vulgi relegandam, èque Republica litteraria eliminandam esse, ubi modestiæ & civilitatis leges transgredi haud licet.

crediderit. III. qui dicant, Christum verbis: H. E. C. M. benedixisse, sed bis prolatis, semel cum benedixerit, deinde & cum distribuerit, uti Stephanus Æduensis arbitretur. IV. qui credant, Christum, dum benedixit, ista verba dixisse & per ea consecrâsse. V. qui conjiciant, prolationem horum verborum durâsse, dum Christus benediceret, frangeret & daret, quod Thomas statuat. Denique VI. qui existiment, Christum non cum benedixit, consecrasse, sed cum dedit, dum post verba: *Accipite & manducate*, dixit, *Hoc est corpus meum*, quæ opinio Scoto & Cajetano adscribitur. Ii porrò, qui consecrationem in verbis H. E. C. M. sitam esse putant, rursus dividuntur. Sunt enim, qui statuant, sola illa verba sufficere, quæ plerorumque Scholasticorum est sententia; ast alii totum Missæ Canonem ad consecrationem pertinere ajunt. Ita Scotus Sent. IV. Dist. VIII. & Summa Angelica de Euchar. Membr. I. Q. XXIV. ubi: *De necessitate requiritur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus præfata forma solummodo determinetur ad corpus Christi, sicut fit, cum dicitur in Canone*: fiat corpus dilectissimi Domini nostri Jesu Christi. „ Eandem sententiam tenuere Ambros. Catharinus, qui ait: *fit ergo nobis corpus Christi propter orationem præmissam ex vi pacti*, Christ. de Capite Fontium, Petrus de Aquila, Pelbartus in Rosario Theologiæ & Doctores Colonienses, qui ita in Antididagmate: *Hic postulat necessitas, ut indicemus, vehementem prorsus insaniam esse, quod nunc quidam arbitrentur, se consecrare sacramentum corporis & sanguinis Christi sine catholica prece, quam canonem appellamus, & absque invocatione Divini Numinis super proposita*

*sita*

*ſita dona.* Lindanus denique in Panoplia ſententiam à vulgo Theologorum receptam vocat *adulterinam, novam & contrariam Traditionibus Apoſtolicis, & univerſali Eccleſiæ uſui.* Quinimo & de conſecratione calicis *Theologos inter ſe non convenire,* ipſe fatetur Bellarminus L. IV. de Euch. C. XII. Nec de virtute verborum Conſecrationis iidem conſentiunt, cum Thomas P. III. Q. LXXVIII. Art. IV. *virtutem creatam* illis *inditam* ſtatuat, Biel verò Sent. IV. Diſt. II. Q. I. Art. III. Dub. V. *aſſiſtentem* ſolùm largiatur. Quærunt etiam: num propoſitio illa: H. E. C. M. proferatur à Sacerdote recitative & materialiter vel ſignificative? Sed & hic in diverſa abeunt, quibusdam recitativam, aliis ſignificativam prolationem ſtatuentibus, aliis etiam utramque conjungentibus. Unde omnino patet, rectè Chemnitium dixiſſe, quod *Catholici* de Conſecratione *multum inter ſe diſputent.* Benè autem hîc notandum, Catholicos in articulo hoc plurimum à nobis differre, quod & ipſe agnoſcit Bellarminus de Euch. L. IV. C. XII. etſi eas rationes ibi non alleget, quæ rem conficiant. Vid. Gerhard. Loc. Theol. de S. Cœna §. 153. 154.

§. XXI.

Enimverò quid in Conſecratione Eccleſiæ Romanæ noſtrates deſiderent, idem Gerhardus exponit loco citato §. 155. ubi inter alia negat, *ſolis illis quinque verbis*, Hoc eſt enim corpus meum, *conſecrationem tribui poſſe.* Hinc cum Chemnitio ait, conſecrationem non ſolùm in recitatione verborum inſtitutionis, ſed in tota & integra inſtitutione, benedictione, diſtributione, manducatione & bibitione conſiſtere, aut ſaltem, ut perfecta & valida

ſit,

ſit, cum his conjunctam eſſe debere. Ita ſanè Form. Conc. p. 749. Addit §. 156. preces, gratiarum actiones, præſertim verò Orationem Dominicam verbis inſtitutionis ac celebrationi euchariſtiæ rectè ſubjungi, cum Chriſtus non inſtituerit mutam cærimoniam, ſed ipſe gratias egerit & benedixerit, cùm Paulus mortem Domini annunciare nos jubeat 1. Cor. XI. 26. cùm Apoſtoli in celebratione Euchariſtiæ Orationem Dominicam dixerint, cùm omnes Veterum Liturgiæ* precibus quoque conſecrent, denique & in ſacramento Baptiſmi preces adhibeantur. *Quibus autem verbis illæ preces in* conſecratione euchariſtiæ dicendæ, *concipiendæ ſint, non à Chriſto vel Apoſtolis diſerte expreſſum* eſſe ait, *ac proinde in Eccleſiæ libertate relictum.* Quinimo & ἐπίκλησιν Veterum omnino approbat §. 152. ita tamen, ut & ea Patrum loca afferat, quibus ſacramentum hoc ſermone Chriſti confici dicitur. Scilicet conſecratio, ut idem Gerhardus §. 143. dicit, vel divina eſt vel humana, vide omnino F. C. p. 759. 599. Divina eſt ille omnipotentiæ divinæ actus, quo Deus vi promiſſionis ſuæ, mediantibus verbis inſtitutionis, quorum efficacia inde à prima euchariſtiæ

* Picardi ſive Waldenſes conſecrarunt precibus, ut Deus faciat panem Corpus Chriſti &c. Sekendorff Hiſt. Luth. ad Indic. I. Hiſtor. Scholia ſive ſuppl. num. 58. voce Picardorum col. 2. Guido de Perpiniano L. 9. de hæreſibus dicit, eas conſecraſſe non per verba: H. E. E. C. M. ſed per orationem Dominicam ſepties repetitam. Aſt de hâc re nihil meminit Æneas, Sylvius, etſi omnes eorum errores recenſeat. Georgii Anhaltini de Conſecratione per ſola inſtitutionis verba facienda ſententiam refert quoque Sekendorf. L. III. f. 509. b. Idem ferè exſtat in Catech. maj. Lutheri p. 553.

riftiæ celebratione in noftram quafi derivatur, elementa externa cum corpore & fanguine Jefu Chrifti ita unit, ut cum his diftribuantur atque beneficia mortis Chrifti cum remiffione peccatorum nobis applicentur. Humana vero confecratio utique in precibus confiftit. Hîc præivit ipfe Chriftus primus confecrator §. 147. fecuti funt Apoftoli 1. Cor. X. 16. & tota primitiva Ecclefia, uti ex omnibus Liturgiis, nulla excepta, conftat. Etenim *precatur* hîc Minifter Ecclefiæ, *ut Chriftus vi promiffionis fuæ in hac facramentali actione præfens, ipfemet mediantibus hifce externis fymbolis corpus & fanguinem fuum communicantibus diftribuat.* §. 149. Inde ifta verba in precibus confecratoriis, quæ in noftra Liturgia exftant: *da nobis*, O DEUS, *ut falutiferam communionem* Jefu Chrifti *in fancta ipfius Cœna accipiamus.* Exftat & alia oratio confecratoria, quâ rogatur Deus, *ut elementa externa cum corpore & fanguine Jefu Chrifti uniat*, & quam prælectam aliquando in Ecclefia Hagienfi Auguftanæ Confeffioni addicta audivimus à facundiffimo Viro, Jo. Gerhardo Meufchenio. Quæ cum ita fint, femper ingeminant noftri Theologi, confecrationem euchariftiæ nec effe magicam quandam incantationem à literis fyllabisve pendulam, ita, ut occulta quadam virtute verbis inhærente unio facramentalis perficiatur, nec hiftoricam faltem, doctrinalem aut mere fignificativam verborum inftitutionis recitationem & repetitionem, fed ratione fenfus divini practicam, vere operativam & efficacem. Vide F. C. p. 759. 599. & Gerh. l. c. §. 151. Unde & iidem non folum requirunt, ut qui confecrat, verba inftitutionis prælegat, fed &, ut mentem ad Deum elevet, preces-

que pro ſanctificatione donorum propoſitorum fundat. Egregiè itaque in Eccleſia Roterodamenſi A. C. addicta ante aliquot annos receptum fuit, ut cum, primo quidem vino verbis inſtitutionis conſecrato, inſequens Pſalmo CXI. conſecraretur, inde ab eo tempore, ex quo plurimi Remonſtrantium in Eccleſiam recepti fuerant, poſtmodum repetita conſecratio verbis inſtitutionis perficeretur, etſi nihil impediat, quo minus omne vinum diſtribuendum ſimul menſæ ſacræ imponatur ſimulque etiam conſecretur. Quod reſtat, aliqua Theologorum noſtrorum dicta recenſebimus, quæ de conſecratione Veterum agunt. Ita etenim Henr. Höpfnerus in Iſagoge in S. Cœnam P. I. p. 99. *Sane apud Veteres uti Optatum Milevitanum L. II. contra Parmenianum & Auguſtinum L. III. de Trinitate C. IV. invenitur hæc phraſis, qua Spiritus S. dicitur deſcendere, eoque operante ſacramentum hoc fieri. Inprimis verò in antiquis Liturgiis invocatur Spiritus S. ut deſcendat, & cum pane corpus & cum vino ſanguinem Chriſti uniat. Verum hæc operatio Spiritus S. non pertinet ad excitationem mentium noſtrarum, ut fide ſibi Chriſtum ſiſtant & præſentem habeant, ſicut errat Martinius, ſed ad ipſam efficientiam unionis ſacramentalis, quam Spiritus S. non immediate, ſed per verba Chriſti diſpoſitiva operatur. Videri poteſt hac de re Menzerus in examine iſtius Libri Martiniani.* Jo. Adamus Scherzerus Scholaſticorum recentiornmque Græcorum ſententiam ita refert: *Innocentius III. L. IV. de myſterio Miſſæ C. VI. Durandus Rational. L. IV. C. XLI. Catharinus Opuſculo hac de re edito, Alliacenſis in II. Sent. Quæſt. V. Chriſtum non verbis ſed externis tantum ceremoniis, ta-*

*ctu scilicet manuum & imperio voluntatis consecrasse statuunt. Colonienses etiam in suo Antididagmate insanire dicunt docentes, quod panis & vinum in corpus & sanguinem consecretur per verba institutionis, si non adhibeantur preces & verba Canonis. Simile quid asserunt aliqui Graeci, Marcus Ephesius de verbis Consecrationis, Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiae, quae extat T. XVI. Bibl. Patr. Cap. XXVII. sqq. & Jeremias Patriarcha in censura Aug. Conf. C. X. Syst. p. 382.* Nemo autem luculentius sententiam suam dixit quam Vir Celeb. Jo. Fechtius, Theologus Rostochiensium primarius, aut Petrus Zornius, Vir clariss. qui sub ejusdem praesidio Dissertationem Historico-Theologicam de ἐπικλήσει Veterum ad Spiritum S. in S. Coena A. MDCCV. Rostochii defendit. Ibi enim sub finem haec Corollaria conspiciuntur. II. *De essentia Liturgiae est, repetere verba institutionis, quae non tanquam nuda historia primae Coenae celebratae, sed tanquam preces ad Deum fusae, ut vi promissionis suae corpus & sanguinem suum praesentia sistere velit, respicienda sunt. III. Si sensus verborum institutionis cuidam precationis formulae insereretur, & ita formales quoque preces ex institutionis verbis conciperentur, ut antiquitus forte factum est, validam nihilominus consecrationem esse, dubitandum non esse videtur, si maximè ipsa institutio de verbo ad verbum non praelegeretur. IV. Ob totius tamen Ecclesiae in separatam à precibus verborum institutionis praelectionem consensum forma hodiernae Liturgiae mutanda nunquam est. V. Non est absurdum, cum Graecis precari Christum, ut Spiritum suum S. mittere & per eundem symbola sanctificare velit, ut fiant vehiculum corporis & san-*

 *guinis*

*guinis ſui in euchariſtia diſtribuendi, dummodo reliqua ſuperſtitioſa abſint. VI. Omnium tutiſſimum eſt, prælectioni verborum inſtitutionis ſemper conjungere preces, ipſam in ſe formalem* εὐλογίαν *&* εὐχαριςίαν *exemplo Chriſti continentes.* Hactenus Zornius.

## §. XXII.

Eccleſiæ Anglicanæ preces conſecratorias ſupra in Diſſertatione de Oblatione Euchariſtica §. 42. ex Liturgia Eduardi VI. eaque, quæ impræſentiarum in uſu eſt, itemque Scotico-Laudina, Stephaniana, Grabiana, & quam quidem Anglicanæ Eccleſiæ haud attribuere poſſumus, niſi in quantum ex dictis Liturgiis petita eſt, Whiſtoniana dedimus. Id unum hîc memorandum eſſe exiſtimamus, nos vix comprehendere, quomodo verba iſta: *Dignare Spiritu tuo ſancto benedicere, & ſanctificare hæc dona & creaturas panis & vini, ut ſint nobis corpus & ſanguis chariſſimi Filii tui Jeſu Chriſti*, dici queant, ſi præſentia realis rejiciatur. Nec tam prolixa atque emphatica conſecratione opus quoque eſt, ſi panis & vinum figura corporis & ſanguinis Chriſti tantum eſſe debeant. Inde Eccleſiæ Reformatæ itemque Remonſtrantes cæteræque nullam propriè ſic dictam conſecrationem habent, ſed nuda verborum inſtitutionis recitatione & repetitione ſunt contentæ, etſi Chamierus conſecrationi ſymbolorum * tribuere aliquid

* Ita & Giſb. Voëtius ait, Conſecrationem non eſſe validam, niſi tota adſit actio Euchariſtica. Citatus Chamier in Panſtrat. Cathol. T. IV. L. VI. C. 5. f. 152. ſqq. dicit, ad formam Conſecrat. pertinere verba inſtitut. & preces. Benedictionem per preces fieri aſſerit Heidegger in tumulo Concil. Trid. T. 1. p. 790. ſqq.

aliquid videatur, dum illam verbo & præcepti & promissi suffulcit T. IV. Panstrat. Cathol. L. VI. C. VII. §. 33. f. 156. b.

§. XXIII.

Nunc de Ministro consecrationis quædam adjiciamus. Notus est eruditis locus Tertulliani, de exhortatione castitatis C. VII. probaturi, laicis etiam à secundis nuptiis abstinendum esse. Verba sic habent: *Vani erimus, si putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est:* Regnes quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas & honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo, ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tingis & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Et post pauca: *Igitur, si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tingis, digamus offers. Quanto magis laico digamo capitale est agere pro Sacerdote, quum ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in necessitatem administrandi, quod non licet digamo. Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus?* Tam perspicua sunt hæc * Tertulliani verba,

 ut

*Est & alius Tertulliani locus de Corona militis, ubi dicitur, esse innovationem, quod soli Episcopi Eucharistiam

ut Nicolaus Rigaltius coactus fuerit affirmare, quod Tertullianus in casu necessitatis laicis quoque baptizandi & offerendi concedat potestatem. Observat. XIX. ad libros Tertulliani è Cod. MS. Agobardi emendatos. Contradicentem tamen is expertus est Gabrielem Albaspinæum, Episcopum Aurelianensem, in libro Gallico de Eucharistia A. MDCXXVIII. edito, qui tantam Rigaltio invidiam creavit, ut in Epistola ad Albaspinæum sententiam suam recantaverit. Nec sopita quidem hâc ratione lis fuit, sed Romam ad Pontificem delata cum esset, nonnisi morte Albaspinæi finita est A. MDCXXX. Rigaltii sententiam de Sacerdotio laicorum defendit, & ampliorem reddidit Hugo Grotius Anno MDCXXVIII. scripto libello de Cœnæ administratione

porrigant, hoc enim à Domino omnibus commissum esse. Vide Autorem of the Rights of Christ. Church, qui tractat hoc argumentum de consecratione laicorum P. I. p. 108. conferatur quoque Böhmeri Jus eccl. ant. p. 274. Huc pertinet quoque Irenæi locus L. IV. C. VIII. §. 3. πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. *Omnes enim* justi sacerdotalem habent ordinem. Ita interpres vetus. Græca ex Damasceni Parallelis & Antonio Melissa dedere Halloixius, Grabe, Massuetus. Hinc Grabe in notis: *Irenæum in eâdem ferè cum Tertulliano sententiâ fuisse videri, quòd omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate præditi ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant; licet ordinaria functio non nisi ordinatis ad sacra munia Ministris competat.* Sed contradicit graviter Massuetus in Diss. III. in Iren. Art. VIII. §. 100. 101. f. CLI. CLII. Ex illo denique loco Tertulliani de Corona C. 3. *Eucharistiæ sacramentum non de aliorum manu quam præsidentium sumimus*, secundum testimonia ab Harduino C. I allata videre est, in antiqua Ecclesiâ mire fuisse variatum, Diaconis mox Eucharistiam dantibus, mox dare eam prohibitis.

tione, ubi Pastores non sunt, qui & in linguam Anglicanam conversus fuit. Nec defuere, qui Grotii sententiam suam facerent, maxime Salmasius & Episcopius. Refutare tamen eandem conatus est Dionysius Petavius in diatriba de potestate consecrandi & sacrificandi Sacerdotibus à Deo concessa A. MDCXXXIX. Hîc, quod mirum, Grotii argumentis infeliciter paululum occurrit Petavius, maximè cùm ait, Tertullianum non de oblatione Sacerdotali sed laica disserere, ubi perperam Albaspinæi premit vestigia. Hinc qui sub nomine Walonis Messalini latet, Cl. Salmasius anno insequente Grotium defendit, etsi Dodwellus arbitretur, Grotium hanc sententiam retractasse, sitque è Reformatis Andr. Rivetus, qui eam sibi sumserit refutandam Apol. num. XLV. Idem postea argumentum recoxere Petrus de Marca & Henricus Dodwellus, cujus prostat Dissertatio de jure laicorum Sacerdotali ex sententia Tertulliani aliorumque Veterum contra H. Grotium, Londini A. MDCLXXXV. edita. Nec dissimulandum est, rationes Grotii eruditè examinare Dodwellum, qui tamen & ipse Tertullianum non ab omni errore absolvit, licet existimet, quod librum de exhortatione castitatis scripserit, cùm nondum in hæresin prolapsus esset. A Tertull. sacramentum saltem spirituale & mysticum fuisse intellectum ait Harduinus Emb. I. de potestate consecr. C. II. Cæterum omnino arbitramur, Tertullianum laicis in casu necessitatis potestatem baptizandi & oblationem Eucharisticam conficiendi concedere, licet alibi dicat contrarium; & eam quidem ob rationem, quod in semetipso quivis, licet laicus, jus habeat Sacerdotis, Sacerdotium itidem

 cuivis

cuivis fideli contulerit Deus, denique differentiam inter ordinem & plebem constituerit tantùm Ecclesia, scilicet, ut evitetur confusio & servetur disciplinæ ordo. Nec diffitendum quoque nobis est, potestatem Eucharistiæ consecrandæ & administrandæ in libris novi Canonis Sacerdotio haud alligatam esse, maximè quod Paulus 1. Cor. X. 16. dicat: τὸ ποτήριον, ὃ εὐλογοῦμεν, qui pluralis numerus & laicos videtur comprehendere, si ex sequenti commate hoc arguere liceat. Obstat tamen huic sententiæ, quod, qui Ecclesiis præfecti sunt, maxime vocentur οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ 1. Cor. IV. 1. Patrumque vetustissimi, antiquissimique Ecclesiæ canones contrarium edoceant, ut dicendum adeo nobis sit, *securius* ista Tertullianum pronunciasse. Atque ita de Ministro consecrationis arbitrantur Theologi Augustanæ Confessioni addicti, laicos ab isto munere omnino arcendos. Ita sane Martinus Lutherus Opp. T. VI. Jen. f. 277. (cui nescio, cur contrariam affinxerint sententiam Card. Bellarminus de Sacram. L. I. C. XXIV. & de Euchar. L. IV. C. XVI. f. 80. & 643.) Theologi Lipsienses in Append. Consil. Dedekenni f. 408. Leonhardus Hutterus in Loc. comm. f. 727. a. Jo. Gerhardus in Loc. Theol. de Sacram. §. 29. f. 131. Abrahamus Calovius in Syst. Theol. T. IX, p. 178. ut alios taceamus, eos maximè, qui privatis quorundam ab Ecclesia se separantium & eucharistiam privatim consecrantium atque administrantium conventibus sese opposuere. Nec tamen dissimulari potest, inter Veteres Tilemannum Heshusium & Jo. Gallum fuisse, qui laicis consecrationem eucharistiæ permiserint, refutatos tamen à Feliçe Bidenbachio in

Decade

Decade Confil. Theol. III. p. 396. Unde inter recentiores sunt paucissimi, qui hanc in sententiam descendant, aut isti favere videantur, solusque ferè est Calixtus, qui in Disp. de baptismo §. 57. in affirmativam hic inclinet. Ii vero, qui Romanæ Ecclesiæ addicti sunt, omnino statuunt, laicis*consecrandi offerendique potestatem haud competere. Hinc & ajunt, Protestantes eucharistiæ Sacramentum non habere. Ita Bellarminus L. I. de Sacram. in genere C. XIX. *habere* ait *adversarios verum Baptismum sed non veram eucharistiam, nisi forte admodum paucos, eos videlicet, qui adhibeant verba, & fuerint in Ecclesia ordinati Sacerdotes.* Quæ communis Scholasticorum est sententia. Vide Morin. de Ord. P. 3. Ex. S. C. 1. Eundem in modum Becanus in Manuali L. V. C. VIII. f. 1551. *non licere* affirmat *cum Lutheranis Eucharistiam participare, quia vel ipsi non habeant verum Sacramentum Eucharistiæ ex defectu Sacerdotum consecrantium, vel, si aliquando habeant, profiteantur peculiarem errorem circa idem Sacramentum.* Nec diffiteri possumus, in primitiva Ecclesia prohibitum fuisse laiçis, rem sacram facere. Sic Hieron. adv. Luciferianos: *Diaconus eucharistiam conficere non potest.* Fulbertus Carnot. Ep. 36. ad Guidonem Bituric. ait, *deponendum esse diaconum, qui se Presbyterum simulavit missamque celebrare*



* Cæsarius Heisterbac. L. 5. de mirac. C. 19. narrat de hæretico quodam Hispano, qui jussu Regis fuit combustus: *Quidam Abbas Hispanus Ordinis nostri per nos transiens, qui cum Episcopo & Ecclesiarum Prælatis ejusdem hæretici errores damnavit, eum dixisse referebat, quòd quilibet in mensâ suâ & de pane suo, quo vesceretur, conficere posset Corpus Christi. Erat autem idem maledictus faber ferrarius.*

*lebrare præsumsit.* Hinc Diaconis id interdictum in Concil. Arelat. I. A. CCCXIV. congregato Can. XV. *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre,** *placuit minime fieri debere.* Idem fere habet Canon XVIII. Conc. Nic. I. ubi exstat: *Diaconos non habere potestatem offerendi*: Et: Adde Conc. Ancyr. C. II. Contraria tamen his ex prima antiquitate collegeris. Ignatius ait: *ratam esse eucharistiam, quæ sub Episcopo sit, aut cuicunque ipse permiserit.* Epist. ad Smyrn. §. 8. Justinus Martyr. Apol. I. p. 97. inquit: *Qui apud nos Diaconi vocantur, unicuique præsentium dant, quod accipiat à benedicto pane & vino & aqua, absentibus autem perferunt*, quod & Cyprianus de lapsis affirmat. Constit. Apost. L. VIII. C. XXVIII. *Diaconus neque baptizat, neque offert.* C. XLVI. *Neque enim Diacono fas sacrificium offerre.* Ast C. XIII. dicitur: *Diaconus vero teneat poculum, & tradens dicat: Sanguis Christi, poculum vitæ.* Conc. Laod. Can. XXV. prohibetur Subdiaconus calici benedicere, ex quo sunt, qui concludant, Diaconis id fuisse licitum. Ambrosius de Officiis L. I. C. XLI. ita loquentem refert Laurentium Diaconum, cum Sixtus Papa ad martyrium duceretur: *Quo progrederis sine Filio Pater, quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit Pater? numquid degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem***, *cui consummandorum consortium sacramentorum,*

* Hoc per *porrigere* malè explicat Harduinus in Emb. I. de Potestate consecrandi C. I.

** Ad hunc locum ita Ruinartus in Actis Martyrum sinceris f. 196. *Hic locus in nova editione* à nostris restitutus est

*torum, huic consortium tui Sanguinis negas.* Innocent. III. L. I. Myster. missæ C. V. de *Diaconibus* ait, *offerunt Eucharistiam*, quod & per dispensare explicari potest juxta sequentia. Alia argumenta post Hug. Grotium dedere alii, quos hîc refutare non vacat. Nec sufficit, ut arbitramur, inter Consecrationem & distributionem hîc distinguere, cum hæc responsio omnibus, quæ producuntur, Veterum testimoniis haud queat applicari. Videatur tamen, qui erudite hoc argumentum exsequutus est, Jo. Johnsonius in libro Anglico, quem de sacrificio incruento & altari nuper edidit Sect. IV. C. II. p. 315. sqq.

§. XXIV.

Restat, ut, quæ hactenus de consecratione eucharistiæ dicta sunt, redigamus in compendium, unoque velut obtutu perlustremus. I. Christus precibus peculiarique benedictione sacramentum eucharistiæ instituit & consecravit, exemplumque ejus secuti sunt Apostoli, qui tamen eam, quâ usi fuere benedictionis formulam nobis haud reliquerunt. II. Liturgiæ Græcæ omnes per invocationem Spiritus S. consecrationem perficiunt, quam primum invenire licet in

ex omnibus ferè Codd. MS. & ex editionibus Romanam antecedentibus. Verùm hæc verba *dominici sanguinis dispensationem, cui erogandorum* primi non invexere Romani editores. Etenim reperiuntur in antiquissimo Cod. MS. Fossatensi, qui annos 800. videtur superare, in Actis scilicet S. Sixti. Cæterùm consecrationis & dispensationis verba idem hîc designant Diaconi ministerium, Pontifici celebranti adsistentis & populo sacra distribuentis. Sic Augustinus Serm. 304. ait, *Laurentium Romæ Diaconi officium gessisse, ibique sacrum Christi sanguinem ministrâsse.* Et Patres Hispani in Missali Mozarabum: *cui Sixtus cuncta mysteriorum ministeria transigenda commiserat.*

in Conſtitutionibus Apoſtolicis & Irenæo. III. Patres etſi ſanctificationem ſymbolorum virtuti Spiritus S. adſcribant, in hoc tamen argumento haud omnino conveniunt, & mox verbis inſtitutionis, mox precibus invocationis conſecrationem adſcribunt. IV. In Liturgiis Latinis conſecratio precibus perficitur, in quibusdam quoque, maximè in antiquioribus, invocatio Spiritus S. habetur. V. Græci in Concilio Florentino ſive corrupti ſive metu adacti Romanæ Eccleſiæ conſecrationem & ſe tenere profeſſi ſunt, licet Liturgiam ſuam non reformaverint, conniventibus quoque Latinis. VI. Effectus conſecrationis eſt præſentia realis, quæ nonniſi in uſu ſe exerit, & in unione panis & vini cum corpore & ſanguine Jeſu Chriſti conſiſtit. VII. Miniſtri conſecrationis ſunt Sacerdotes. VIII. Conſecratio eſt duplex, ratione Dei, operatio illa omnipotens, qua unio ſacramentalis perficitur, ratione conſecrantis tùm recitatio verborum inſtitutionis, tùm adjunctæ preces, quibus operatio illa divina expetitur, tùm à Sacerdote faciendæ, qui conſecrationis Miniſter eſt, tùm à tota Eccleſia, quæ preces ſuas cum precibus Sacerdotis jungere debet, ob quam rem & Antiphonarum * uſus in veteri Eccleſia fuit introductus?

LITUR-

* Aſt Antiphonas primùm à Flaviano ſub finem Sec. IV. in Eccl. Antioch. introductas eſſe ait Caveus, quamvis alii ab Ignatio, tertio Antiochiæ Epiſcopo eas derivent. Certe jam tempore Athanaſii Diaconus pſallens Pſalmum incipiebat ad medium uſque verſus; tùm populi Diacono reſpondebant atque extrema verſuum proſequebantur. Vide Athanaſ. Opp. T. I. P. I. f. 108. & Præfat. Montfauc. f. 30. 31. De origine Antiph. agit & Fabricius Bibl. Gr. L. 5. C. 1. p. 41.

# LITURGIA GRÆCA

A

JOANNE ERNESTO GRABIO,

SS. Theolog. Prof.
Et Eccles. Anglic. Presbytero,

AD NORMAM

VETERUM LITURGIARUM

COMPOSITA,

# PRAEFATIO,

*Cum in utraque Dissertatione, tùm quæ de Oblatione, tùm quæ de Consecratione Eucharistiæ agit, Liturgias veteris Ecclesiæ longo agmine dispositas sæpius citaverimus, additis etiam recentioribus, maximè Anglicanis; haud abs re fore credidimus, si Liturgiam à Jo. Ernesto Grabio confectam Græcoque idiomate exaratam appendicis loco hic adjiceremus, dignam sane quæ è tenebris producatur lucique detur. Facimus autem id bona pace Reverendi nobisque amicissimi Viri Georgii Hickesii S. T. P. qui pro ea, qua pollet, humanitate egregium hoc pietatis Grabianæ monumentum ad nos transmisit, cui & prolixas solemnesque eapropter grates hic rependimus. Poteramus & Anglicanam Liturgiam à laudato Grabio confectam addere, maxime cum videamus, eam à Græca paululum discrepare & hâc quoq; luculentiorem esse, utpote cujus partes quædam omnino (uti inspectio docet) deficiunt. Deficit sane ab initio Missa Catechumenorum quam vocant & quæ in Liturgia Angl. quoque exstat, deficiunt & sub finem Collecta & gratiarum actio pro accepta Eucharistia. Sed hoc quidem nunc aliis relinquimus, eam quoque ob rationem, quod Liturgia Grabiana cum Stephaniana, quam & supra nominavimus, egregie conspirat, quippe cui & suam*

*ſuam addidiſſe operam Grabium noſtrum amicus monuit. Sufficiat itaque, Græcam Latina verſione notisque noſtris donatam hic ſiſtere. Quod reſtat, ſcire te velim, Lector Benevole, Grabium noſtrum in Communione Eccleſiæ Anglicanæ mortuum fuiſſe, etſi privatos intra parietes peculiarique forma adhibita ſacramentum Euchariſtiæ acceperit. Scilicet & de Oblatione & de Conſecratione, & de Miniſtro utriusque id ſenſerat, quod credebat ſententiæ veteris Eccleſiæ propius accedere, à qua ne latum quidem unguem putabat recedendum eſſe. Id quod eapropter ponimus, ut certiorem te faciamus, Lector Benevole, laudatum Grabium ſub vitæ finem ad Romanam fidem haud deſciviſſe, falſamque adeo fuiſſe famam, quæ à quibusdam hanc in rem ſparſa fuit. Nec tamen id diſſimulamus, ipſum, antequam ad Anglos abiret, ad Eccleſiam Romanam tranſire omnino voluiſſe, & quidem hanc præcipue ob rationem, quod crediderit, ſucceſſionem Epiſcopatus Miniſteriique Apoſtolici in ea ſola inveniri. Sed cum rationes ejus ſolidis argumentis refutâſſet Theologus celeberrimus, Philippus Jacobus Spenerus, peculiari libro in hunc finem conſcripto, ita convictum ſe Grabius noſter ſenſit, ut ſententiam mutaret protinus & ſuadente ita Spenero in Angliam ſe conferret, ubi & quam quæſivit, Epiſcopatus invenit ſucceſſionem, à Romanis partibus ita ſemper alienus, ut & viva voce (quod noſtro quoq; teſtimonio confirmare poſſumus) & ſcripto id ſatis declaraverit.*

***Sed ad rem nunc progrediamur.***

LI-

# LITURGIA GRÆCA (a)

# JO. ERNESTI GRABII.

(b) Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου, γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. (c) Ἀμήν.

PAter noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua uti in cœlo, ita & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, quemadmodum & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

(d) Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum & ex Patre natum ante omnia secula: Deum

τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὸν δι' ἡμᾶς ἀνθρώπους καὶ δι' ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα διὰ Πνεύματος ἁγίου ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ Κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς (e) ἐκπορευόμε-

de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas & aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Patris, & iterum venturus eſt in gloria ad judicandos vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & glorificatur, qui locutus eſt per prophetas. Et credo unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.

Expe-

νον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν Προφητῶν. Καὶ πιστεύω μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ Ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν. Ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

(f) Κύριε, ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἅγιος, ὁ δεχόμενος θυσίαν αἰνέσεως παρὰ τῶν ἐπικαλουμένων σε ἐν ὅλῃ καρδίᾳ, πρόσδεξαι καὶ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν τὴν δέησιν, καὶ προσάγαγε τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ ἱκάνωσον ἡμᾶς προσενεγκεῖν σοι δῶρα τε καὶ θυσίας πνευματικὰς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς εὑρεῖν χάριν

Expecto reſurrectionem mortuorum & vitam futuri ſeculi. Amen.

DomineDeus omnipotens, qui ſolus ſanctus es, & ſacrificium laudis accipis ab iis, qui te toto pectore invocant, accipe &, quam nos peccatores ad te fundimus precationem, eamque perfer in ſanctum altare tuum, & idoneos nos redde ad offerenda tibi dona & ſacrificia ſpiritualia pro noſtris peccatis & populi erratis, & fac nos dignos ad inveniendam gratiam coram te, ut ſacrificium noſtrum acceptum tibi fiat, & bonus gratiæ tuæ Spiritus habitet ſuper nos & obla-

ἐνώπιόν σου, τοῦ γενέσθαι σοι εὐπρόσδεκτον τὴν θυσίαν ἡμῶν, καὶ ἐπισκηνῶσαι τὸ πνεῦμα τῆς χάριτός σου τὸ ἀγαθὸν ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰς προσφορὰς ἡμῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Ἀμήν.

(g) Ἄνω ἔχετε τὰς καρδίας ὑμῶν.

Ἀπόκρ.

Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον.

Εὐχαριστήσωμεν Θεῷ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.

Ἀπόκρ.

Ἄξιόν ἐστι καὶ δίκαιον οὕτω ποιεῖν.

(h) Πάνυ ἄξιόν ἐστι καὶ δίκαιον καὶ παντελῶς τὸ δέον, ἵνα πάντοτε καὶ πανταχοῦ εὐχαριστήσωμέν σοι Κύριε, ἅγιε Πάτερ, παντοκράτορ, αἰώνιε Θεός. (i) Σὺ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς προσήγαγες, καὶ παραπεσόντας ἀνέστησας πάλιν, καὶ

lationes nostras per Jesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

Sursum corda.

Resp.

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Deo, Domino nostro.

Resp.

Dignum & justum est, ita facere.

Vere dignum & justum est & omnino æquum, ut semper & ubique gratias tibi agamus Domine, Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus. Nam tu de non ente ad esse nos produxisti, & lapsos erexisti rursus, & non destitisti omnia faciens, donec in cœlum nos reduxisti, & re-

καὶ οὐκ ἀπέςης πάντα ποιῶν, ἕως ἡμᾶς εἰς τὸν ὀυρανὸν ἀνήγαγες καὶ τὴν βασιλείαν σου ἐχαρίσω τὴν μέλλουσαν. Διόπερ μετ' Ἀγγέλων καὶ Ἀρχαγγέλων καὶ πάσης τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων πανηγύρεως ἐνδοξότατον ὄνομά σου ἀνυμνοῦμεν καὶ μεγαλύνομεν, ἀδιαλείπτως αἰνοῦντές σε καὶ λέγοντες (k) ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος ὁ Θεὸς Σαβαὼθ, πλήρεις οἱ οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῆς δόξης σου. Δόξα σοι, Κύριε, ἐν ὑψίςοις. Ἀμήν.

& regnum tuum futurum donasti. Propterea cum Angelis & Archangelis & omni cœlestium virtutum congregatione gloriosissimum nomen tuum laudamus & magnificamus, sine intermissione laudantes te & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tuâ. Gloria tibi, Domine, in excelsis, Amen.

(l) Παντοκράτορ καὶ ἀείζωε Θεὸς, ὁ δι' ἁγίου τοῦ Ἀποςόλου σου διδάξας ἡμᾶς δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις τε καὶ εὐχαριςίας ὑπὲρ πάντων τῶν ἀνθρώπων ποιῆσαι, ταπεινοφρόνως ἀντιβολοῦμέν σε, ταύτας τὰς προσφορὰς ἡμῶν καὶ εὐχὰς, ἃς

Omnipotens & semper vivens Deus, qui per sanctum Apostolum tuum nos docuisti, ut preces, orationes, supplicationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus faciamus, humiliter te precamur, ut has oblationes nostras & preces, quas divinæ majestati tuæ offerimus, propitio vultu acci-

τῇ θείᾳ μεγαλειότητί σου προσφερόμενον ἐλεημονέστατα ἀποδέχεσθαι· ἱκετεύοντές σε, τῷ πνεύματι τῆς ἀληθείας, ἑνότητός τε καὶ ὁμονοίας Ἐκκλησίαν τὴν καθολικὴν ἀδιαλείπτως ἐπιπνεῦσαι, καὶ δωρῆσαι, ἵνα πάντες οἱ τὸ ἅγιον ὄνομά σου ὁμολογοῦντες ἐν τῇ τοῦ ἱεροῦ λόγου σου ἀληθείᾳ συμφωνεῖν καὶ ἐν τῇ ὁμονοίᾳ καὶ εὐσεβεῖ ἀγάπῃ συγκαταβιοῦν δυνηθῶσι. Ἔτι δὲ δεόμεθά σου, Κύριε, σῶσον καὶ σκέπασον ἅπαντας τοὺς Χριστιανοὺς Βασιλεῖς, Ἄρχοντας καὶ Κυβερνήτας, μάλιστα Βασιλέα ἡμῶν τὸν δοῦλόν σου, ἵνα ὑπ' αὐτοῦ ἔρημον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, καὶ χάρισαι τοῖς αὐτοῦ συμβούλοις καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτῷ ἐν ἐξουσίᾳ οὖσιν ἀπροσωπολήπτως τε καὶ νομίμως δίκην δικάσαι πρός τε

cipias, orantes te, ut ſpiritu veritatis, unitatis & concordiæ Eccleſiam Catholicam ſine intermiſſione affles, & largiaris, ut omnes, qui ſanctum nomen tuum confitentur, in veritate ſancti verbi tui conſentiant, & in concordia atque pia charitate ſecum invicem vivere poſſint. Rogamus quoque te, Domine, ſalva & protege omnes Chriſtianos Reges, Principes & Gubernatores, maximè Regem noſtrum, ſervum tuum, ut ſub ipſo quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honeſtate, & largire Conſiliariis ipſius & omnibus, qui ſub ipſo in poteſtate ſunt, ut ſine reſpectu perſonæ ſecundum legem jus adminiſtrent in punitionem malitiæ & peccati, verique cultus tui & virtutis tutelam. Aſſiſte gratia tua, cœleſtis Pater, omnibus Epiſcopis & Presbyris, ut & vita & doctrina ipſorum verum & vivum verbum

τὴν τῆς πονηρίας καὶ κακίας τιμωρίαν καὶ τῆς ἀληθοῦς θρησκείας σου καὶ ἀρετῆς προστασίαν. Παράσχου χάριν, Πάτερ οὐράνιε, πᾶσι τοῖς Ἐπισκόποις καὶ Πρεσβυτέροις, ὥστε τῷ τε βίῳ καὶ διδασκαλίᾳ αὐτῶν τὸν ἀληθινὸν καὶ ζῶντα λόγον σου ἀναγγέλλειν, ἔτι δὲ καὶ ὀρθῶς καὶ πρεπηκόντως ἱερὰ τὰ μυστήριά σου τελεῖν. Καὶ ὁλοκλήρῳ τῷ λαῷ σου δώρησαι τὴν ἐπουράνιόν σου χάριν, ὥστε πρᾳεῖ τῇ διανοίᾳ καὶ πρεπούσῃ τῇ εὐλαβείᾳ τὰ ἅγια ῥήματά σου ἐνωτίσασθαί τε καὶ προσδέξασθαι, καὶ ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ σοι λατρεύειν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῶν. Καὶ ταπεινοφρονέστατα δεόμεθά σου, Κύριε, διὰ τὴν χρηστότητά σου, παραμυθεῖσθαι, ἀντιλαβέσθαι καὶ βοηθεῖν πᾶσι τοῖς ἐν τῇ νῦν βίῳ συμφορᾷ ἢ ἀλγηδόνι, ἐνδείᾳ, νόσῳ ἢ

verbum tuum annuncient, atque etiam recte & decenter sancta mysteria tua perficiant. Quinimò omni populo tuo da cœlestem gratiam tuam, ut placido animo & decente pietate sancta verba tua audiat & suscipiat, & in sanctitate atque justitia tibi serviat per omnes dies vitæ suæ. Humiliter quoque te oramus, Domine, propter bonitatem tuam, ut consoleris, succurras & juves omnes eos, qui in hac vita calamitate, vel dolore, inopia, morbo, vel alia, qualiscunque ea demum sit, vexatione affliguntur. Denique supplices oramus te, Domine, Pater miserationum, ut memor sis servorum tuorum in fide & timore tuo mortuorum, ipsisque des misericordiam, lucem & pacem, ut in tremenda die judicii accipiant partem in salute æterna. Laudamus verò, Domine, sanctum nomen tuum pro sancta & benedicta

ἄλλῃ ἡτινιοῦν κακοπαθείᾳ ταλαιπωρουμένοις. Λοιπὸν ἱκετεύομέν σε, Κύριε, Πάτερ οἰκτιρμῶν, μνησθῆναι τῶν δούλων σου τὸν βίον τετελευτηκότων, καὶ δοῦναι αὐτοῖς ἔλεον, φῶς καὶ εἰρήνην, ὥστε ἐν τῇ φοβερᾷ ἡμέρᾳ κρίσεως λάβωσι μέρος ἐν σωτηρίᾳ αἰωνίῳ. Εὐλογουμένου δὲ, Κύριε, τὸ ἅγιον ὄνομά σου ὑπὲρ ἁγίας καὶ εὐλογημένης Παρθένου Μαρίας μητρὸς τοῦ υἱοῦ σου Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἁγίων Πατριαρχῶν, Προφητῶν, Ἀποστόλων, Εὐαγγελιστῶν, Μαρτύρων, Ὁμολογητῶν, ἐγκρατευτῶν καὶ παντὸς πνεύματος ἐν πίστει τετελειωμένου, δεόμενοί σου, δοῦναι ἡμῖν κοινωνίαν αὐτῶν καὶ χάριν, τοῖς καλοῖς αὐτῶν παραδείγμασι οὕτω παρακολουθεῖν, ὥστε τῆς οὐρανίου βασιλείας σου συμμετόχους αὐτοῖς γενήσεσθαι. Ταῦτα πάντα χά-

dicta Virgine Maria, Matre Filii tui Jesu Christi & Sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, iisque, qui in continua castitate & continentia per totam vitam suam vixerunt, quin & omni Spiritu in fide perfecto, rogantes te, ut communionem ipsorum gratiamque nobis largiaris, ut egregia ipsorum exempla ita sequamur, ut cœlestis regni tui participes cum ipsis reddamur. Hæc omnia largire, Pater, propter Jesum Christum, solum Mediatorem & Salvatorem nostrum. Amen.

ελεῖσθαι, Πάτερ, ἕνεκα τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου Μεσίτου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν. Ἀμήν.

(m) Παντοκράτορ Θεὸς, Πάτερ ἡμῶν οὐράνιε, ὁ ἐκ σπλάγχνων τῶν οἰκτιρμῶν σου ἔδωκας υἱόν σου τὸν μονογενῆ καὶ ἀγαπητότατον ὑπὲρ τῆς ἡμῶν ἀπολυτρώσεως ἐπὶ τῷ σταυρῷ τὸν θάνατον ὑπομένειν, ὅς (τῇ μιᾷ ἑαυτοῦ ἅπαξ προσενεχθέντος προσφορᾷ) τὴν ὁλόκληρον, τελείαν καὶ αὐταρκῆ θυσίαν, προσφορὰν καὶ ἱκανοδοσίαν ὑπὲρ τῶν παντὸς τοῦ κόσμου ἁμαρτιῶν ἐκεῖ ἐποιήσατο, καὶ ἐν τῷ ἁγίῳ Εὐαγγελίῳ αὐτοῦ παρήγγειλεν ἡμῖν, τὴν ἀΐδιον μνήμην τοῦ πολυτίμου ἐκείνου θανάτου καὶ θυσίας ποιεῖν, μέχρι τοῦ ἐπανέρχεσθαι αὐτόν. Εἰσάκουσον ἡμῶν, ταπεινοφρονέστατα ἀντιβολούμενοί σε, ἐλεημονέστατε Πάτερ, (n) καὶ κα-

Omnipotens DEUS, Pater noster cœlestis, qui ex intima commiseratione tua dedisti Filium tuum unigenitum & dilectissimum pro redemtione nostra, ut in cruce mortem sufferret, qui (unica sui ipsius semel oblati oblatione) totam, perfectam & sufficientem victimam, oblationem & idoneum pretium pro peccatis totius mundi ibidem solvit, & in sancto Evangelio suo nobis præcepit, ut sempiternam memoriam pretiosissimæ illius mortis & sacrificii faciamus, donec ipse redeat. Audi nos, humillime precamur te, misericors Pater, & mitte Spiritum tuum Sanctum super nos & super proposita hæc dona, & fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui, id verò quod est in hoc pocu-

κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου.

poculo, pretiosum sanguinem Christi tui.

(o) Ὃς ἐν τῇ νυκτὶ, ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ λέγων· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὡσαύτως καὶ μετὰ τὸ δειπνῆσαι τὸ ποτήριον ἔλαβε, καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων. Πίνετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ ἡμῶν καὶ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Qui in nocte, qua tradebatur, sumsit panem & gratias agens fregit & de- gratias agens fregit & dedit Discipulis suis, dicens: sumite, edite, *Hoc est corpus meum*, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei memoriam. Similiter & post cœnam poculum sumsit & gratias agens dedit, illis dicens: Bibite ex eo omnes, nam *Hic est sanguis meus*, sanguis Novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei memoriam.

Memores

(p) Μεμνημένοι οὖν, Κύριε, Πάτερ οὐράνιε, ἡμεῖς οἱ ταπεινοὶ δοῦλοί σου κατὰ ταύτην τοῦ υἱοῦ σου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διαταγὴν, τῶν σωτηρίων αὐτοῦ παθημάτων, ἐνδόξου ἀναστάσεώς τε καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀνα λήψεως, βάσεως, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν, εὐλογοῦντές σοι ὑπὲρ πασῶν, πολλῶν καὶ μεγίστων εὐεργεσιῶν, τῶν διὰ Χριστοῦ σου εἰς ἡμᾶς γεγενημένων. (q) Ἔτι παρακαλοῦμεν καὶ ἐκτενῶς δεόμεθα τῆς πατρῴας ἀγαθότητός σου, ταύτην τὴν τῆς αἰνέσεως καὶ εὐχαριστίας θυσίαν ἡμῶν εὐμενῶς ἀποδέξασθαι καὶ χαρίσασθαι ἡμῖν, ἵνα τῇ ἀξίᾳ τε καὶ θανάτῳ τοῦ υἱοῦ σου Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, ἡμεῖς τε καὶ πᾶσα ἡ Ἐκκλησία σου τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτημάτων ἡμῶν καὶ πασῶν τῶν ἄλλων τοῦ πάθους αὐτοῦ εὐεργεσιῶν τύχωμεν. (r)

Memores itaque, Domine, Pater cœlestis, nos humiles servi tui, juxta hanc Filii tui & Salvatoris nostris Jesu Christi ordinationem beatæ passionis ipsius, gloriosæ resurrectionis & ascensionis in cœlum, tua ex tuis tibi offerimus, benedicimusq; tibi pro omnibus, multis & maximis beneficiis per Christum tuum in nos collatis. Porro invocamus & vehementer precamur paternam bonitatem tuam, ut hoc nostrum laudis & gratiarum actionis sacrificium benevolè accipias, nobisque largiaris, ut merito & morte Filii tui Jesu Christi & fide in sanguinem ipsius & nos & tota Ecclesia tua remissionem omnium peccatorum nostrorum & omnia alia, quæ ex passione ipsius proficiscuntur, beneficia nanciscamur. Et nunc, Domine, offerimus quoque & sistimus tibi nosmet ipsos, animasq; & corpora nostra

Καὶ τὸ νῦν, Κύριε, προσφέρομέν τε καὶ παριστάνομέν σοι ἡμᾶς αὐτοὺς, ψυχάς τε καὶ σώματα ἡμῶν, ὥστε γενέσθαι σοι θυσίαν λογικὴν, ἁγίαν καὶ ζῶσαν, ταπεινῶς ἱκετεύοντές σε, ἵνα ἡμεῖς τῶν εὐχαριστηθέντων τούτων συμμέτοχοι ὄντες, τῆς χάριτός σου καὶ οὐρανίου εὐλογίας πληρώμεθα, (s) ὥστε τὰ ἅγια μυστήρια ταῦτα γενέσθαι ἡμῖν εἰς κοινωνίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς βασιλείας οὐρανῶν πλήρωμα, εἰς παῤῥησίαν τὴν πρὸς σὲ ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, μὴ εἰς κρίμα ἢ εἰς κατάκριμα. Εἰ δὲ καὶ διὰ πολλαπλάσια ἁμαρτήματα ἡμῶν θυσίαν ἡντιναοῦν σοι προσφέρειν ἀνάξιοι ὄντες τυγχάνομεν· ἀλλ' οὖν αἰτιβολοῦμέν γέ σε τὴν προσήκουσαν ταύτην τὴν λειτουργίαν ἡμῶν καὶ λατρείαν προσδέξασθαι, οὐ τὴν ἀξίαν ἡμῶν σκεψά-

nostra, ut sint tibi sacrificium rationale, sanctum & vivum, humiliter precantes te, ut nos, qui eorum, super quæ gratiæ actæ sunt, participes evadimus, gratia tua & cœlesti benedictione repleamur, ut hæc sancta mysteria cedant nobis in communionem Sancti Spiritus in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam erga te in die judicii, non in judicium aut condemnationem. Etsi quoque propter multiplicia peccata nostra ad sacrificium quodcunque tibi offerendum indigni simus, rogamus tamen te, ut hunc, ad quem obstricti sumus, cultum accipias, nec respicias ad merita nostra, sed remittas peccata per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem & cum quo in unitate Spiritus S. omnis honor & gloria tibi sit, Pater omnipotens, in secula seculorum. Amen.

Pater

ριον, ἀλλ᾽ ἀφέντα τὰς ἁμαρτίας διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν· δι᾽ οὗ καὶ μεθ᾽ οὗ ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίου πᾶσα τιμὴ καὶ δόξα ἔστω σοι, Πάτερ παντοδύναμε, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

(t) Πάτερ ἡμῶν κτλ.

(u) Οὐ θαῤῥοῦμεν ἐλθεῖν ἐπὶ ταύτην τὴν τράπεζάν σου, ἐλεήμον Κύριε, τῇ ἡμετέρᾳ δικαιοσύνῃ, ἀλλὰ τῷ μεγέθει καὶ πλήθει τῶν οἰκτιρμῶν σου πεποιθότες· ἡμεῖς μὲν οὐκ ἄξιοί ἐσμεν οὐδὲ τὰ ψιχία ἀπὸ τῆς τραπέζης σου πίπτοντα συλλέγειν. Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς Κύριος, οὗ ἴδιόν ἐστι τὸ ἐλεῆσαι· χάρισαι οὖν ἡμῖν εὐμενέστατε Κύριε, οὕτω τὴν τοῦ ἀγαπητοῦ υἱοῦ σου Ἰησοῦ Χριστοῦ σάρκα ἐσθίειν καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ πίνειν, ὥστε τὰ ἁμαρτωλὰ ἡμῶν σώματα διὰ σώματος αὐτοῦ κεκαθαρίσθαι καὶ τὰς

Pater noster, &c.

Non audemus venire ad hanc mensam tuam, misericors Domine, nostræ justitiæ, sed magnitudini & multitudini misericordiæ tuæ confisi. Nam non sumus digni, qui saltem micas de mensa tua cadentes colligamus. Tu etenim es ille ipse Dominus, cujus proprium est misereri. Largire igitur nobis, benignissime Domine, ut ita carnem dilecti Filii tui Jesu Christi edamus & sanguinem ipsius bibamus, ut vitiosa corpora nostra per corpus ipsius purificentur, & animæ nostræ per pretiosissimum sanguinem ipsius abluantur, ut nos in ipso semper habite-

ψυχὰς ἡμῶν διὰ τοῦ τιμιωτάτου αἵματος αὐτοῦ λελοῦσθαι, ὅπως ἡμεῖς ἐν αὐτῷ διαπαντὸς οἰκῶμεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν. Ἀμήν.

(X) Σῶμα Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὸ ὑπέρ μου (σοῦ) διδόμενον, διαφυλάξαι τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμά μου (σοῦ) εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Αἷμα Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὸ ὑπέρ μου (σοῦ) ἐκχυνόμενον, διαφυλάξαι τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμά μου (σοῦ) εἰς ζωὴν αἰώνιον.

(Z) Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Σὲ αἰνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σὲ προσκυνοῦμεν, σὲ δοξάζομεν, σοὶ εὐχαριστοῦμεν, ὑπὲρ μεγάλης τῆς δόξης σου, Κύριε Θεὸς, οὐράνιε Βασιλεῦ, Θεὸς ὁ Πατὴρ, ὁ παντοκράτωρ.

Κύριε υἱὲ μονογενὲς, Ἰησοῦ Χριστὲ, Κύριε Θεὸς,

bitemus & ille in nobis. Amen.

Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti pro me (te) datum, cuſtodiat animam & corpus meum (tuum) in vitam æternam.

Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti pro me (te) effuſum, cuſtodiat animam & corpus meum (tuum) in vitam æternam.

Gloria in excelſis Deo & in terra pax, in hominibus beneplacitum. Te laudamus, tibi benedicimus, te adoramus, te glorificamus, tibi gratias agimus, propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœleſtis, Deus, Pater omnipotens.

Domine, Fili unigenite, Jeſu Chriſte, Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccatum mundi, miſe-
rere

ϛ ξένος τ̃ Θεῦ, ὁ ὑιὸς τ̃ Πατρὸς, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τ̃ κόσμου, ἐλέησον ἡμᾶς, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τ̃ κόσμου, πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν. Ὁ ἐν δεξιᾷ Θεῦ τ̃ Πατρὸς καθήμενος, ἐλέησον ἡμᾶς. Σὺ γὰρ μόνος ἅγιος, σὺ μόνος Κύριος, σὺ μόνος, ὦ Χριστὲ, μετὰ Πνεύματος ἁγίου ἐν δόξῃ τ̃ Πατρὸς ὕψιστος εἶς. Ἀμήν.

rere noſtri, qui tollis peccatum mundi, accipe deprecationem noſtram, qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere noſtri. Tu enim ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus, ô Chriſte, cum Spiritu Sancto in gloria Patris altiſſimus es. Amen.

# NOTÆ
# IN
# LITURGIAM GRABIANAM.

(a)

COmpoſita eſt hæc Liturgia ex Liturgiis Græcis, Miſſa Latina & Liturgia Anglicana. Quæ autem ex poſterioribus in Linguam Græcam translata ſunt, non ubique linguæ Græcæ indolem geniumque ſapiunt. Grammaticos etiam errores in Liturgia Grabiana obſervavit Renaudotius. Iſtis tamen annotandis multam hîc operam non dabimus, qui alia omnia nunc agimus.

(b)

(*b*) Et ante & post consecrationem Oratio Dominica in hac Liturgia ponitur, quod in aliis Liturgiis antiquioribus non observamus. Num Orationis Dominicæ recitatione olim consecratum fuerit, supra in Dissertatione de Consecratione Eucharistiæ satis luculenterque disquisitum fuit. Cæterum id extra omne dubium positum esse arbitramur, Veteres in administratione Eucharistiæ Orationem Dominicam olim semper dixisse. Unde mirum oppido eam in Constitutionibus Apostolicis eo loco, quo preces ritusque Eucharistici traduntur, non exstare. Scilicet amplissima SS. Patrum hanc in rem testimonia adduxit Card. Bona Rer. Liturg. L. II. C. XV. §. 1. qui & §. 2. erudite observat, solis initiatis licitum fuisse olim, Orationem Dominicam recitare. Hinc Oratio Dominica dicta veteribus εὐχὴ πιστῶν, vide Suiceri Thes. voce πιστὸς n. 11. & Obs. S. C. VI. p. 160. Sc. panem ἐπιούσιον ii de Christo explicabant, indeque deducebant communionem quotidianam. Illam autem ex Veteribus egregie explicarunt Tertullianus in Tractatu de Oratione & Cyprianus de Oratione Dominica, etsi allegoriis nimium favere aliquando videantur. Sequiorum seculorum Patres, qui in eandem commentati sunt, allegat laudatus Bona de divina Psalmodia C. XVI. §. 1. n. 3. Observat & idem n. 4. non sine ratione Orationem Dominicam tribus modis in Officio divino recitari solere, in principio, in medio & in fine, idque submissa omnino & secreta voce, vel alta prorsus & clara, vel partim tacita, partim elata, cujus rei & rationes addit, quæ tamen, ut verum fateamur, rem non conficiunt.

(*c*) Doxologiam, quæ Orationi Dominicæ vulgò subjun-

ſubjungitur, omiſit hic Grabius, non quod in antiquis Liturgiis haud inveniatur, in quibus omnino exſtat, licet diverſimode elata, mox brevius, mox prolixius, ſed quod ex his in textum Evangeliſtarum videatur eſſe recepta. Eſt tamen ea antiquiſſima, primisque debetur ſeculis, cùm in Conſtit. Apoſt. L. III. C. XVIII. & L. VII. C. XXIV. exſtet.

(*d*) Exhibetur hîc Symbolum Nicænum, prout in Concilio Oecumenico II. Conſtantinopoli congregato auctum fuit. Dicitur autem id, cum Miſſa fidelium incipit, exactis Catechumenis. Quis autem primùm Symbolum Liturgiæ inſeruerit, eruditè disquirit Card. Bona Rer. Liturg. L. II. C. VIII. §. 2. & Pagi in Critica Hiſtor. Chronol. in Annales C. Baronii T. I. ad A. 325. n. 17. 18.

(*e*) Verba καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ eapropter non addidit Grabius, quod ſeculis demum ſequioribus à Latinis addita fuere, contra Synodi Epheſinæ deciſum, quæ prohibuerat, Symbolo Nicæno quicquam ulterius adjicere. Id quod non eapropter dicimus, ut ſtatuamus, Spiritum S. juxta Scripturam à Filio non procedere. Is enim Græcorum error eſt, dudum ab orthodoxis refutatus.

(*f*) Hæc Oratio petita eſt ex Liturgia Chryſoſtomiana, ubi exſtat ſub titulo: Oratio oblationis, *quam facta donorum divinorum propoſitione in menſa ſacra, tacitè ſacerdos dicit.* Vide editionem Morelianam Pariſiis A. MDLX. editam f. 93.

(*g*) Hæc præfatio in antiquiſſimis Liturgiis quibuscunque invenitur. Exſtat ſane jam in Conſtitut. Apoſtol. L. VIII. C. XII. ubi: *Et Sacerdos* (*dicat*) *ſurſum mentem: & omnes! habemus ad Dominum: & Sa-*

*& Sacerdos: gratias agamus Domino: & omnes: dignum ac justum: & Sacerdos dicat: quam æquum ac justum, ut vere pro omnibus celebremus te, qui verus es Deus?* &c. Cyprianus de Oratione Dominica ita: *Quando stamus ad Orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat; nec quidquam tunc animus quam id solùm cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante Orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo:* sursum corda, *ut, dum respondet plebs,* habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Addi potest Cyrillus Hieros. Catech. V. Mystag. ubi eadem fere reperiuntur. Sequiorum seculorum Patres allegare non attinet, cùm in re tam clara atque indubia prolixioribus nobis esse haud liceat. Liturgia Jacobi ita habet: *Sacerdos: Sursum habeamus mentem ac corda: Populus: dignum ac justum. Deinceps precatur Sacerdos: quam vere dignum est ac justum, congruum ac debitum te laudare, te decantare, tibi benedicere, te adorare, te glorificare, tibi gratias reddere?* &c. Liturgia Basilii: *Sacerdos: Sursum habeamus corda! Chorus: Habemus ad Dominum. Sacerdos: Gratias agamus Domino! Chorus: Dignum est ac justum, adorare Patrem, Filium & Spiritum S. Trinitatem consubstantialem atque indivisam,* &c. Eadem ferè habet Liturgia Chrysostomi.

(*h*) Hæc ex Liturgia Anglicana omnino petita sunt. Similia habet Missa Latina: *Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens*

*potens, æterne Deus, per Christum, Dominum nostrum, per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Domininationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque Virtutes ac beata Seraphim sociâ exultatione concelebrant, cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth, pleni sunt cœli, & terra gloria tua. Hosanna in excelsis. „

(*i*) Hæc verba inde à σὺ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος usque ad ἐχαρίσω τὴν μέλλουσαν ex Liturgia Chrysostomi petita sunt. Vide editionem Morelianam f. 95.

(*k*) Ita in Constit. Apost. L. VIII. C. XII. *Et omnis populus simul dicat: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: plenum est cœlum & terra ejus gloriâ benedictus sit in secula: Amen.* Conf. Jes. VI. 3. & Apoc. IV. 8. De hymno hoc ἐπινικίῳ seu Seraphico conferri meretur Card. Bona Rer. Liturg. L. II. C. X. §. 4. 5. ubi & disquirit, à quonam Missæ is fuerit additus. Sed antiquissimum esse vel ex solis Constitutionibus Apostolicis apparet, quas allegavimus. Exstat in omnibus ferè Liturgiis, ea cum ἐμφάσει, ut sacrum quendam horrorem tremoremque incutiat audientibus. Liturgia Jacobi ita de Cherubim: *Clamavit unus ad alterum, ore nunquam quiescente ac ineffabilibus laudum celebrationibus epinicium hymnum magnificæ gloriæ tuæ sonora voce cantantem, clamantem, prædicantem, vociferantem ac dicentem: Sanctus, sanctus, sanctus es Domine Sabaoth: plena sunt cœlum ac terra gloria tua, hosianna in altissimis: benedictus qui venit in nomine*

*Domini , hoſanna in excelſis.* Quæ & eadem fere in Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi repetuntur.

(*l*) Preces hæ ex Liturgia Anglicana petitæ & in ſermonem Græcum à Grabio translatæ ſunt.

(*m*) Hæc Oratio conſecratoria ex Liturgia Anglicana itidem petita eſt.

(*n*) Hæc Liturgiis Græcis debentur. Liturgia Jacobi : *Ipſum Spiritum Tuum, ſanctiſſimum illum demitte o Domine! in nos ac dona hæcce propoſita, ut superveniens ſancta, bona atque eximia præſentia ſua, ſanctificet ea & faciat panem quidem hunc ſanctum corpus Chriſti Tui & poculum hoc pretioſum Chriſti Tui ſanguinem.* Idem fere habetur in Conſtitut. Apoſtol. & antiquis Miſſis Latinis nec non in Liturgia Baſilii, maxime verò in Liturgia Chryſoſtomi. Notandum autem, iſta in Liturgiis Anglicanis tam clare ac perſpicue haud poſita eſſe, quippe quæ ad Miſſam Latinam magis compoſitæ ſunt, in qua, uti notum eſt ἐπίκλησις πνεύματος ἁγίου non habetur.

(*o*) Sunt verba inſtitutionis, ex Evangeliſtis & Paulo deſumta. Notandum hic, egregiè hoc fieri, quod in precibus conſecrationis verba inſtitutionis cum precibus per pronomen ὃς combinentur. Id quod factum eſt ad normam Liturgiarum antiquarum Græcarum, maxime Miſſæ Latinæ.

(*p*) Hæc ex antiquioribus Liturgiis maxime Græcis deſumta ſunt, imo & Miſſa Latina, ex qua in Anglicanas poſtmodum delata fuere. Id tamen obſervandum, in hac Liturgia Grabiana ordinem precum paululum interrumpi, ſi Græcas cum eadem conferas. Ita enim in Liturgia Chryſoſtomi: *Memores itaque*

*itaque salutaris præcepti hujus ac omnium pro nobis gestorum, crucis, sepulchri, resurrectionis die tertio factæ, ascensionis in cœlos, sessionis ad dextram, secundi ejusque magnifici adventus futuri, tua ex tuis tibi offerimus juxta omnia ac propter omnia, te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus, Domine! teque rogamus Deus noster! Porro offerimus tibi rationalem hunc atque incruentum cultum, teque rogamus, obsecramus atque imploramus, demitte, quæsumus, sanctum tuum Spiritum in nos ac proposita hæc dona.* Et post quædam interjecta Diaconus ad Sacerdotem *dicit secretè*: *Benedic Domine sancto huic pani:* quo facto Sacerdos orat: *Fac huncce panem pretiosum corpus Christi &c.* Hîc μεμνημένοι primum ponitur, sequitur oblatio, claudit ἐπίκλησις, quæ tamen in Liturgia Grabiana ipsa institutionis verba præcedit. Idem ferè qui in Chrysostominiana Liturgia exstat, ordo observatur in Constitut. Apost. L. VIII. C. XII. nisi quod τὸ μεμνημένοι bis, primum ante, secundo post verba institutionis conspiciatur, & τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν haud memorentur. Juvat hic Missæ Latinæ & quidem ipsius Missæ Canonis, quem vocant, verba adducere, ea nempe, quæ verba institutionis insequuntur: *Unde & memores, Domine, nos tui servi, sed & plebs tua sancta, Christi Filii tui, Domini Dei nostri, tam beatæ passionis nec non & ab inferis resurrectionis sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ.*

(*q*) Hæc omnia ex Liturgia Anglicana petita ſunt.

(*r*) Hæc ex Gregor. Naz. Apologet. I. quem in notis ad Iren. p. 117. allegavimus, tranſſumta eſſe videntur.

(*s*) Hæc ſequentia ad verbum exſtant in Liturgia Chryſoſtomi, usque ad vocem *κατάκριμα*.

(*t*) Conſecrationem inſequitur Oratio Dominica ritu antiquiſſimo, cujus veſtigia in Liturgiis obſervamus, licet in Conſtitutionibus Apoſtolicis id non reperiatur.

(*u*) Hæc ex Liturgia Anglicana petita ſunt, & eapropter poſita, ut non ſine debita veneratione ad participationem myſterii tam tremendi procedatur. Egregia ſunt, quæ hanc in rem in Liturgiis Græcis exſtant. Clamabat olim Sacerdos ante diſtributionem: *τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*, id quod & in Conſtit. Apoſt. L. VIII. C. XIII. exſtat. Diaconus accipiens reſpondebat: *accedo ad Regem immortalem.* Addebantur hæ preces: *Domine! haud ſum dignus, ut immundum animæ meæ tectum ſubeas: Verum uti non dedignatus es, in ſtabulo ac præſepi animalium recubare, atque in Domo Simonis leproſi etiam meretricem mihi ſimilem peccatricem, ad te accedentem ſuſcepiſti; ita dignare, quæſo, etiam in ſtabulum animæ meæ irrationalis ac immundum corpus meum tanquam mortui ac leproſi intrare. Et uti non abominatus es os impurum meretricis, mundos pedes tuos oſculantis, ita Domine, Deus mi! noli abhorrere & me peccatorem, ſed tanquam bonus ac benignus dignare me, ut particeps fiam ſanctiſſimi corporis ac ſanguinis tui.* In Miſſa Latina exſtant eadem fere, quale eſt, quod dicitur: *Domine non ſum dignus, ut*

*intres*

*intres ſub tectum meum.* Id quod jam ſuo tempore commendavit Origenes Homil. V. in diverſa loca Evangelii.

(*x*) Simplicior primùm erat diſtribuendi Euchariſtiam forma. Ita in Conſtit. Apoſt. L. VIII. C. XIII. *Et Epiſcopus quidem det oblatam, dicens: corpus Chriſti, & accipiens dicat. Amen. Diaconus verò teneat poculum ac tradens dicat: Sanguis Chriſti, poculum vitæ: & bibens dicat: Amen.* Idem fere exſtat in L. IV. de Sacramentis, qui Ambroſio adſcribitur, C. V. *Dicit tibi Sacerdos:* Corpus Chriſti, *& tu dicis:* Amen, *id eſt* verum. „ Poſtea eadem forma novis acceſſionibus aucta fuit, quorum exempla exhibet Card. Bona Rer. Liturg. L. II. C. XVII Liturgia Chryſoſtomi hunc ritum ita deſcribit: *Sacerdos dicat: Accede Diacone. Accedens Diaconus dicit: Trade mihi Domine! pretioſum ac ſanctum corpus Domini ac Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Sacerdos dicit: Porrigo tibi pretioſum ac ſanctum & purum corpus Domini ac Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum ad vitam æternam.* Et quibusdam interjectis ait Diaconus: Hoc *tetigit labia mea & auferet iniquitates meas ac peccata mea purgabit ſemper, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.* Idem r-tus eſt tradendi calicis. Miſſa Latina: *Perceptio corporis tui, Domine Jeſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem, ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis & ad medelam percipiendam.* Et rurſus: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

*Amen.* Cæterùm forma hæc Grabiana, ad quam commentamur, eadem cum Anglicana eſt.

(*y*) Apparet ex his, quæ omnia juxta Veterum Liturgias dicuntur, Sacerdotes conſecrantes olim ſibimet ipſis Sacramentum Euchariſtiæ porrexiſſe. Hinc cum grano ſalis accipienda ſunt, quæ exſtant in Articulis Smalcaldicis P. II. C. II. de Miſſa p. 306. *Se ipſum autem communicare humana perſuaſio eſt, incerta & non neceſſaria, imo prohibita.* Sed oſtendunt ſequentia, Lutherum ſaltem de iis loqui, qui ſine caſu neceſſitatis ſe ipſos communicant *extra Eccleſiæ communionem.*

(*z*) Hymnus hic à Latinis vocatur Angelicus, quia *initium ejus*, innuente Bona, *in nativitate Salvatoris noſtri ab Angelis decantatum fuit.* Luc. II. 13. 14. Quisnam hujus hymni auctor ſit, ſub judice lis eſt. Videri poſſunt variæ doctorum ſententiæ ab eodem Bona recenſitæ Rer. Liturg. L. II. C. IV. §. 4. ſqq. Antiquiſſimum tamen eundem eſſe patet ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, in quibus L. VII. C. XLVII. XLVIII. exſtat. Ἑωθινὸς ſive matutinus Græcis dicitur, & ἡ μεγάλη δοξολογία ab altera omnino diſtinguenda, quam μικρὰν vocant, his verbis conſtante: δόξα Πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Doxologia hæc parva ortis Arianis aucta fuit in Concilio Vaſenſi II. per verba: ſicut erat in principio &c. Pagi ad A. C. 325. n. 38 Eſt etiam doxologia, quæ & Triſagium dicitur: ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος. Sic quoque doxologia Hieroſolymitana habetur: *O Domine ſalva nos, o Domine fortuna nos! Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vide Athanas. Opp. T. I.

T.I. P.I.f.33. 108.304. Hymnus autem ille matutinus in Latina Missa consecrationem, Orationem Dominicam & Symbolum antecedit. Apud Græcos pars Liturgiæ non est, seu in Liturgia Anglicana exstat, prout & in variis Ecclesiis Protestantibus durante S. Eucharistiæ distributione canitur. Cæterum conferri omnino hic meretur egregia Thomæ Smithi Commentatio de veteris Ecclesiæ Græcæ hymno matutino, quam Collectaneis de Cyrillo Lucario, Patriarcha Constantinopolitano, Londini MDCCVII. adjunxit. Hymnum hunc προσευχὴν ἑωθινὴν ab Athanasio sub finem Libri de Virginitate, & ᾠδὴν πολυώνυμον à Luciano circa medium secundi seculi vocatum esse, erudite observavit Pearsonius in verba Ignatii: δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν, ubi & egregie observat, ex hoc hymno Deitatem Christi clarissime probari posse. Addi potest J. Usserii Diatriba de Symbolo Apostolico p. 34. De ᾠδῇ πολυωνύμῳ vide Polum. f.208. 209. in Matth. & Whitby de Var. lect. p. 29. Olear. 216. in Matth. Κύριε, ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ exstant in ultima S. Polycarpi Martyris prece. Vide Eccles. Smyrn. Epist. de Martyrio S. Polyc. §.14. ubi & in sequentibus S. Polycarpus ita precatus esse fertur: *Propterea & de omnibus te laudo, tibi benedico, te glorifico una cum æterno ac cœlesti Jesu Christo, dilecto tuo Filio.* Constant. Præf. in Opp. Hilarii Pict. Art. III. §. 21. p. 7. Hymnum: *Gloria in excelsis*, ab Hilario auctum & consummatum esse tradunt Alcuinus vulgatus lib. de div. Off. C. 40. Remigius L. I, de celebr. Missæ, Hugo Vict. L. 2. de sacr. p. 9. c. 9. & Honorius Augustodun. L. 1. de gemma animæ C. 87. idque à pluribus ita existimari fa-

tetur Innocentius III. L. 2. myſt. Miſſæ C. 20. quamvis ipſe Teleſphoro hanc gloriam tribuat. Et quidem ut hymnus Angelicus in Miſſa caneretur, à Teleſphoro Papa inſtitutum eſſe ſcripſerunt Anaſtaſ. Biblioth. in ejus Vita Walafr. Strabo de rebus eccl. C. 22. Amalarius Fortunatus L. 3. de Off. Eccl. C. 8. & vulgatus Alcuinus de div. Off. C. 39. Sed cum præcedentibus absque negotio ea ratione conciliari queunt, ut Telesphorus quidem verba Angelorum in Miſſa canii iſtituerit, quomodo revera in Miſſa S. Jacobi ter dicuntur, ſed reliqua auctorem habuerint Hilarium. Neque contra priorem opinionem quicquam conficitur aut ex libro Athanaſii de Virginitate, in quo hymnus hic integer memoratur, aut ex Conſt. Apoſt. Has enim conſtat, ſucceſſu temporum auctas, illum autem Athanaſii eſſe minime liquet. Neque etiam adeſt auctoritas ſatis antiqua, quæ Hilario hunc hymnum tribuat. Concil. Tolet. IV. Can. 13. indefinite tradit, ab Eccleſiaſticis autoribus eſſe compoſitum. Ejusdem hymni, non autem autoris mentio fit in Regula S. Cæſarii Arelat. C. 21. S. Baſilius de Sp. S. C. 29. ſcribit, Athenogenem ad Martyrium feſtinantem diſcipulis ſuis tanquam valedictionis munus reliquiſſe hymnum à ſe ſcriptum ſic incipientem: δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ &c. Vide Cave f 57. a. Quæ verò Lucianus in Dial. Philopatr. de Chriſtianis dicit, eos ἐπὶ παννύχȣς ὑμνῳδίας ἀγρυπνεῖν T. II. p. 1010. nimis ſunt generalia, quam ut ſtatim ad noſtrum canticum poſſint applicari. Cæterum exſtat hic hymnus in codice antiquiſſimo Alexandrino MScto. Vide Bibl. Polygl. T. VI. not. ad ὁ Interpr. p. 140. Adde Smithi Miſçellanea p. 144. &c. Fabric. Bibl. Gr. L. 5.

P. 1. p. 169. De hymno à Luciano allegato vide Fabr. Bibl. Gr. L. 4. P. 1. p. 504. Bibliograph. antiq. p. 368. Bibl. Gr. L. 5. P. 1. in Indice in Leon. All. de libris Eccl. Gr. p. 249. 250.

# *OBSERVATIO.*

*Quod statim sub initium diximus, Liturgiam hanc Grabianam non ex omni parte absolutam esse, id hic repetitum omninò volumus. Id certum est, plura atque egregia ex ritibus antiquis addi posse. His omnino id accenseo, quod apud Veteres nonnisi Fideles ad S. Cœnam admissi fuerint, exclusis etiam Catechumenis. Hodie vero omnes promiscue admittuntur, si saltem peccata sua confiteantur vitæque promittant emendationem. Atque hinc nata est horrenda illa Ecclesiæ Disciplinæque Ecclesiasticæ corruptio, quam hodie deploramus. Huic egregie olim obviam itum, cum cœtus Christianorum in Fideles, Catechumenos & impœnitentes divisus adhuc esset. Nunc verò, ubi nullum spirituum discrimen admittitur, omnia in pejus ruere necesse est. Optandum itaque, ut resonaret aliquando inter nos ea Diaconi* vox, Eucharistiæ administrationem annunciantis:* μή τις τῶν κατηχουμένων, μή τις τῶν ἀκροωμένων, (sunt hi pœnitentes) μή τις τῶν ἀπίστων, (sunt hi Judæi & Gentiles,) μή τις τῶν ἑτεροδόξων. ** (sunt hi Hæretici. *Cæterum id mirandum, Missam Latinam*

* Etsi forte votum hoc absurdum videri possit, introducto nunc ubivis pædobaptismo.

** Constit. Apostol. L. VII. C. XII.

*nam in hoc articulo non mutatam fuiſſe, cùm* * *diſcrimen Fidelium & Catechumenorum ſupponat, quod hodie ſublatum eſt, eodem fere modo, quo oblationes laicas ſupponit, quæ itidem hodie ſunt abrogatæ, & diſciplinam arcani, quæ rurſus abolita hodie eſt. Poſſet quoque retineri ea Veterum acclamatio, qua accedentes ad Euchariſtiam monebantur,* μή τις κατά τινος, μή τις ἐν ὑποκρίσει. ** *Item:* τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, *** *nec non illud:* γεύσασθε καὶ ἴδετε, ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος, *& quæ alia ſunt à veteribus obſervata & in his quoque notis deſcripta. Sed de his omnibus forſan alibi data opera agemus.*

* Quando diſtinctio Catechumenorum & fidelium cœperit & deſierit, & quomodo maxime in diſciplina arcani conſtiterit, adcurate diſquirit Schelſtratenus in diſſ. Apol. de diſciplina arcani.

** Conſtit. Apoſtol. L. II. C. LIV. LVII.

*** Conſtit. Apoſtol. L. VIII: C. XIII. Plura alia ex Liturgia Cyrilli Hieroſol. depromi poſſent.

# S. IRENÆI
## EPISCOPI LUGDUNENSIS
# FRAGMENTA ANECDOTA,

*EX*

BIBLIOTHECA TAURINENSI

ERUTA,

*AC*

LATINA VERSIONE NOTISQUE DONATA,

# PRAEFATIO.

Quæ luci publicæ exponimus, S. Irenæi, Episcopi Lugdunensis Fragmenta hactenus ἀνέκδοτα nostris Annotationibus præmissisque Dissertationibus explicata atque è Bibliotheca Regiâ Taurinensi eruta, ea non uno ex Codice extraximus, sed ex variis, qui à Græcis πατερικὰ, παράδεισοι, γεροντικὰ, λειμωνάρια, διηγήσεις, ἀποφθέγματα, πανδέκται, κλίμακες, λαυσαϊκὰ, *a* aut voce Latina Catenæ, si nempe commentarium perpetuum in Librum quendam Sacri Codicis contineant, nuncupantur, diversa scilicet SS. Patrum vel facta vel effata continentibus, ex quibus ea nobis præcipua visa sunt, quæ S. Irenæi nomen præferunt, eo magis etiam æstimanda, quod ætatem aliquam ferant ii codices, ex quibus ea extulimus. Nec tamen, viso Irenæi nomine, cœco quodam impetu eò statim processimus, ut sine prævio examine de αὐθεντίᾳ istorum Fragmentorum illico pronunciandum esse existimaverimus; sed limam potius criticam adhibuimus, ut, quid de istis monumentis dicendum esset, liquido & quidem sine oppositi formidine nobis constaret. Præcipuum vero

*a* His quidem nominibus peculiares libri, acta vitasque & effata Veterum complexi communiter designantur. Sed generalia quoque eadem esse ex Codicibus Taurinensibus perspeximus, ubi idem Codex duo vel tria ejusmodi nomina sæpius inscripta habet.

rò quod ſuâ quâdam & nativâ luce oculos noſtros perſtrinxit, fuit gravis illa & Irenæo digniſſima ſcribendi ratio, quam in Fragmentis hiſce obſervavimus, majeſtatem ſeculi, quo vixit, (fuit autem id ſecundum à nativitate Chriſti) omninò ferens; porrò inſignis quædam tùm ſtyli ipſius tùm rerum in iisdem traditarum convenientia cum iis, quæ Irenæus in Libris contra hæreſes dixerat, quibus plurimam iſta lucem afferunt, maximè quod Oblationis & Conſecrationis Euchariſticæ rationem attinet; denique ipſa Codicum, ex quibus noſtra eruimus, fides, ad nauſeam uſque à nobis tentata, quam intemeratam omnino invenimus, cùm omnia Patrum loca, quæ in iſtis citata reperimus evolvimuſque, in editionibus impreſſis eâdem ferè ratione elata iisdemque Autoribus adſcripta invenerimus, ſolis iis exceptis, quæ prælum hactenùs experta non ſunt, & queis ipſa hæc Fragmenta annumerare licet, cùm & in Libris adversùs hæreſes & in iis, quæ Feuardentius, Cotelerius, Halloixius, Sirmondus, Combefiſius, Grabius & Maſſuetus congeſſere, Fragmentis deſiderentur. Nec, ut arbitror, erit, qui Irenæo cuidam juniori, Epiſcopo Tyri, homini Neſtoriano & digamo iſta adſcripſerit, cùm alius longè argumenti ſint, quæ hic ſcripſit, utpote ad hiſtoriam litis Neſtorianæ pertinentia; &, quæ in Fragmentis noſtris exſtant, calamum ſapiant magis orthodoxum magisque pium, quàm qui ab Autore vitæ ſuæ pertæſo atque Epiſcopali dignitate privato tragœdiæ componendæ demùm fuit adhibitus. Si quis tamen ſit, qui exiſtimaverit, gratis hæc omnia â nobis dici, argumentaque firmiora eſſe adhibenda, queis Irenæo noſtro iſta aſſerantur, ad demonſtrationum Mathemati-

maticarum vim assurgentia; cum eo quidem contentionis serram non reciprocabimus, nec de re, quæ limam philosophicam haud patitur, multum altercabimur. Ad *gustum* etenim *Criticum* tota tandem lis devolvitur, seu ad judicium illud, quod de stylo Autorum eâque, quâ usi sunt, dicendi scribendive ratione fertur; quâ re nihil est magis delicatum majorique contradictioni obnoxium, (maximè si, qui dissentiunt, depravato gustûs laborent organo;) sed & nihil, de quo minus sit disputandum, cum de omni gustu disputare vetet proverbium, hoc vero de nullo veriùs, quam de Critico, utpote qui omnium est subtilissimus, pronunciari possit. Enimvero, si in diversis scriptis eandem dicendi rationem, periodorum numerum æqualem, idearum similem compositionem atque ordinem, expressionum item eandem vim eandemque sententiam utrobique defensam præfixumque ejusdem Autoris nomen inveneris, quid quæso impedit, quò minus ea unius ejusdemque Scriptoris esse asseras Criticamque hîc certitudinem jactes; Scilicet id de Fragmentis nostris si asseruerimus, quæ cum impressis Irenæi egregiè utique conspirant, quod in notis demonstratum à nobis est; omne utique feremus punctum, dabimusque id, quod in nostram trahere sententiam Viros doctos possit. Cæterum dum mentionem notarum nostrarum hîc injicimus, haud sine præfatione ea nobis dimittenda sunt, quæ contra novissimum, qui Opera S. Irenæi illustravit, editorem Parisiensem, renatum Massuetum *b* diximus.



*b* Editio, quam dedit, prodiit Parisiis A. MDCCX. dissertationibus tribus præviis notisque ab ipso ornata, cæteris omnibus, quæ hactenus lucem viderunt, editionibus ferè nitidior & amplior.

Cùm enim & ſummam Clariſſimi Viri eruditionem, & terſam modeſtamque nec vulgari civilitate tinctam ſcribendi rationem plurimi faciamus, quam & experti aliquando ipſimet ſumus luculentius, literis ab ipſo ad nos datis, amicum omnino Viri humaniſſimi erga nos animum ſpirantibus; dubitare utique non potuimus, noſtrum qualemcunque diſſenſum ab ipſo in bonam partem acceptum iri. Etenim, quæ contra ipſum ſive ad cauſam fidei noſtræ agendam ſive ad defendendum, quem ipſe adgreſſus fuit, amicum veterem J. E. Grabium, *c* ſive ad explicanda melius Irenæi verba ponimus, nec ex odio quodam Theologico, quod maximè à nobis alienum eſt, nec ex contradicendi libidine profectum fuit, ſed ex ſincero quodam veritatis amore, quem & in nobis ipſe æſtimabit magnique faciet Clariſſ. Maſſuetus. Id quod & de Rev. Viro Nic. Nourrio, cui itidem p. Edit. prioris 125. ſq. aliqua repoſuimus, affirmandū nobis eſt, cùm adeò charum nobis honorandumque ipſius nomen ſit, ut dulce hoc amicumque certamen nobis eſſe videatur, maximè cùm Viri clariſſimi humanitas tot jam documentis nobis ſit perſpecta. Scilicet ita pronunciandum eſt de iis, qui Rempublicam literariam tot meritis ſcriptiſque egregiis ſibi devinxere, quam laudem

*c* Ediderat Grabius Oxonii A. MDCCII. S. Irenæi Opera ſuis animadverſionibus illuſtrata, contra quas ſæpius pronunciat Cl. Maſſuetus. Sed nec ſilentium ſibi impoſuerat, cùm iſta vidiſſet, Grabius. Exſtat enim inter ipſius poſt huma adhuc ἀνέκδοτα penes Rev. D. Hickeſium *Irenæus reviſed and corrected vvith collections and references for a nevv edition, in vvhich he deſigned to animadvert upon the learned Editor of the nevv Paris edition of that Father MDCCX. in his ovvn defence.* Vide D. *Hickeſii account of Dr. Grabe and of his Manuſcriptis.* P. V. VI.

dem peculiari ratione sibi vendicat doctissima S. Mauri Congregatio, è Monachis Ordinis Benedictini constans; optandumque utique foret, ut dum Clariss. Nourrius continuando Apparatui ad Bibliothecam Maximam Patrum insudat, Rev. Massuetus antiquioribus SS. Patrum Scriptis, venerabilem primorum seculorum ætatem ferentibus, recensendis operam dare posset, qui Annales Benedictinos post Jo. Mabillonium & Theodoricum Ruinartum cum Socio Franc. Tissierio nunc pertexere jussus est. Nec tamen cum solis hisce doctissimis Viris ita agendum nobis esse existimavimus; sed ubicumque ab aliis dissensimus, eodem ferè tramite perreximus, nec in illis Dissertationibus, quas Fragmentis nostris notisque heic præmisimus, umquam hanc modestiæ legem migravimus. Cùm enim argumentum, quod in secundo Fragmento tractatur, involutum obscurumque esse nobis videretur; peculiarem operam dandam esse putavimus, quâ difficilia enuclearentur, & obscura luci suæ, seposito partium studio, restituerentur. Hinc enatæ duæ illæ de Oblatione & Consecratione Eucharistiæ Dissertationes, ubi inde à primis Christianismi fontibus exorsi per omnia ferè secula ivimus, & quid à Christo institutum, quid à veteribus superadditum, quid à recentioribus mutatum fuerit, prout res tulit, enarravimus. Quod institutum cùm sine refutatione dissentientium haud exsequi possemus, primum ea nobis refellenda sumsimus, quæ à Rev. Viro Georgio Hickesio S. T. P. & Anglicanæ Ecclesiæ Presbytero *d* ad oblationem panis & vini adstruendam al-

Oo 2 lata

*d* Sententiam Rev. Hickesii defendere nuper continuavit Jo. Johnsonius, A. M. & E. A. P. duobus libris, quorum unus ante quinquennium Londini prodiit sub titu-

lata fuisse noveramus; ita tamen, ut ex ipsâ, quâ usi fuimus, scribendi ratione colligere queat Vir doctissimus, cui multa debemus, quo affectu ipsum complectamur, & quanto æstimio ea omnia prosequamur, quæ ab ipsius manu proficiscuntur. Id vero rarissimum est & singulare, quod, dum, quæ dixit, refellimus, ipsius tamen in sententiam eorumque, qui hanc adgressi sunt, tandem descendamus. Id quod fieri utique solet, ubi de verbis lis movetur. Ita enim statuimus, eos, qui oblationem panis & vini negant in Eucharistiæ celebratione fieri, eandem ipso observare facto, atque verbo quidem à cæteris dissentire, rem tenere; quam si aliter exprimerent ii, à quibus dissentiunt, nulla amplius futura esset lis aut contentio. Non verò ita pronunciandum esse existimavimus de iis, qui sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ repetitum asserunt; inter quos novissimi Scriptoris pseudonymi Zephyrini de Pace argumenta ex veteris Ecclesiæ monumentis petita dissolvimus. Prodierant etenim jam ante tria fere lustra Articuli Unionis de protestantibus ad Ecclesiam Romanam reducendis, diu jam antea confecti sed nondum impressi, Electoris Moguntini nomen præferentes, *e* qui & Instructionem Pastoralem ad Protestantes hanc in rem scripsisse fertur in Actis Eru-

lo: *The propitiatory oblation in the holy Eucharist*, alter nuperrimè lucem vidit & inscribitur, *the unbloody sacrifice and Altar*. Librum quoque hanc in rem edidit Thomas Brett E. A. P.

*e* Vide *die auffgefangene Brieffe, die erste Ravage, das zehende paquet, die 131ste correspondenz*, p. 1013. ubi exstat & *die Chur-Maynzische Instruction, welche Ihro Chur-Fürstliche Gnaden durch deren Rath von Blumen bey Ihrer Päbstlichen Heiligkeit vortragen lassen, wie die*

Eruditorum Trevoltienſibus, quam tamen nobis videre hactenùs non contigit. Quamvis autem ipſe fateatur Zephyrinus, Articulos hos nec ab Electore Moguntino compoſitos, nec cum Romano Pontifice communicatos neque ab hoc approbatos fuiſſe, conſcripſit tamen ampliſſimum in eos commentarium, cujus nonniſi pars prima prodiit. Atque hîc de ſacrificio Miſſæ datâ agit opera, & ea quidem, quæ omnino laudari meretur, modeſtia, ſed argumentis aliquando tam invalidis, ut facilis oppido nobis eorum exſtiterit refutatio, quam hâc tamen ratione inſtituere conati fuimus, quæ modeſtiæ Zephyrini ex aſſe reſpondeat. Diſſertationes de Oblatione & Conſecratione Euchariſtiæ inſequitur Liturgia Græca Jo. E. Grabii. Quæ omnia cur addiderimus, enarraverunt Præfationes utrique præpoſitæ, ubi hujus inſtituti noſtri cauſas prolixius expoſuimus. Atque ita finem hiſce imponere poteramus, niſi dicenda quædam nobis eſſent ad ea, quæ Vir Illuſtriſſimus SCIPIO MAFFEJUS, Marchio Veronenſis, nuper in Diario Eruditorum, quod Italico idiomate curante maxime Viro doctiſſimo Apoſtolo Zeno Venetiis imprimitur, monuit.*f* Huic cum ἀνέκδοτα S. Irenæi Fragmenta, quæ damus, manu ſcripta notisque noſtris brevioribus illuſtrata transmiſiſſemus, non ſolùm pro eo, quo nos proſequitur, benevolentiæ ſtudio laudato Diario ea inſerenda curavit, ſed & Epiſtolam ad Reverendum Virum BENEDICTUM BACCHINIUM, Abba-

 tem

*Evangeliſchen mit der Römiſch-Catholiſchen Kirche am füglichſten ſich vereinigen und in eins gebracht werden können. Offenbach. MDCC.*

*f* Vide *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XVI. Art. IV. p. 226. ſq.

tem S. Mariæ de Lacroma, O. S. B. Congreg. Casinensis, addidit, partim, ut dubia sua circa αὐθεντίαν Fragmentorum horuncce exponeret, partim, ut, quæ in notis nostris fidei Romanæ contraria esse crediderat, refelleret. Tam polito autem & amico dicendi genere erga nos utitur, laudemque insuper haud vulgarem nobis scribit, ut non possimus non plurimum exosculari, quæ tam benevole nostris annectere ipsi placuit. Sed hoc quidem nobis in præsenti haud sufficit. Ea enim est Viri Nobilissimi eruditio, ea ingenii elegantia, ea judicii, quo pollet, perspicacia, & quam sibi conciliavit, inter Eruditos Italos fama, ut omnino ad causam nostram agendam videamur necessitate quadam adstricti esse. Facimus autem id eo lubentius, quod litis nostræ arbitrum esse voluit Celeberrimum BACCHINIUM, Virum in antiquitate Ecclesiastica versatissimum, g dignumque, qui ob eruditionem, quam possidet, summam in Purpuratorum ordinem referatur. Ait autem primo Maffejus, quæ ex Catenis Græcis depromantur, dubiæ fidei esse, maxime si liber non allegetur, ex quo Fragmentum sit desumtum, idque fateri ipsum Massuetum; b accedere porrò, quod in nostris Fragmentis non exstet Εἰρηναίου, Ἐπισκόπου Λουγδούνων, quod utique addendum fuisset, si hæc Irenæi essent. Sed notandum est, asser[t]ionem hanc

g Patet id non solum ex iis, quæ de *Origin. Hierarchiæ Ecclesiastica* scripsit, sed & ex editione Agnelli, cujus librum Pontificalem de vitis Pontificum Ravennatum ex Bibliotheca Estensi eruit, suisque dissertationibus & observationibus illustravit Mutinæ MDCCVIII.

b In *admonitione de Fragmentis Irenæi.*

hinc admitti non posse, si generalis ea esse debeat; partim, quod, quæ in Catenis Græcis similibusque collectionibus, in quibus Patrum dicta in unum volumen congesta reperiuntur, exstant, utplurimum genuina sunt, id quod ex collatione codicum MSS. cum impressis patet; partim quod ea communis Catenarum methodus haud est, ut libri, ex quibus dicta Patrum trahuntur, semper allegentur, etsi eadem genuina sint, nec diligentiam illius fugiant, qui ipsos libros, quibus ea debentur, evolverit. Unde nec necessarium nobis esse videtur additamentum illud Ἐπισκόπȣ Λȣγδȣ́νων, cùm non fuerit fere nisi unus Irenæus, (alter enim, qui Episcopus Tyri fuit, vix attendi meretur, nec eam sibi famam comparavit,) observeturque etiam in Catenis, Patrum, qui allegantur, nomina sæpissime solitaria poni atque etiam sæpius solis literis initialibus vel unica saltem initiali (quâ maxime ratione Chrysostomi nomen, χ & ρ unam in literam conjectis, exprimitur,) designari. Pergit Maffejus, & primum fragmentum nostrum sollicitat, quod contineat nonnisi textus novi Testamenti secum invicem combinatos, quam addit antiquiorum Patrum consuetudinem haud fuisse. Sed facilis hic est responsio, omne contrarium ex libris eorum, qui exstant, apparere. Nec opus est, ut prolixas hîc cumulemus allegationes. Sufficiat nobis ipse Irenæus, qui in Libris adversus hæreses ad nauseam usque plurimis in locis dicta Scripturæ mirum in modum cumulat; id quod ipsa docet inspectio. Secundum Fragmentum eapropter genuinum non esse existimat noster, quod Constitutiones Apostolicæ in eo allegentur, Irenæi ævo (quod omnes eruditi fa-

teantur) longe posteriores, maleque addit à nobis vocem δευτέραις verti, quæ non significet *ultimis* sed *secundis*. Quæ autem *secunda* illæ διατάξεις τῶν Ἀποστόλων sint, vix divinari posse; Si verò Constitutionum Apostolicarum L. VIII. intelligatur, hæc utique Irenæi ævum non ferre. Ast res est in vado. Neque enim hoc affirmamus, quod Irenæus in Fragmento nostro eam Constitutionum Apostolicarum compilationem alleget, quæ hodie exstat, & fatentibus omnibus, Irenæi seculum non fert, id quod & nos ipsi tum in notis nostris tum in Diss. de Oblatione Eucharistiæ diximus. *i* Ast eandem ex διδασκαλίαις Virorum Apostolicorum, Barnabæ, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Hermæ, ipsius quoque Irenæi & Hippolyti factam esse multi sunt inter recentiores doctissimi Viri, qui asserant. *k* Refutant tamen hanc sententiam du Pin in Bibl. des auteurs Eccles. & Basnage in Hist. l' Eglise. Quinimo & alibi sæpius Irenæus ad traditiones Seniorum sive Presbyterorum, qui ipsos Apostolos viderant & audierant, provocat. Nec quæ Jo. Dallæus *l* profert, argumenta aliud probant, quam Constitutionum Apostolicarum, quam habemus, collectionem corruptam esse & interpolatam, seculisque demum sequioribus compositam, quod nemo negat; licet in eo dissentiant Eruditi, quod juxta communem sententiam cor-

*i* Vet. Edit. P. 10. seq. 39. 45. 58. 59. 122. 126. 131 137. 138. 183. 282. 294. 295.

*k* Vnicus hic nobis sufficiat Gul. Cave in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* iis in titulis, quos nomicavimus.

*l* In Tr. de *Constitutionibus Apostolicis* Hardervici A. MDCLIII. impresso.

corruptio ab hæreticis Arianisque maximè profecta esse dicatur, Gul. vero Whistonus arbitretur, eam orthodoxis attribuendam esse. Qui, cum Veterum scripta cum Constitutionibus Apostolicis confert, & allusiones allegataque ex iisdem extracta è vetustissimis Scriptoribus Christianis sistit, *m* probat utique Constitutiones Apostolicas antiquissima & genuina Christianæ Religionis monumenta continere. Cæterum non opus erat, ut de voce δευτέραις dubia sibi crearet Illustriss. Maffejus. Si enim vertat *secundis*, per nos id licebit, etsi, quid per secundas διατάξεις intelligendum sit, nesciamus, cum nulli dentur Constitutionum Apostolicarum recensendarum ordines. Δεύτερος vero & *ultimus* est; dicitur enim δεύτερος ἄλλων *omnium postremus*, ut in re liquidâ unicum saltem, quo tamen opus non erat, afferamus exemplum. Ast, si placet, vertamus *posterioribus*, id enim, ut arbitror, optimum erit, ne nodum in scirpo quærere habeamus necesse. Suspecta quoque amicissimo Maffejo nostro est vox ἀντίτυπα, quam cum de Eucharistia adhibetur, seculis demum sequioribus natam esse credit. Nec diffitemur, inter ea, quæ exstant, Seculi II. vel III. monumenta nullum inveniri, quod vocem ἀντιτύπων sacramento Eucharistiæ adplicet, exceptis Constitutionibus Apostolicis. Sed nec perspicere possumus, cur



*m* Vide Vol. III. libri: *Primitive Christianity reviv'd*, ubi exstat *an essay on the Apostolical Constitutions.* London MDCCXI. Conferendum autem maximè est Caput IV. ubi sistitur *the* external evidence, *or testimonies for, citations of, and allusions to these Apostolical Constitutions.*

primus eam hoc in argumento adhibere non potuerit S. Irenæus; quod utique probandum erat, ut huic argumentandi rationi vis aliqua daretur. Dogmaticam autem vocis ἀντιτύπων historiam in notis ad Fragmentum secundum dedimus. n Idem fere dicendum est de ἐπικλήσει ad Spiritum Sanctum, quam Irenæi tempore nondum usitatam vult noster Maffejus. Quod primum utique gratis dicitur. Nec enim dissimulat idem, Irenæum ἔκκλησιν & ἐπίκλησιν memorare in editis, licet negandum esse putet, consecrationem eâ perfici, quod tamen expressis verbis innuit Vir sanctus: *Panis terrestris divinam accipiens invocationem non amplius communis est panis sed Eucharistia.* o Alibi & memorat, Marcum hæreticum, ad imitandos sine dubio Catholicos, adhibuisse τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως. p Eandem fere in sententiam fatur Theodotus hæreticus: ὁ ἄρτος ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος. q Origenes quoque aut potius Maximus, ejusdem Seculi Scriptor, hæreticum introducit fatentem, ὅτι τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας ἔρχεται. r Cyprianus *invocationem non contemtibilem* sive *sacramentum solitæ prædicationis* in consecranda Eucharistiâ mulierem hæreticam adhibuisse refert. s Denique Cyrillus Hierosolymitanus, qui Sec. IV. vixit, ἐπίκλησιν ad Spiritum S. clarissimis verbis effert; quem omnes Græcæ Litur-

n Ed. Vet. P. 131. sq.
o L. IV. Adv. Hær. C. XVIII. §. 5.
p L. I. Adv. Hær. C. XIII. §. 2.
q in Opp. Clem. Alex. f. 800.
r Dial. contr. Marcion. Sect. II. p. 53.
s Epist. LXXV.

Liturgiæ omnesque fere Ecclesiæ Patres, imo & antiquiores Missæ Latinæ sequuntur, uti in Dissertatione de Consecratione Eucharistiæ ostendimus. Sed quî amabo accidit, ut nullus alius inter Irenæi coævos, ne quidem Justinus M. qui ritus Eucharisticos tam prolixe exhibet, ἐπίκλησιν memoraverit? Ast sufficiant nobis & ipse Irenæus, & Marcus, & Theodotus, & Maximus & Cyprianus, qui non longo post tempore vixit. Ex horum enim testimoniis combinatis secum invicem conjunctisque efficitur, ἐπίκλησιν ad Spiritum S. jam ævo S. Irenæi cognitam fuisse. Nec rejicienda hîc sunt hæreticorum vel facta vel effata, cùm ista quidem à Catholicis desumserint pravi homines, ut sub specie veritatis simplicioribus eò magis imponere possent. Hinc &, uti vidimus, Cyprianus *invocationem* mulieris hæreticæ vocat *non contemtibilem*, eandemque insuper adpellat *SOLITÆ prædicationis sacramentum*. Cæterum prolixiora hîc argumenta pluraque antiquiorum testimonia postulari nequeunt, cùm defectus monumentorum Seculi II. quo laboramus, non patiatur, ut multos hîc Autores allegemus, qui eadem referant. Scilicet in scriptis nunc deperditis exstitisse potuit ἐπίκλησις ista, uti & ἀντιτύπων vox; nec, quia ista nunc periere, aut, quid in iis exstiterit, ignoratur, dici potest, hæc in iis non exstitisse, maximè, cum Seculi IV. Scriptoribus hæc omnia sint familiaria, qui sane non primi (quod absit) ea excogitavere, sed ab antiquioribus hausere; nisi Ecclesiam Seculi IV. in Consecratione Eucharistiæ jam variasse dicere malis. Allegare etiam hic posses *disciplinam*

† Catech. Mystag. V.

*plinam arcani.* Quod autem Justinus M. ἐπίκλησιν ad Sp. S. non habet, qui εὐχὰς tamen memorat, id nihil probat aliud, quam Seculo II. in omnibus Ecclesiis Græcis ἐπίκλησιν nondum receptam fuisse, formulasque precis consecratoriæ tùm adhùc varias diversasque exstitisse. Id quod & in Dissertatione de Consecratione Eucharistiæ innuimus. *v* Tertii Fragmenti αὐθεντίαν eapropter dubiam esse existimat Maffejus, quod libertas in festis diebus jejuniisque observandis, quæ in eodem statuitur, Novatiano potius quam Catholico Scriptori conveniat. Sed mallem, ut ea probâsset noster. Quæ enim hîc Irenæus dicit, post Paulum dicit Apostolum, cujus verba affert, ut in notis ostendimus. *x* Nec opus est, ut, quæ tùm forsan & in Ecclesiis quibusdam particularibus de jejuniis festisque agitabantur, contentiones ex monumentis Ecclesiasticis deducamus, quod postulare videtur Nobiliss. Maffejus, qui putat, Irenæi tempore nullam hâc de re litem fuisse. Cum enim ea monumenta fere omnia nunc perierint, dici utique nequit, nullam, cùm Irenæus viveret, controversiam hoc de argumento fuisse agitatam, quia in iis, quæ exstant, ea non memoretur. Sed nec hùc quoque nobis confugiendum est, cum Vir sanctus verbis longe clarissimis istam litem nobis descriptam det. Ait enim: *Nec enim dies modo in dubium vocatur, sed & jejunii species. Nam sunt, qui jejunandum sibi putant diem unum, sunt, qui duos, sunt, qui plures, imo & sunt qui quadraginta: &c. y* Sopita tamen

*v* §. 2. sq. & passim.
*x* Vet. Edit. P. 149. 150.
*y* Vide Irenæi Epist. ad Victorem, Episcopum Romanum

tamen hæc lis postea fuit, nec in apertum schisma erupit, remanentibus licet contentionis semel cœptæ reliquiis, quæ particulares aliquando, ut arbitror, committebat Ecclesias. Servabatur scilicet etiam inter dissentientes pax Ecclesiastica, etsi ritus diversi essent, nec *unionem fidei* scindebat, sed monstrabat potius *commendabatque jejunii diversitas*, quæ ipsa S. Irenæi verba sunt; z ex quibus & hoc liquet, non de festo saltem Paschatis die temporeque, quo is celebrandus sit, sed & de jejunio prævio tùm inter Ecclesias disputatum fuisse; id quod dissimulat fere doctissimus noster Maffejus. Compescendo autem huic schismati, sæpius subinde gliscenti, ipse manum admovit Episcopus Lugdunensis, uti ex sola Epistola ad Victorem Episcopum Romanum, constat; fateturque id Clariss. Massuetus, cujus verba damus: *Hæc proinde Irenæi laus fuit*, quod *dissidentes Ecclesias, moxque fractis fœderibus sacris discindendas reconciliaverit: inde apud utrasque numquam satis pro merito commendandus*, *quod schismatis malum utrisque funestum averterit.* * Progreditur ad notas nostras Maffejus carpitque, quod dixerimus, veterem Ecclesiam Oblationem Consecrationi præposuisse, hancque ab illa distinguendam esse, sacrificium altaris itidem à sacramento Eucharistiæ differre, celebrationemque Cœnæ Dominicæ à Veteribus sacrifictum & obla-

cujus exstat fragmentum apud Eusebium L. V. Hist. Eccl. C. XXIV. & Nicephorum L. IV. Hist. Eccl. C. XXXIX.

z ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. loc. cit.

* Diss. II. in Iren. Art. I. §. 29. f. 90.

oblationem haud nuncupatam fuiſſe; quibus & addit, nos oblationem laicam cum ſacerdotali confundere, id quod πρῶτον ψεῦδος noſtrum ipſi eſſe videtur. Sed hoc poſterius nemo quidem exiſtimaverit, qui notas noſtras Diſſertationemque de Oblatione Euchariſtiæ contulerit, ubi ſollicite iſta, ut par erat, diſtinximus. * Conſecrationi autem Oblationem præpoſitam olim fuiſſe adeo perſpicuum ex Veterum dictis Liturgiisque antiquiſſimis, maximè Græcis, eſſe arbitramur, ut nihil clarius eſſe poſſit. Obtulit enim primum Sacerdos dona conſecranda, deinde conſecravit, una eâdemque prece, ita, ut dicere quoque poſſis, Oblationem in Conſecratione conſiſtere, ſi, quod Scholaſtici ajunt, Conſecrationis vocem *late* accipias, quæ *ſtrictè* aliâs ſumta ab Oblatione omnino diſtinguenda eſt. Idem fere de diſtinctione inter ſacrificium & ſacramentum Euchariſtiæ dicendum eſt, deque ſacrificii & oblationis nomenclatione à Veteribus κατὰ συνεκδοχὴν Cœnæ Dominicæ datâ, cum, ſi accurate res eloquenda ſit, iſta utique plurimum differant, ſi vero generaliori termino totus Euchariſtiæ cultus ſit deſignandus, à præcipua quâdam ejus parte denominatio ſumi poſſit. Unicumque id erat, quod nos refellere conabamur, ſacrificium aut προσφορὰν in diſtributione aut μεταλήψει ſive communione olim conſtitiſſe, quod quidam dixerunt. Hæc enim opinio valde eſt inſipida, atque ex Can. Apoſtol. IX. quem allegavimus, egregie utique refutatur, ubi προσφορὰ expreſſe à μεταλήψει

* Vide Edit. Vet. P. 38. 44. 109. 121. 183. 184. 187. 206. 254. 255. 259. 260. 261. 269. 283. 304. 308. 309. 314. 323. 335. 491. 528.

λήψει diſtinguitur. *a* Sed de his quidem in Diſſertatione de Oblatione Euchariſtiæ notisque noſtris latius egimus. Nec id quoque approbandum eſſe putat Illuſtriſſ. Maffejus, quod diximus, *conſecrationem in ἐπικλήσει ad Spiritum S. conſiſtere.* Sed nos ii non ſumus, qui, dum iſta dicimus, propriam ſententiam noſtram referamus, etſi, quid in ἐπικλήσει hâc conſecratoriâ mali lateat, hactenus perſpicere non potuerimus. Nec Clariſſ. quoque Maſſuetus unquam huic favit ſententiæ, à communi Eccleſiæ Romanæ fide abludenti, id quod innuere tamen videtur noſter Maffejus, cùm nec in notis ad L. IV. Irenæi adv. Hær. C. XVIII. §. 5. habeat, quod hùc ſpectet, nec alibi quoque, ſed affirmet ſaltem, *Irenæum*, ubi ſcribat: ὁ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ, *manifeſtè alludere ad ſolemnem illam verborum formulam, quæ in antiquis omnibus Liturgiis Orientalibus occurrat, quamque Græci cum Irenæo καθ' ἐξοχὴν vocent ἐπίκλησιν*, invocationem. *Eam eſſe, quâ Deus oretur, ut mittat Spiritum Sanctum, qui ſuo in dona propoſita illapſu efficaciſſimâque operatione faciat ea corpus & ſanguinem Chriſti. b* Scilicet, quod nos aſſerimus, eſt, Eccleſiam Græcam, conſentientibus omnibus Liturgiis, ἐπικλήσει ad Spiritum Sanctum facta Euchariſtiam conſecrare, id quod & ſupra jam innuimus, & tùm in notis ad ſecundum Irenæi Fragmentum, *c* tùm in Diſſertatione de Conſecratione Euchariſtiæ *d* luculentiſſimis argumentis probavimus, veri-

*a* Vide Diſſert. & Not. cit.
*b* Diſſ. III. in Iren. Art. VII. §. 83. f. 142. 143.
*c* Ed. Vet. P. 64. ſq. 76. ſq. 96. 104. 109.
*d* §. 3. ſq. & paſſim. Adde & p. 375. maximè vero §. 11. ſq.

veritatemque hanc hiſtoricam contra diſſentientes Beſſarionem, Turrecrematam, Arcudium, Goarum, Allatium, Bonam, Corderium, Huetium aliosque ita adſtruximus, ut, quid regeri nobis poſſit, omnino non videamus. Nec dica quoque hanc ob rem ſcribi poteſt doctiſſimo Maſſueto, cum conſentientem hoc in argumento habeat J. B. Boſſuetum, Epiſcopum Meldenſem. *e* Cæterùm, qui eadem nobiscum hîc ſenſerit, nulla tamen ratione dicet, conſecrationem Euchariſtiæ neceſſariò ἐπικλήσει hâc peragendam eſſe; id enim eſt, quod negamus, cùm aliæ quoque preces hîc adhiberi poſſint, & libertati Eccleſiæ id relictum voluerit Chriſtus, utpote cujus εὐλογία ſolo nomine deſignata, verbis autem, queis conſtitit, non exſcripta in Evangelio reperiatur. *f* Ubi autem innuit Maffejus, Juſtinum M. credidiſſe, quod in verbis H. E. E. C. M. conſiſtat conſecratio, ſcribere enim illum τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν; mentem utique Juſtini noſtro judicio non aſſequitur, cum ſanctiſſimus Martyr per εὐχὴν haud intellexerit verba, quibus id indicatur, quod porrigitur vel diſtribuitur, ſed *orationem & preces*, quibus gratiæ aguntur pro donis à Deo datis & hæc ipſa ſanctificantur. Ea vero, quæ in Concilio Florentino hanc in rem geſta ſunt, luculenter in Diſſertatione de Conſecratione Euchariſtiæ *g* expoſuimus, adeo, ut plura hic addere non ſit neceſſe. Id unum hîc memorandum e , Græcis ſuas Liturgias ſuam.

*e* Vide infra p. 38. ſq.

*f* Vide Diſſ. de Oblatione Euchariſtiæ §. 42. Ed. Vet. p. 345. 346. & de Conſecr. Euch. §. 1. p. 360. itemque p. 428. 434. & 485.

*g* §. 11. ſq. p. 413. ſq.

ſuamque conſecrationem à Concilio Flor. permiſſam fuiſſe, Eccleſiamque Gallicanam Concilio non ſubſcribere, multosque Theologos Gallicanos exiſtimare, quod conſecratio in precibus conſiſtat. Vehementer autem dolemus, *Prænotiones* Rev. Abbatis *h Papadopoli*, quas laudat Maffejus noſter, hactenus à nobis viſas haud fuiſſe. In his enim ait, hæc omnia prolixius tractata eſſe, oſtenſumque ex Patribus Græcis, Eccleſiam Græcam eandem cum Romana ſententiam in articulo de Conſecratione Euchariſtiæ fovere, quod utique probatu admodum difficile eſt. Atque ita Illuſtriſſ. MAFFEJUM non ſine captatione benevolentiæ atque eo quo par eſt, ut ipſum proſequamur, amicitiæ venerationisque affectu dimittimus, Præfationique noſtræ hic terminum ponimus; cujus ſi migravetimus limites, veniam nobis dabit Lector benevolus, quem in rem præſentem nunc ſumus deducturi.

Pp

*h* Nicolaus Comnenus Papadopoli, Cretenſis ex antiqua Comnenorum familia, Græcus Latiniſatus, utpote qui relicta Religione Græca ad Latinam tranſiit, Patavii Græcos in Religione Romana inſtruxit. Edidit *Prænotiones Myſtagogicas*, in quibus Græcos modernos refutat, veterumque Græcorum fidem eandem cum Romana hodierna eſſe aſſerit. Has prænotiones refutavit ſtylo nimis acerbo & injurioſo Jo. Hoctiſtonus Anglus, in Epiſtola Conſtantinopoli ad Papadopolium ſcripta oppoſuit. Papadopoli Reſponſionem ad Chryſanthum Notaram Metropoliten Cæſarienſem Palæſtinæ Primatem, Venetiis A. 1703. 8. editam & recenſitam in Journal des ſavans du Lundi 2. Aout 1706. T. 34. P. 2. p. 770. ſqq.

# S. IRENÆI [*P.1.Edit.Vet.*]
# FRAGMENTA ANECDOTA
*EX*
## CODICIBUS MANUSCRIPTIS BIBLIOTHECÆ REGIÆ TAURINENSIS ERUTA.

### *FRAGMENTUM PRIMUM.*

*Εἰρηναίου.*

Ἔστι μὲν οὖν ἡ γνῶσις ἡ ἀληθινὴ ἡ κατὰ Χριστὸν σύνεσις, ἣν ὁ Παῦλος καλεῖ τὴν σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται, ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ, οὗ ἐάνπερ τις γεύσηται, οὐ μὴ ἂν προσελεύσεται ταῖς παραδιατριβαῖς καὶ λογομαχίαις τῶν τετυφωμένων καὶ φυσιουμένων, τῶν ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατευόντων. Ἀσχημάτιστος γὰρ ἡ ἀλήθεια καὶ ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὡς ὁ αὐτὸς Ἀπόστολος λέγει,

*Irenæi.*

EST verò cognitio vera ea quæ secundum Christum est scientia, quam Paulus appellat sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam animalis homo non capit, sermo de cruce, quem si [*pag.2.*] quis gustaverit, non sanè accedet ad disputationes & quæstiones de vocibus superborum & inflatorum, ea ingredientium, quæ non viderunt. Veritas enim figura caret & propinquum tibi verbum



est

ἐυμ . . . . * τοῖς πειθομένοις. Ὁμοίους γὰρ Χριστῷ ἡμᾶς ποιεῖ, εἰ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν αὐτοῦ παθημάτων γνῶμεν. Αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ἐπιλογὴ τῆς Ἀποστολικῆς διδασκαλίας καὶ τῆς ἁγιωτάτης πίστεως τῆς ἡμῖν παραδοθείσης, ἣν [p.3.] οἱ ἰδιῶται δέχονται καὶ οἱ ὀλιγομαθεῖς ἐδίδαξαν, οἱ ταῖς γενεαλογίαις ταῖς ἀπεράντοις οὐ προσέχοντες ἀλλὰ μᾶλλον περὶ τὴν τοῦ βίου ἐπανόρθωσιν σπουδάζοντες, ἵνα μὴ τοῦ θείου πνεύματος ἀποστερηθέντες ἀποτύχωσι τῆς βασιλείας ** τῶν οὐρανῶν. Τὸ γὰρ πρῶτον μέν ἐστι τὸ ἀπαρνῆσαι σεαυτὸν καὶ τὸ ἀκολουθῆσαι τῷ Χριστῷ, καὶ οἱ ταῦτα ποιοῦντες εἰς τελειότητα φέρονται, πᾶν τὸ θέλημα τοῦ διδασκάλου

eſt in ore tuo & in corde tuo, uti idem Apoſtolus dicit, quod facilè diſci poteſt ab obedientibus; nam ſimiles Chriſto nos reddit, ſi virtutem reſurrectionis ejus & communionem paſſionum ejus noverimus. Hoc enim eſt compendium doctrinæ Apoſtolicæ & ſanctiſſimæ fidei nobis traditæ, quam illiterati capiunt & indocti didicerunt, genealogiis quæ finem non habent, non attendentes ſed magis correctioni vitæ ſtudentes, ne divino Spiritu privati amittant regnum cœlorum. Nam primum quidem eſt ſeipſum abnegare & Chriſtum ſequi, & qui hæc

* Ultimæ literæ in Codice litura abſorptæ ſunt. Cæterùm ἐυμαθὲς legendum cenſemus.

** In quibuſdam exempl. malè impreſſum eſt βαισλείας.

πεπληρωκότες, υἱοὶ Θεοῦ διὰ τῆς παλιγγενεσίας τῆς πνευματικῆς γινόμενοι καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κληρονόμοι, ἣν πρῶτον ζητοῦντες οὐκ ἀφεθήσονται.

hæc faciunt, ad perfectionem feruntur, omnem doctoris voluntatem implentes, Filii Dei per regenerationem ſpiritualem [p. 4.] evadentes & regni cœleſtis hæredes, quod qui primùm quærunt, non deſerentur.

## NOTAE.

Εἰρηναίου) Cùm plures S. Irenæus libros ſcripſerit, qui injuria temporum periere, quæritur, cuinam hoc fragmentum ſit adſcribendum. Quod ſane determinatu admodum difficile eſt, ſiquidem quæ ex titulis depromi poſſunt, conjecturæ, demonſtrationis loco eſſe nequeunt. Non enim cum Henrico Dodwello viro alioquin doctiſſimo facimus, qui confidenter nimis de iis pronunciat quæ non ἑώρακε, dignusque adeo viſus eſt Cl. Maſſueto, quem gravi, ut ſolet, ſtylo reprehendat. Ita enim in Diſſ. II. in Irenæum Art. III. §. 60. diſſerit doctiſſimus S. Benedicti ſequax: *Quis verò eſſet auctoris in his omnibus opuſculis ſeu libris ſcopus quodve conſilium, tacentibus veteribus dici non poteſt: ſoli ſagaciſſimo Dodwello dicere licet, qui plura de iis pro more diſputat, nec verbis nec conjecturis parcit; ſed Dodwellianæ conjecturæ ſunt, quas qui legerit, miratur & diſſertatorem multa dixiſſe, ut nihil diceret, lectorem verò multa legiſſe, ut nihil diſceret.* Si [p. 5] quis tamen hîc conjecturæ locus eſt, cùm Codex MS.

 ex

ex quo iſta depromſimus, titulum libelli non indicet ſed ſaltem nomen autoris τȣ̃ Ἐιρηναίȣ, probabile nobis eſſe videtur, fragmentum hoc ex libro Διαλέξεων διαφόρων, *variorum tractatuum*, ut vertit Hieronymus, vel diſputationum potius, quas nomine ποικίλων ὁμιλιῶν Sophronius inſignivit aut ex λόγῳ εἰς ἐπίδειξιν τȣ̃ ἀποςολικȣ̃ κηρύγματος *de Apoſtolica prædicatione* eodem Hieronymo interpretante, petitum eſſe. [p. 6.] Cæterum Euſebius & Hieronymus hos librorum Irenæi deperditorum titulos nobis tradidere, qui ſaltem à materie fragmenti noſtri haud penitus, ut arbitror, abhorrent. Quæſiveram id primùm in editis Irenæi uti & cætera quæ mox dabo, ſed irrito plane conatu. Unde confidenter pronunciare audeo, ea & Grabio & Maſſueto fuiſſe incognita, digna eapropter, quæ ne pereant, luci exponantur. Librorum autem deperditorum Irenæi Calogum nobis dedere Henricus Dodwellus in Diſſertationibus in Irenæum, itemque Jo. Ern. Grabe & R. Maſſuetus, uterque in nova Operum S. Irenæi editione.

ἡ γνῶσις) γνῶσιν alio modo deſcribit S. Irenæus adv. hæreſes L. IV. C. 33. §. 8. ubi: *Cognitio vera Apoſtolorum eſt doctrina ac antiquiſſimum in univerſo orbe Syſtema.* Sed hæc quidem, uti arbitror, non contraria ſunt iis, quæ in fragmento noſtro ponuntur. Cæterum Veteres Hæretici vocabulo γνώσεως eam inſignivere Scientiam, quæ abſtruſa de Deo ipſiusque eſſentia myſteria tradit, ab iis ipſis haud credo intellecta, qui eorum ſyſtema confecere. Quid enim quæſo abſtruſius eſt illo Æonum ſyſtemate, quod Valentiniani compoſuerunt? Hi ſane qui talia effingunt,

gunt, ut gloriam divinioris cujusdam sibi adquirant Scientiæ, γνωςικῶν nomen omnino haud merentur, religionemque Christianam incredulis prostituunt. Mysteria etenim mysteriis non addenda sunt nec veritati mendacium. Unde arbitror, ipsa hæc verba Gnosticis opposuisse Irenæum.

Σοφίαν θεȣ̃) Hanc Sapientiam alibi Prophetis attribuit Irenæus, linguis quas non didicerant, iisque variis loquentibus. Vide L. V. C. 6. §. 1.

Σοφίαν Θεȣ̃ ἐν μυςηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην) Irenæus hîc Paulum Apostolum citat, cujus hæc verba sunt. Vide 1. Cor II. 7. Dicitur hæc σοφία consistere ἐν μυςηρίῳ, qua voce non semper ea significantur quæ rationi sunt impervia, sed quæ ex naturali lumine non cognoscuntur. Est autem ἀποκεκρυμμένη, quia Judæi eam non noverant. Conf. l. c. comma 8 Plures in sequentibus rationes addit Irenæus.

ȣ̓ δέχεται) Sunt verba Pauli 1. Cor. II. 14.

ὁ λόγος τȣ̃ ςαυρȣ̃) Vide 1. Cor. I. 18.

γεύσηται) Forsan ad loca Hebr. VI. 4. 1. Petr. II. 3. heic respicit Irenæus. Quidquid autem sit, re- [p. 7.] quirere videtur Vir sanctus non saltem, ut de veritate divina simus convicti, sed & ut dulcedinem ipsius vimque supernaturalem, quam cordibus infundit, in intimis animorum visceribus gustemus. Hic certe gustus internus fuit, qui homines tempore Christi & Apostolorum ad fidem convertit. Vis enim in sermonibus eorum peculiaris quædam erat, non tàm animos quam corda vertens. Inde est quod ὑπηρέται de Christo ajunt: *numquam ita locutus est homo, sicut hic homo* Joh. VII. 46. Inde de eodem Petrus:

 *Domi-*

*Domine, ad quem abibimus, verba vitæ æternæ habes.* Joh. VI. 68. Inde tanta vis in oratione Protomartyris Stephani, quæ corda dissecabat Act. VII. 54. Atque hæc est illa ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, quam πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις opponit Paulus 1. Cor. II. 4. IV. 20: Quando itaque Theologi loquuntur de *veritate sensus* & de veritatis divinæ *gustu* interno, Fanatica utique hæc opinio dici nequit, nisi arbitremur, ita statuisse Deum, se nulla ratione hominibus sese communicaturum nisi communi illa, quæ in lumine naturali consistit. Quod nemo approbabit, nisi cui de Christianismo interno generalis admodum notio est. Sed hoc de argumento pluribus egimus in dissertatione *de præjudicatis in religione opinionibus fugiendis* ac *de Gustu spirituali.*

προσελεύσεται . . . . . . φυσιουμένων) Hæc [p. 8.] desumta sunt ab Irenæo ex 1. Tim. VI. 3. 4. 5. ubi: *Si quis aliter docet & non accedit ad sanos sermones . . . . . inflatus est*, & quæ sequuntur. Celeberrimus Vir, Richardus Bentlejus felicissimus locorum corruptorum Restitutor hæc verba in mendo cubare arbitratur. Ita enim ille: *Quamvis sensus vocis* προσέρχεται *ita determinetur à verbis adjacentibus, ut nulla hic versio erraverit, omnes enim habent:* non consentit vel non acquiescit in verbis sanis Domini nostri, *attamen non apparet propria vocis significatio in Origine, nec hujus* φράσεως *exemplum hactenus datum fuit. Si itaque inveniretur in Codice quodam MS.* προσέχεται vel προσίσχεται adhæret sanis verbis, *quis quæso male ferret hanc variationem? Ast expectaverim potius verbum* προσέχει, *quia* προσέχειν λόγοις *est notissima* φράσις

*Sacro-*

*Sacrorum Profanorumque Autorum.* Vide celeberrimi Viri Observationes in nuperum libellum de libertate cogitandi Anglica lingua scriptas p. 72. 73. Erudita hæc sunt tantoque Viro dignissima. Ast receptam tamen lectionem, quam penitus haud rejicit Vir summus, defendi posse arbitramur, maximècùm, quod desideravit, exemplum ejus, imo allegatio hic in S. Irenæi fragmento exstet, & in secundo quoque, quod dabimus, occurrat. Cæterum phrases novi [*p.* 9.] Testamenti ad puritatem Græcæ linguæ, quæ in profanis conspicitur autoribus, exigendas esse nec ego existimaverim, nec quivis alius, licet fuerint tùm ex veteribus tùm ex recentioribus, qui id sibi operæ sumsere, Seb. Pfochenius præcipue, Balthas. Stolberg, qui putat, Scriptores N. T. dialecto Macedonica usos tùm in Coll. MS. in N. T. tùm in dissert. de Sol. N. T. Lamb. Bos, Horatius Vitringa, alii. Ea etenim scribendi ratio, quæ in libris novi Testamenti observatur, ad Hebraicæ affiniumque linguarum genium examinanda est, quo & hæc phrasis pertinet. Quinimo & *in sententiam alicujus ire* latine dicitur & vox προσέρχεσθαι hâc ratione idem exprimit quod *consentire*. Id tamen certissimum, vocem προσέχει contextui omnino congruam fore, si in MS. codice exstaret. Est enim ea Sacris Scriptoribus usitatissima. Exempla allegavit ipse Cl. Bentlejus. 2. Pet. I. 19. Prov. I. 20. Jerm. VI. 19. Act. VIII. 6. XVI. 14. Hebr. II. 1. Tit. I. 14. 1. Tim. I. 4. Quod autem sub finem Dissertationis nostræ Criticæ de variis Novi Test. lectionibus p. 243. 244. exoptavimus, ut *Vir hic doctissimus ad interpretationem librorum novi Testamenti* & corruptarum lectionum emendationem *ex*

*amplissime quem possidet, eruditionis Thesauro sua conferat*, id heic repetitum omnino volumus.

*ἐμβατευόντων* ) Hæc ex Colos.II.18. petita sunt. [p. 10.] Carpit S. Paulus, quem hîc Irenæus imitatur, eos, qui cultum religiosum deferebant Angelis atque de nescio quibus mysteriis loquebantur, quæ non intelligebant, ad speciem sanctitatis conciliandam confictis. Nec incongrua nostris quoque temporibus hæc cautela est. Animus enim noster naturâ inclinat ad fingenda & credenda ea, quorum ideas evidentes atque conceptus formare sibi nequit intellectus. In his sibi mire placet atque vehementer applaudit, imò & si ita ferat occasio, ex ipsis his figmentis opinionibusque, solis verbis non verò idoneo rei conceptu constantibus articulos fidei format, atque eos hominibus credendos proponit anathemate in dissentientes vibrato. Hæc malorum in Christianismo magna origo est & præcipua. Tota Scholasticorum Theologia ferè huc trahi potest & abstrusæ quoque illorum Mysticorum ideæ, qui spirituali quæ mysticum format, experientia carentes verba sola imitantur, verosque Mysticos malesano ausu simulant.

*ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν* & cætera ) Hæc Rom. X. 8. leguntur, petita ex Deut. XXX. 14.

*δύναμιν τῆς . . . . . γνῶμεν* ) Vide Phil. III. 10.

*ἀπολογὴ* ) Ita male librarius, ut arbitror. Ἐπιτομὴ enim legendum est, aut si mavis, ἐκλογὴ hùc quadrat.

*τῆς Ἀποστολικῆς διδασκαλίας* ) His verbis non al-[p. 11.] legari certum quendam librum, qui sub titulo διδασκαλίας ἀποστολικῆς olim prodierit & ab Apo-

Apo-

ſtolis fuerit conſcriptus, quivis videt. Nec enim eam in opinionem deſcendimus, quod, ubicumque apud veteres διδασκαλία ἀποστολική, τάξις, διατάξεις, διαταγαὶ, διατάγματα τῶν ἀποστόλων, ἐντολαὶ, προστάγματα, παράδοσις, παραδόσεις ἀποστολικαὶ, διατάξεις εὐαγγελικαὶ, παράδοσις εὐαγγελικὴ, εὐαγγελικὸν κήρυγμα, κήρυγμα τῶν ἀποστόλων, ἐκκλησιαστικὴ διδασκαλία, κανὼν τῆς ἀληθείας,, κανὼν τῆς πίστεως, Κανὼν τῆς Λειτουργίας, νόμιμα τοῦ δεσπότου, παραγγέλματα τῶν ἀποστόλων, διδαχαὶ & quæ alia ſunt, memorentur, certi quidam libri ſint intelligendi, ad quos reſpiciatur. Eſt hæc Viri doctiſſimi Guil. Whiſtoni ſententia, qui plerisque his titulis Conſtitutiones Apoſtolicas putat inſigniri atque allegari. Vide ipſius tractatum de Conſtitutionibus Apoſtolicis C. IV. p. 269. ſqq. Nec miror, hanc animo ejus opinionem penitus infixam eſſe. Quando enim primùm theſin quandam mordicus defendendam ſibi quis propoſuit, quod bona fide fieri poteſt, ubique credit ſe argumenta invenire, quibus veritatem à ſe repertam ſuffulciat. Hoc clariſſimo accidit Whiſtono, qui hunc in finem quæ Philo de Therapeutis memorat & quæ in ſcriptis Apoſtolicis novi Teſtamenti exſtant, cum Con- [p. 12.] ſtitutionibus Apoſtolicis confert, quamvis candide fateatur ſe neſcire, num libri novi Teſtamenti citent Conſtitutiones aut ab his citentur, vel num ea, in quibus conveniant, ex tertio quodam libro petita ſint nunc deperdito ſed primis Evangelii temporibus cognito. Confer l. c. p. 253. Hæc ad artis criticæ regules, ut arbitror, haud pronunciantur, nec refutari hîc

hic prolixe possunt, cùm de gustibus, ( quod commune fert proverbium ) maximè de Criticis, ( quod addimus, ) non sit disputandum. Cæterum omnino dolendum est, Virum summum Jo. Ernestum Grabium opus, quod moliebatur, de Constitutionibus Apostolicis perficere non potuisse, morte quippe præventum. Ibi enim demonstraturus erat, verum esse quod didicerat à Joanne Pearsonio, Constitutiones Apostolicas circa tempora Epiphanii compilatas fuisse ex διδασκαλίαις Apostolorum Virorumque Apostolicorum, Clementis Romani, Barnabæ, Ignatii, Hippolyti aliorumque, ast ab Ariano quodam ita depravatas atque interpolatas, ut propositiones negativæ sæpius in affirmativas mutatæ fuerint & vicissim. Vid. Spicil. Patr. Sec. I. p. 43. & 284. sqq. tract. de testimoniis Script. & Patrum Deitatem Filii & Sp. S. asserentibus contra Whistonum §. 4. p. 21. 22. Tr. de duobus Codd. MSS. Arabicis Bibliothecæ Bodlejanæ & Doctrina Apostolorum §. 12. p. 24. sqq. itemque D. Hickesii relationem de MSS. Grabianis p. 17. 18. Quæ omnia [p. 13.] ut penitus intelligamus, sciendum est, multos ex recentioribus & inter alios quoque præcipue Henr. Dodwellum statuisse, inter viros Apostolicos quemvis fere suam composuisse διδασκαλίαν scriptoque consignasse, quæ ex traditione acceperit. Has διδασκαλίας Apostolicas ajunt postmodum in unum corpus conflatas fuisse, quod in compendio Virorum Sanctorum κηρύγματα, παραδόσεις & λειτουργίας comprehenderit. Addunt has διδαχὰς atque διδασκαλίας citari in stichometriis, licet eas inscitiâ librariorum subinde corruptas fuisse sibique non semper constare fateantur, qui penitius hoc argumentum exami-

examinant. Vide omnino Basnage Hist. de l'Eglise. Pergunt, ipsum Barnabam suam indicare διδαχὴν, cum scribat, μεταβῶμεν δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέραν γνῶσιν καὶ διδαχὴν, quod præcipue laudatus Dodwellus urget Diss. I. in Iren. n. 51. p. 56. quinimo & S. Irenæum sæpius provocare ad traditiones Seniorum sive Presbyterorum, qui ipsos Apostolos viderant, eundemque ἐπίδειξιν ἀποστολικοῦ κηρύγματος contexuisse memorante Eusebio Hist. Eccl. L. 5. C. 26. Ita posteriorem Clementis ad Corinthios Epistolam διδαχὴν Κλήμεντος esse, itemque partem posteriorem Epistolæ S. Barnabæ hujus esse διδασκαλίαν inque Lib. VII. Const. Apost. exstare cum viris doctis- [14.] simis arguit idem Dodwellus. S. Ignatio διδασκαλίαν hæreticos supposuisse quidam ajunt, genuinam Constitutionibus Apostolicis insertam. Διδαχὴ S. Polycarpi à Maximo, Beda, Adone aliisque citata eandem cum Ignatiana sortem nacta esse fertur, nec dubitandum est, plures olim sanctorum virorum fuisse διδασκαλίας, quæ inter Apocrypha & Ψευδεπίγραφα referri meruerint. Celebratur & διδασκαλία Hippolyti, quam ajunt in Bibliothecis Vindobonensi & Bodlejana asservari. Codicis Vindobonensis specimen Petrus Lambecius dedit in Comment. de Bibl. Cæsar. T. VIII. f. 429. adductis paucissimis, ex quibus tamen, quis iste sit, liquidum non est cognoscere. Bodlejanum verò codicem laudarunt Pearsonius, Millius, Caveus, Grabius, Whistonus. Hic partem libri VIII. Constitutionum Apostolicarum dicitur conficere. Conjiciunt viri docti, hanc Hippolyti διδασκαλίαν nihihil aliud esse, quam παράδοσιν

δοσιν ἀποςολικὴν inter Opera Hippolyti relatam in ſtatuâ marmoreâ Canonem ejusdem Paſchalem cum titulis ſcriptorum, quæ compoſuit, repræſentante & A. MDLI. ex agro Verano haud procul Roma eruta atque à Scaligero, Grutero, Bucherio, Lemoynio, Caveo deſcripta. Codicis Bodlejani editionem promiſerant Joannes Millius, uti Gul. Caveus refert in [p.15.]Hiſtor.Liter.Scriptor.Eccleſ. coloco,ubi deHippolyto agit, & Jo. Erneſtus Grabe, qui ex Cod. 26. Barocciano διδασκαλίαν Hippolyti ſe daturum pollicitus erat in Spicilegio Patrum Sec. I. p. 285. 286. Refert quoque Vir Reverendus D. Georgius Hickeſius, codicem Baroccianum comparatum fuiſſe à Grabio cum Vindobonenſi, verſionem concinnatam, additam quoque collationem codicis Syriaci, quæ cùm omnia vel tertio Spicilegii Patrum Tomo vel tractatui de Conſtitutionibus Apoſtolicis inſerenda fuiſſent, ut conſerventur & à Viro quodam docto luci publicæ exponantur, utique Reipublicæ Literariæ intereſt. Vide D. Hickeſiii relationem de MSS. Grabianis Anglice ſcriptam p. 1 . ſqq. Ex Theodoti διδασκαλίᾳ ἀνατολικῇ deſumtum fragmentum conſpicitur, ad calcem operum Clementis Alexandrini, quod tamen hùc non pertinet, utpote ab hæretico profectum homine & inter ſcripta Orthodoxorum haud referendum. Cæterùm Conſtitutionum Apoſtolicarum, Librorum nempe priorum quinque & partis ſexti verſio Arabica habetur in Bibliotheca Bodlejana Oxonii, niſi quod frequens ibi conſpiciatur capitum transpoſitio, prout ex verſione Virorum doctiſſimorum Joannis Gagnierii & Simonis Ockleji judicare eſt. Ita certe arbitratur J. E. Grabe in Tract. Anglicano de duobus A-

rabi-

rabicis MSS. Bibliothecæ Bodlejanæ, libro antiquo cui nomen eſt doctrina Apoſtolorum, quæ in iis [p.16.]
ſtare dicitur, ubi D. Whiſtoni errores de utroque clariſſime deteguntur. Crediderat quippe Vir Clariſſ. Gul. Whiſtonus, ſe novum plane librum, & qui hactenus pro deperdito habitus fuerit, in Bibliotheca Bodlejana inveniſſe, antiquiſſimam illam διδαχὴν τῶν Αποςόλων, Patribus olim citatam, atque novi Teſtamenti librum Canonicum primarium. Etſi enim ipſemet Arabicæ linguæ peritus non ſit, laudatum tamen Ocklejum, qui eandem linguam probe callet, habuit, qui codicem Arabicum, cum ambo in Biblioheca Bodlejana verſarentur, interpretatus eſt. Apparuit autem, poſtquam à Grabio & Gagnierio res penitius eſt inquiſita, Arabicam hanc verſionem eſſe uti diximus Conſtitutionum Apoſtolicarum, porro incertum adhuc eſſe, num διδαχὴ τῶν ἀποςόλων ſit liber genuinus nec ne. Saltem quia deperdita eſt hæc διδαχὴ, de ea in utramque partem nihil poſſe determinari, eruditi credunt. Mutavit poſtea ſententiam Whiſtonus *, credidítque Præfationem in Codice Arabico exſtantem eſſe Præfationem διδαχῆς, ipſumque hunc codicem exhibere nonniſi compendium ex Conſtitutionibus Apoſtolicis extractum. Sed & hæc refutavit induſtria Grabii. Primo enim ipſa Præfationis hujus, quam Whiſtonus dedit, lectio docet, eam ab impoſtore confictam atque ſup- [p.17.]
poſitam fuiſſe, quidquid in contrarium Vir doctiſſimus dicat. Porrò ex ipſa collatione docet Grabius, totos quin-

* Vide omnino ipſius Remarcks on Dr. Grabes eſſay upon tvvo ArabickManuſcripts of the Bodlejan Library. Lond. 1711. 8.

quinque libros Constit. Apost. cum parte sexti in hoc Codice Arabico exstare, uti supra diximus. Ex quibus tandem ista concludimus, ex Arabico hoc monumento ad διδαχὴν vel διδασκαλίας Ἀποστόλων luci suæ restituendas aut accuratam Constitutionum Apostolicarum editionem dandam nihil egregii exspectandum esse. Atque ipsa hæc prolixius enarravimus, quoniam, quæ Anglico idiomate heic disputata fuere, ab iis, qui ejusdem imperiti sunt vel Anglica non vident, & hujus tamen disputationis processum scire avent, penitius perspici hactenus non potuere. Caute autem heic procedendum, ubi de antiquissimis atque anonymis Veteris Ecclesiæ monumentis disseritur, quivis videt, nisi qui nescit, multa olim supposita Apostolisque adscripta fuisse, quæ ab impostoribus fuere conficta, & si ita loqui liceat, pia fraude pro genuinis venditata. Accessere postmodum interpolationes, quæ optimum quodvis corrupere & aliena à mente autoris in textum injecere, imo contraria, prout ex sola Hippolyti διδασκαλίᾳ patet. Hæ autem interpolationes ut ubique ab eo quod genuinum est, separentur & distinguantur, id quidem arduum est opus ne dicam vix possibile, Conjecturis enim hîc sæpe agendum, quæ demonstrationem non pariunt. Nec unquam Critica Sacra lucem [*p.18.*] suam nanciscetur, nisi certa ab incertis, conjectura à demonstratione separetur. Ante omnia verò hîc observanda ea est regula, quam ipsæ ponunt Constitutiones Apostolicæ L. VI. C. 16. *Neque enim ad Apostolorum nomina vos attendere oportet, sed ad rerum naturam sententiamque invariatam.* Ne itaque magnificis fidamus titulis, sed rem ipsam inspi-

ſpiciamus, num quadret in ea tempora, quibus adſcribitur. Quod niſi fiat, non poſſumus non deduci in devia tanquam ab igne fatuo. Denique id notandum quoque nobis eſt, eſſe Viros doctiſſimos, qui plane negent, ſupereſſe adhuc veteres illas διδασκαλίας, de quibus tanta hodie lis eſt & controverſia, aut easdem in unum corpus Conſtitutionum Apoſtolicarum conflatas eſſe. Legi omninò merentur, quæ hanc in rem poſt Lud. El. Dupinium ſcripſit Vir celeberrimus Jacobus Basnagius in Hiſtoria Eccleſiæ T. I. L. IX. C. V. §. 6. f. 465. 466. vbi nullam Clementis, Ignatii, Polycarpi διδασκαλίαν agnoſcit diverſam ab Epiſtolis, quæ hodie adhuc exſtant, aitque, antiquiſſimam διδασκαλίαν traditionumque quod habeamus, compendium eſſe Hippolyti. Quo ipſo tamen conceſſo nemo eſt, qui neget, veteres, quæ ab Apoſtolis audiverant & didicerant, aut à Viris Apoſtolicis hauſerant, ſcripto conſignaſſe, id ſolùm affirmatur, has διδασκαλίας non amplius exſtare, ſed injuria temporum periiſſe, aut interpolatas atque aliam in formam transfuſas ad nos perveniſſe, ita ut autoris ſui opus vix ſint amplius ſed impoſtoris potius, qui interpolavit. [p. 19.]

ἁγιωτάτης πίστεως) Eodem epitheto fidem inſignit Judas Apoſtolus Epiſtolæ commate 20. ubi: τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτούς.

ἰδιῶται) Hoc nomine inſigniuntur indocti, illiterati, rudes. Ipſe ſanè Apoſtolus Paulus ſe ἰδιώτην eſſe fatetur, non quidem quoad ſcientiam, erat enim Vir doctus & in Judaica literatura verſatiſſimus Act. XXII. 3. ſed potius quoad artificioſum verborum ornatum

natum, quem ignorabat. Ita enim de seipso: εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει. 2. Cor. XI. 6. Adde Act. IV. 13. 1. Cor. I. 17. II. 1.13. XIV. 16. 2. Cor. X. 10. Sic Hieronymus Epist. ad Algasiam: Illud quod crebro diximus, *Etsi imperitus sermone, non tamen scientiâ*, nequaquam Paulum de humilitate sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Unde & ipsi Patres sæpius fatentur, Apostolos fuisse idiotas, quia concinne scribere haud didicerant. Unus instar omnium nobis sit Eusebius, qui hunc in modum de iis scribit, quemadmodum interpretatur Henr. Valesius: *cùm* [ p.20.] *essent vita quidem ac moribus castigatissimi & omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent atque inculti, freti divina & mirifica virtute ipsis à Servatore concessa, artificioso verborum ornatu magistri sui præcepta exponere neque noverant, neque item conabantur.* Hist. Eccl. L. III. C. 24. p. 19. Non itaque hîc ἰδιώτης ea in significatione sumitur, quæ hodie popularis est, nec eruditionis solùm sed & judicii defectum denotat. Disputatum nuper hâc de voce fuit in Anglia, cùm quidam A. Collins libellum de libertate cogitandi ederet, ubi id sibi operæ sumsit, ut subruta omni religione Deismi poneret fundamenta. Unde ante omnia corruptionem librorum novi Testamenti probaturus locum Victoris Tununensis produxit, qui ita in Chronico: *Messalla Consule, Anastasio Imperatore jubente, sancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehenduntur & emendantur.* Hæc verba cum ex *Liberati Diaconi Breviario* C. XIX. egregie explicasset laudatissimus Bentlejus, id maxime reprehendit

hendit in Collinſio, quod vocem ἰδιώτης vel *idiota* peſſimè tranſtulerit & popularem ſenſum, qui hodie in uſu eſt, genuino ſubſtituerit. Vide ipſius Obſervationes, quas ſub Phileleutheri Lipſienſis nomine edidit p. 80. Cæterum antiqui Patres id [*p* 21.] præcipue urgent, quod illiterati atque indocti facilius ad Evangelium credendum moveri potuerint, quam docti & Philoſophi. Hi enim ambitione turgentes & ſapientia inflati, quam poſſidere ſe ſine ulteriore inquiſitione arbitrantur, ſpernunt *verbum de cruce*, quod *ſcandalum* ipſis eſt & *ſtultitia* 1. Cor. I, 18. 23. Unde & *cœlum rapiunt indocti*, qui vera humilitate præditi Spiritus ſancti operationem internam carnali ſapientia non impediunt. Egregie Irenæus alibi: *Qui ergo relinquunt præconium Eccleſiæ, imperitiam Sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris ſit idiota religioſus à blaſphemo & impudente Sophiſta.* L. V. C. XX. §. 2.

ὀλιγομαθεῖς) Hæc in ruborem convertere debent ex doctis multos, qui eruditione ſua elati atque ſcientia tumentes omnia ad rationis ſuæ modulum exigere, & quæ *futuro reſervantur ſeculo*, comprehendere cupiunt, ignorantes, eos qui perſpecta intellectus humani imbecillitate ingredi in myſteria non audent & qua par eſt animi humilitate ea admirantur atque ignorantiam ſuam profitentur, divinæ fidei longe propiores eſſe. Atque his commendandum eſt Caput XXVIII. L. II. adv. hær. ubi §. 3. ita Irenæus: *Si & in rebus creatis quædam ad ſolum Deum pertinent, quædam ad noſtram quoque cognitionem pervenerunt, quid mirabere ut difficile, ſi in iis quoque, quæ in Scripturis quæruntur, cum Scriptura* [*p* 22.]

*omnis sit spiritualis, nonnulla quidem gratia divina resolvamus, nonnulla verò soli reservata maneant Deo neque in præsenti modo seculo, sed & in futuro, ut semper quidem doceat Deus, homo verò perpetim à Deo discat.*

γενεαλογίαις ταῖς ἀπεράντοις) Respicit Irenæus ad 1. Tim. I. 4. Sunt qui putent, rejici heic ab Apostolo inanes disputationes Judæorum de Genealogiis in Vet. Test. occurrentibus. Alii ad systema αἰώνων Valentinianum putant digitum intendi, cujus prima jam fundamenta tempore Apostolorum jecisse potuerant hæretici. Conf. Clar. Vitringæ Observ. Sacr. L. I. C. II. p. 129. sqq. Nec dubito, huc saltem Irenæum respexisse. Quod si ita est, non ad Valentinianos solum accomodari possunt γενεαλογίαι illæ ἀπέραντοι sed & ad ipsam Judæorum Cabbalam antiquiorem omnino quam vulgo creditur. Hinc enim sua hausisseGnosticos & à Gnosticis Valentinum arbitratur Vir doctissimus Jo. Franciscus Buddeus in Diss. de Hæresi Valentiniana §. 15. sqq. cujus quidem hypothesin refutandam sibi sumsit Clariss. MassuetusDiss. I. in Iren. Art. 1. n. 5. §. 21. qui à Pythagoricis præsertim [*p.23.*) & Platonicis fontibus Valentini αἰῶνας derivat §. 25. ubi & Ægyptios simul Philosophos nominat, è quorum lacunis Valentinianum prodiisse systema censet Reverendissimus Georgius Hooperus, Episcopus Bathoniensis & Wellensis in conjecturis de Valentinianorum hæresi Londini ante triennium excusis. Quicquid autem hujus sit; hanc enim controversiam nunc examinare instituti nostri non est; γενεαλογίαι illæ ἀπέραντοι vel maxime ταῖς ספירות arborique Cabbalisticæ videntur congruere. Conf.

Jo.

Jo. Michael Langius de Genealogiis Judæorum nunquam finiendis. Cæterum nos haud latet, Viros doctissimos magna in Theologia Cabbalistica mysteria quærere, maxime in isto Sephirotarum systemate. Ingeniosa etenim oppido sunt, quæ post Henricum Morum & Christianum Knorrium hanc in rem inter recentiores nobis dedere Viri Clarissimi, Campegius Vitringa & Jo. Franc. Buddeus, ille in Observationibus Sacris, hic in elegantissima ad Philosophiam Hebræorum Introductione. Sed hac maxima difficultate laborant ipsorum explicationes, quod Judæos non habent consentientes, qui in alia omnia abeunt. Cæterum hæc Cabbalæ mysteria naso adunco suspendit Thomas Burnetus in Archæol. Philosoph. L. I. C. VI.

ἀποτύχωσι τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ) Eundem fere in modum Irenæus alibi scribit: *quoniam absque spiritu Dei salvari haud possumus, ad* [*p.24.*] *hortatus nos Apostolus, ut fide ac sancta conversatione Spiritum Dei conservemus, ac hoc ipso non destituti regnum cœlorum consequamur, exclamavit: haud posse carnem per se regnum Dei sanguine hæreditare.* cont. hæres. L. V. C. 9. §. 3. Græca hæc ex Jo. Damasceni Parallelis exscripta Halloixius in vita Irenæi edidit & Basilius quoque habet de Spiritu Sancto C. 29. monente Massueto p. 303. nisi quod Basilius ponat θείου πνεύματος, quod & in nostris exstat.

ἀκολουθῆσαι τῷ Χριστῷ ) Hæc sane lex Christianismi fundamentalis est, quam nisi observaverimus, dignitate Christianorum præmioque excidimus. Exstat in Pandectis Sacris passim. Vide Matth. XVI, 24.

εἰς τελειότητα φέρονται ) Conf. Hebr. VI. 1.

πρῶτον ζητοῦντες ) Vide Matth. VI. 33.

οὐκ ἀφεθήσονται ) Forsan alludit hîc Irenæus ad Luc. XVII. 34. sqq.

## *FRAGMENTUM SECUNDUM.*

[*p.25.*]

Εἰρηναίου.

Οἱ ταῖς δευτέραις τῶν ἀποστόλων διατάξεσι παρηκολουθηκότες ἴσασι, τὸν Κύριον νέαν προσφορὰν ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ καθεστηκέναι κατὰ τὸ Μαλαχίου τοῦ προφήτου. Διότι ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσάγεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά, ὥσπερ καὶ ὁ Ἰωάννης ἐν τῇ ἀποκαλύψει λέγει. Τὰ θυμιάματα εἰσὶν αἱ προσ- [*p.26.*] ευχαὶ τῶν ἁγίων, καὶ ὁ Παῦλος παρακαλεῖ ἡμᾶς παραστῆσαι τὰ σώματα ἡμῶν θυσίαν ζῶσαν,

*Irenæi.*

QUi ultimas Apostolorum constitutiones assecuti sunt, ii norunt, Dominum in Novo Testamento novam instituisse oblationem secundum dictum Malachiæ Prophetæ. Propterea *ab ortu solis & usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus & in omni loco suffitus offertur nomini meo & victime munda*, uti & Johannes in Apocalypsi dicit: *suffitus sunt preces sanctorum*, & Paulus hortatur, ut *sistamus corpora*

ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν. καὶ πάλιν. ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως τουτέστι καρπὸν χειλέων. Αὗται μὲν αἱ προσφοραὶ οὐ κατὰ τὸν νόμον εἰσὶ, οὗ τὸ χειρόγραφον ἐξαλείψας ὁ κύριος ἐκ τοῦ μέσου ἦρκεν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, ἐν πνεύματι γὰρ καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν τὸν Θεόν. Διότι καὶ ἡ προσφορὰ τῆς εὐχαριστίας οὐκ ἔστι σαρκικὴ ἀλλὰ πνευματικὴ καὶ ἐν τούτῳ καθαρά. Προσφέρομεν γὰρ τῷ Θεῷ τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, εὐχαριστοῦντες αὐτῷ, ὅτι τῇ γῇ ἐκέλευσε ἐκφύσαι τοὺς καρποὺς τούτους εἰς τροφὴν ἡμετέραν καὶ ἐνταῦθα τὴν προσφορὰν τελέσαντες ἐκκαλοῦμεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὅπως ἀποφήνῃ τὴν θυσίαν ταύτην καὶ τὸν ἄρτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὸ πο-

*ra noſtra victimam viventem, ſanctam, beneplacitam Deo, rationalem cultum noſtrum.* Et rurſus : *offeramus victimam laudis, hoc eſt fructum labiorum.* Nam hæ oblationes non ſecundùm legem ſunt, cujus chirographum delens Dominus è medio ſuſtulit, ſed ſecundùm ſpiritum, nam in ſpiritu & veritate oportet adorare Deum. Quapropter oblatio Euchariſtiæ etiam non carnalis ſed ſpiritua- [*p.27.*] lis eſt & in hoc munda. Offerimus enim Deo panem & poculum benedictionis, gratias agentes ipſi, quòd teræ mandaverit progignere hos fructus ad noſtrum nutrimentum, & poſtea fini-

τήριον τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ἵνα οἱ μεταλαβόντες τούτων τῶν ἀντιτύπων τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν καὶ τῆς ζωῆς αἰωνίου τύχωσιν. Οἱ οὖν ταύτας τὰς προσφορὰς ἐν τῇ ἀναμνήσει τοῦ Κυρίου ἄγοντες οὐ τοῖς τῶν Ἰουδαίων δόγμασι προσέρχονται ἀλλὰ πνευματικῶς λειτουργοῦντες τῆς σοφίας υἱοὶ κληθήσονται.

[p. 28.]

finita oblatione, invocamus Spiritum S. ut exhibeat hanc victimam & panem Corpus Christi & poculum Sanguinem Christi, ut, qui hæc antitypa accipiunt, remissionem peccatorum & vitam æternam consequantur. Illi itaque, qui has oblationes in recordatione Domini agunt, non sanè Judæorum institutis accedunt, sed spiritualiter sacra facientes sapientiæ filii vocabuntur.

## *NOTÆ.*

Εἰρηναίου) Hoc fragmentum quò pertineat, & quonam in libro S. Irenæi extiterit, determinare non ausim. Certe in libris contra hæreses non exstat. Unde idem hîc repeto, quod de priore fragmento pronunciavi.

ταῖς δευτέραις τῶν ἀποστόλων διατάξεσι) Hæc verba ostendunt, nisi fallor, multa Apostolos

in

in Ecclesia abs se plantata adornasse; quæ in Evangeliis litterisque ad nostra tempora conservatis non exstant. Quod uti de articulis fidei nullatenus affirmaverim, quorum sufficiens datur in libris novi Testamenti Canonicis notitia, ita ad solas cærimonias cultumque externum restringo. Qui quemadmodum pro ratione circumstantiarum in diversis Ecclesiis diversus variusque fuit, ita & credibile omnino est, ipsas has Apostolorum διατάξεις varias subinde diversasq; exstitisse. Alludit hùc, ut arbitror, D. Paulus [*p.29.*] 1.Cor.XI.34.ubi: Τὰ δὲ λοιπὰ ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι. *Cætera verò ubi advenero, ordinabo.* Quænam autem hæ fuerint διατάξεις, id quidem incertissimum est. Si quid tamen conjecturæ dandum, δεύτεραι illæ τῶν Ἀποστόλων παραδόσεις ex Primitivæ Ecclesiæ monumentis, quæ seculis tribus prioribus ab erecta Ecclesia Christiana exarata sunt, hauriri debent, ita tamen, ut certa ab incertis & conjectura probabilis à demonstratione, nulla cum formidine oppositi conjuncta omnino sit distinguenda. Nemo nescit, traditiones olim traditionibus fuisse oppositas. Quod non solum ab hæreticis contra orthodoxos factitatum, hi enim ipsi quoque mutuis traditionibus se impugnârunt invicem. Quas cum discernere difficile admodum sit, id sane videtur esse optimum & rationi maximè congruum, judicium suspendere, ubi pronunciare aliquid atque pro certo venditare haud licet. Cæterum, si Patres consulamus, ii mox ad Scripturam solam, mox ad traditionem provocant non scriptam Scripturæ adjungendam, ita, ut ex eorum effatis nihil certi derivari possit. Hæc in unum collecta Dionysius Petavius præfixit egregio Theol.

 dogm.

dogm. Operi Prolegom. C. I. & II. inque eam nos deduxit opinionem, ut credamus, ex Patribus heic in utramque partem disputari posse. Est inter Protestantes Henricus Dodwellus, qui in Dissert. in Ire-
[p.30] næum sibi probandum sumsit, traditiones Apostolorum puras conservatas fuisse usque ad tempora S. Irenæi, quia Episcopi Christiani usque ad Sec. II. Spiritu Prophetico & inspiratione divina fuerint prædití. Hæc gratis dici quivis videt, vidissetque etiam Dodwellus, Vir doctissimus, sed judicio non æque pollens, si saltem considerasset, ipsum Irenæum falsas traditiones pro veris venditasse. Quod haud difficili opera, ut arbitror, potest demonstrari. Ita L. II. C. 22. statuit Vir sanctus, Christum jam seniorem, id est, ut ipse explicat. quadragenario majorem imò prope quinquagenarium passum ac mortuum fuisse. Hoc ut probet, post alia traditionem S. Johannis & Apostolorum allegat. Ast fictam hanc falsamque penitus esse, nemo est qui ex ipsis traditionum propugnatoribus diffiteatur, candideque heic sententiam suam pronunciavit Clariss. Massuetus: *Nec illud cæteris validius argumentum est, quod ab auctoritate seniorum, qui Apostolos viderant, Ireneus repetit. Nam præterquam quod de nomine & auctoritate seniorum illorum non constat, & ab uno forte Papia, homine, ut ait Eusebius, pertenuis ingenii, nec eorum, quæ ab Apostolis audierat, sensum semper assequuti, cujus tamen fidei plus æquo tribuebat Irenæus, id accipere potuit, quod narrat: illud tantum à senioribus illis, quicumque tandem sint, audierat, non Christum*
[p.31.] *anno ætatis ferè quinquagesimo passum esse, sed declinantem jam in seniorem ætatem mortuum esse: quam senilem ætatem ex arbitrio & disputatio-*

nis

*nis astu paulo longius quam par fuisset, ab hæreticorum sententia discedens, postmodum interpretatus est.* Diss. III. in Iren. Art. VI. §. 71. Cæterùm, uti fieri solet, semel arrepta falsa traditione, alii errores sequuntur. Irenæus enim, quem non latuit, Christum anno ætatis 30. baptismum suscepisse, triaque duntaxat à baptismo Paschata celebrasse, aut traditioni suæ de anno Christi emortuali contradicere necessum habuit, aut statuere, Christum non statim post baptismum Doctoris munere functum, triaque illa Paschata demum ab eo anno esse incipienda, quo docere cœpit, uti laudatus Massuetus arbitratur l. c. §. 72. qui Antonii Pagii infelicem conjecturam simul refellit, quam in Critica ejus Historico-Chronologica in Annales C. Baronii T. I. p. 25. ad A. C. 32. n. 5. legere est. Existimat enim Vir doctus *corrupta* esse *& insititia*, quæ apud Irenæum de seniore Christi ætate legantur. Quod si ita est, totum Caput XXII. Libri II. esset avellendum, & ipsius quoque Eusebii Græca essent spuria, quæ L. III. Hist. Eccl. C. 23. exstant: *Et omnes in Asia qui sunt Presbyteri, testantur uno ore de Johanne Discipulo Domini, Johanem ista tradidisse.* Quinimo necessum erat, ut hæc diceret Irenæus, probaturus [*p.32.*] contra Gnosticos, Christum omnes ætates sanctificâsse, quod egregie observatum fuit à Jac. Basnagio Hist. Eccl. L. IX. C. V. §. 8. f. 477. Hæc prima traditio falsa est, quæ ab Irenæo sit recensita. Succedat altera de die Paschatis, ubi Irenæus traditionem S. Johannis, Polycarpi, Melitonis Ecclesiæque Asiaticæ veram credidit, juxta quam ipsa decima quarta luna post æquinoctium vernum id celebrandum erat, in quamcunque demùm hebdomadis feriam incideret.

Conf.

Conf. Euſ. Hiſt. Eccl. L. V. C. 24. Niceph. Hiſt. Eccl. L. IV. C. 39. Aliter Romana cenſuit Eccleſia, ne Judaicos ritus imitari videretur, diemque dominicam Paſchati deſtinabat, quæ decimam quartam lunam proximè ſequeretur, traditione itidem Apoſtolica Petri & Pauli nixa. Jam qui Romanæ Eccleſiæ ſunt addicti, Aſiaticorum ipſiusque Irenæi traditionem vocabunt in dubium, ut Romanam amplectantur, qui verò penitius rem conſiderabunt, utriusquè incertitudinem exinde potius concludent. Terrenum rurſus juſtorum cum Chriſto regnum poſt reſurrectionem ſtatuit Irenæus, provocans ad traditionem Papiæ, qui fuerit *Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος*. L. V. C. 32. ſqq. Hanc traditionem & vetus rejecit Eccleſia & moderna univerſa rejicit Romana ipſa, traditionum cuſtos. Omne crimen conjicitur in Papiam, qui ut Euſebius ait Hiſt. Eccl. L III. C. 39. [p 33.] Vir fuit *σφόδρα μικρὸς τὸν νοῦν*. Et huic Viro Irenæus credidit, his traditionibus olim fides data eſt, quæ à *σφόδρα μικροῖς τὸν νοῦν* fuere propagatæ. Unde Maſſuetus: *Iſta, ut & alia, quæ retuli, nævi ſunt, quos contraxit Irenæus ex nimia in Seniores illos, quos identidem citat, veneratione.* Diſſ. III. Art. XI. §. 122. Porrò L. IV. C. XVI. §. 2. & C. XXXVI. §. 4. itemque L. V. C. XXIX. §. 2. aſſerit idem, *Angelos transgreſſos decidiſſe in terram in judicium*, ibique hominibus commixtos hoc eſt mulierum captos ſpecie cum iis ſtupri conſuetudinem habuiſſe, quæ eadem ſententia monente Maſſueto Diſſ. III. Art. IX. §. 102. fuit Juſtini Martyris, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Lactantii omniumque fere aliorum, traditionem Eccleſiaſticam efficiens, ſi quidem conſenſus Patrum eam efficere poſſit,

ſit, ſed talem inſuper traditionem, cujus falſitas extra omnem controverſiæ aleam ſit poſita. Unicum eſt, quod ex Irenæo adhuc addimus. Fabulam Ariſteæ de verſione LXX. Interpretum Græca adoptat Vir Sanctus. Hanc *κατ' ἐπίπνοιαν τοῦ θεοῦ* conſcriptam eſſe arbitratur L. III. C. 21. quæ opinio unanimi olim conſenſu apud omnes quatuor priorum ſæculorum Patres veteresque Judæos recepta fuit, ab eruditis verò nunc ridetur exſibilaturque. In vanum nunc pro tuenda Ariſteæ hiſtoria allegaveris Juſtinos Martyres, Irenæos, Tertullianos, Clementes Alexandrinos aliosque veteres, queis ſua ſemper laus ſuaque autoritas manet. [*p.34.*] Unde egregie hic, ſi unquam, Maſſuetus: *Satis eſt nobis, ſi vanæ credulitatis argui non poſſit Irenæus*; quod ut arbitror, nemo dicet, qui ſacræ antiquitatis reverentia tangitur; *utpote, qui ſententiam amplexus fuerit, quam ſuo tempore, re nondùm ad* CRITICÆ LEGES *exacta, Chriſtiani omnes tuebantur.* Diſſ. III. in Iren. Art. I. §. 9. f. CX. Itaque ad *Criticæ leges exigendæ ſunt* Patrum traditiones, ut veritas earundem cognoſci queat. In quo utique omnes habebit conſentientes Vir doctiſſimus, qui in re religionis diſcernenda judicio ſuo uti norunt. Atque hæc exempla monſtrant, traditiones jam Seculo II. poſt C. fuiſſe dubias, incertas, falſas itidem pro veris admiſſas, non à plebe ſolum ſed & eruditis, imo ipſis Patribus & Irenæo. Si autem Sec. II. eædem incertæ jam exſtitere, quid de noſtris dicendum temporibus & de XVIII. Seculo, quod poſt C. N. agimus, ubi certe majorem incertitudinis gradum addidit antiquitas. Si autem traditiones ſunt incertæ, non ſunt neceſſariæ, non ſunt fundamentum fidei, non pari pietatis affectu cum S. Scripturæ ſunt reci-

recipiendæ. Id quod erat demonſtrandum. Aſt ajunt, qui contrariam tenent ſententiam, certa dari κριτήρια, ex quibus traditionum veritas queat demonſtrari. Præcipuum eſt, quod ex Auguſtino alle- [p.35.] gant. Ita enim ille: *Quod univerſa tenet Eccleſia nec à Conciliis inſtitutum ſed ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* L. IV. de baptiſmo contra Donat. C.24. & L. V. C.23. eadem ferè ponit: *Quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquàm ſcripta non reperiantur.* Id quod ad nauſeam uſque repetit * Vincentius Lirinenſis in Commonitorio adverſus profanas omnium hæreſium novationes, homo Semipelagianus, qui, quæ Auguſtinus de ritibus & diſciplina præcipuè dixit, ad dogmata fidei perverſo ſenſu applicavit. Sed ſufficit, Auguſtinum heic à nobis poſtulare id, quod noſtris ſaltem temporibus factu eſt impoſſibile. Quùm enim Veteris Eccleſiæ pauciſſima omninò habeamus monumenta, quùm inter primitivos Patres ſcripſerint pauciſſimi, quùm maximè in tribus prioribus ſeculis magni in Hiſtoriâ dogmatum dentur hiatus, quùm tot ſuppoſititia pro genuinis data nobis ſint, ut certitudo hiſtorica heic plurimùm vacillet, quùm ipſis tribus poſt Chriſtum natum ſeculis magna Patrum exiſtat diverſitas in explicandis articulis fidei, ex quibus ſolum de Deitate Chriſti ipſi- uſque

* Vinc. Lir. in Commonit. haud longè poſt initium: In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, & paulo ante: oportet fidem munire primo divinæ legis autoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

uſque ὁμοȣσία cum Patre atque æternitate nunc nominamus, quùm denique haud ſequatur, ea, in quibus Patres antiquiſſimi conſentiunt, & ante eos ſemper credita atque obſervata fuiſſe, utpote quæ fingi & inſtitui ab iis poterant, qui ipſos anteceſſerunt, [*p.36.*] omninò arbitramur, ipſam hanc Auguſtini regulam certitudinem traditionum Apoſtolicarum haud firmare. Sunt præterea in Patribus & multa obſcurè poſita, quæ in utramque partem poſſunt explicari, & ex quibus nulla deduci poteſt traditio. Proinde in illorum libris incaſſum quærimus deciſiones controverſiarum, quæ hodie Chriſtianos ſeparant. Quî enim illi lites noſtras decidere potuere, qui noſtrarum Controverſiarum Statum, quem vocant Polemici ſcriptores, ignoraverunt? Inde & in utramque partem allegari Patres videmus à diſſentientibus, ſemperque his omnibus applicari poteſt, quod de Joanne Chryſoſtomo occaſione Pædo-Baptiſmi dixit S. Auguſtinus: *Vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur.* L.I. cont. Julianum C. 6. Quinimo & ad ſucceſſionem doctrinæ provocare videmus tùm veteres tùm recentiores hæreticos, Arianos maximè, quorum numerum quotidie creſcere cum dolore animadvertimus. Non ſane hæc arma ſunt, queis veritas ſuffulciri queat, non allegandi ſunt homines, quos falli potuiſſe omnes credunt, ut ex eorum conſenſu autoritas traditioque Apoſtolica conſletur. Fuerant ſane olim, quæ non à Conciliis demum tradita ſed ſemper retenta erant creditaque ab omnibus, aſt ficta tamen erant traditionumque Apoſtolicarum nomen ementita. Errorem de regno millenario intelligo, fabulam illam de verſione LXX.

In-

Interpretum aliaque, quæ huc transferre non attinet,
[*p.37.*] ab omnibus olim & ubique credita, si ex iis, quæ nobis restant, monumentis ita liceat concludere. Porrò juxta dictum Augustini quævis traditio incerta reddi posset, cui Ecclesia, saltem particularis contradiceret. Id quod ipsa Ecclesia Romana haud admittit. Hâc etenim ratione omnes illi articuli incerti forent, de quibus inter Romanam Græcamque Ecclesiam controvertitur. Non enim ubique & ab universa Ecclesia retenti fuere. Cæterum in verbis Augustini id notatu quoque dignum occurrit, quod traditiones Apostolicas ab institutis Conciliorum videatur distinguere, cùm, quæ ab his decisa fuere, in numerum Apostolicarum traditionum Romana referat Ecclesia. Sed tot responsionibus utique vix opus est, ut arbitror. Est enim quæ totam rem conficit. Ait Augustinus, *quod universa teneat Ecclesia semperque retentum sit, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissime credi.* Hîc Ecclesiam primitivam, ipsosque Apostolos eorundemque scripta excludi ab Augustino in mentem inducere meam haud possum. Si itaque in his nullum doctrinæ quæ traditur, inveniri queat vestigium, aut si quæ isti scripsere, diversa sint ab iis, quæ sub nomine traditionis Apostolicæ proponuntur, evidens est, non dici posse, quod hæc universa semper tenuerit Ecclesia. Atque hac ratione genuinus Augustini verbis sensus & veritati con-
[*p.38.*] gruus dari potest. Denique id unum loco omnium monemus. Universa olim Ecclesia oblationem donorum consecrandorum à laicis faciendam tenuit *, universa olim Ecclesia à fidelibus

* Ab annis amplius 400. desita est offerri à *laicis* mate-

libus diſtinxit Catechumenos; univerſa olim Eccleſia Diſciplinam arcani tenuit, quæ abrogata poſtmodùm fuit, nec amplius ullibi ne in Eccleſia quidem Romana obſervatur, niſi cum quibuſdam in eam velimus deſcendere ſententiam, ad Diſciplinam arcani pertinere, quod Miſſæ ſubmiſſa voce dicantur *, & quòd S. Scripturæ lectio laicis aut non permittatur aut ſaltem diſſuadeatur. ** Sed hoc poſterius quidem nemo cordatus faciet, prius verò in Eccleſia primitiva non fuit factitatum, quæ ſonora voce ſacra celebravit. Tenuit itaque olim univerſa Eccleſia & retinuit, quæ hodie abrogata ſunt & proſcripta. Aut itaque erravit S. Auguſtinus, aut Eccleſia Romana obſervare deſiit ea, quæ ſunt traditionis Apoſtolicæ. Quod cùm ita ſit, nulla tamen ratione affirmamus, traditiones hiſtoricas aut cultum externum cærimoniaſque Eccleſiaſticas ſpectantes haud dari, inde à primis temporibus uſque ad poſteriora ſæcula propagatas. Has, ubi è genuinis antiquitatis Eccleſiaſticæ documentis probatæ demonſtratæque fuerint, nec recentioris cujuſdam,

Rr que-

ria ſacrificii. Vide Mabill. Comm. in Ord. Rom. p. 46. T. II. Muſ. Ital.

* Ita uſus nunc obtinet in Eccl. Romana, ut Canon ſubmiſſa dicatur voce. Hunc Janſeniſtæ ante aliquot annos mutavere, Canonem ſonora voce dicentes. Quos cùm refutâſſet Vallemontius, in Bibl. Aut. Eccl. reſpondit du Pin; cui rurſus aliqua repoſuit Vallemontius, cujus ſententiam & poſteà defendit libello quodam Epiſcopus Sueſſionenſis. Janſeniſtarum ſententiam quoque defendit Claudius de Vert.

** Neminem tamen hactenus vidi, qui ex diſciplina arcani hoc derivet. In veteri autem Eccleſia Catechumenis ſcriptura haud permittebatur legenda.

quocunque in fastigio is demum positus fuerit, inventioni aut novellæ etiam multorum licet doctissimorum [p.39.] Virorum decisioni ortum debeant, ambabus manibus amplectimur. Ut autem ad rem ipsam, de qua nunc dicendum, perveniamus, si quid est, quod ad διατάξεις Ἀποστολικὰς referri posse arbitramur, sunt sane ea, quæ in hoc Irenæi, quod damus, fragmento exstant, & quæ duobus fere capitibus comprehenduntur. Sistit enim Sanctissimus Lugdunensium Episcopus tùm Veteris Ecclesiæ Oblationem eucharisticam tùm Consecrationem Eucharistiæ ob oculos verbis clarissimis & penitiore consideratione dignis. Confirmant quæ Irenæus hîc refert, illa, quæ in libris contra hæreses posuerat, quæ Constitut. Apostol. L. VIII. memorant, quæ Justinus item Martyr aliique veteres de Eucharistia veterum tradidere. Id quod luculentum omnino veritatis est testimonium hasque, quas ita vocare liceat, διατάξεις ab omni fraudis & suppositionis suspicione vindicat.

παρηκολουθηκότες) Ubique Irenæus, uti hactenus vidimus, Φράσιν in Novi Testamenti libris usitatam imitatur. Quod & hîc fit. Ita enim Lucas initio Evangelii: ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς. Luc. I. 3.

νέαν προσφορὰν) *Novam oblationem.* Scilicet hæc S. Irenæi veterumque doctrina est, quam in libris adversus hæres. luculenter idem asserit. Ita [p.40.] enim L. IV. C. 17. §. 5. *Dominus noster suis discipulis dans Consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum: & calicem*

*licem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. Et novi Testamenti* NOVAM DOCUIT OBLATIONEM, *quam Ecclesia* AB APOSTOLIS ( harum etenim δευτέραι διατάξεις in fragmento nostro allegantur ) *accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris; quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offeretur ei & hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.* Et l. c. §. 6. hæc adjunguntur: *Quoniam nomen Filii proprium Patris est, & in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia; bene ait secundum utraque, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum. In-* [*p. 41.*] *censa autem Joannes in Apocalypsi Orationes esse ait sanctorum.* Denique C. 18. §. 5. ista ponuntur: *Offerimus ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis ha-*

 *bentia.*

*bentia.* Hæc quæ prolixa ſunt, eum in finem haud decurtata poſuimus, ut Irenæi mens eo clarius pateret. Obſervamus autem *primò*, juxta Irenæum oblationem Euchariſtiæ mandatam fuiſſe diſcipulis ab ipſo Chriſto. Id quod in Evangeliis κατὰ ῥητὸν non exſtat, nec in Epiſt. prima Pauli ad Cor. ubi traditionem Domini, plenam ut arbitror nullaque ſui parte privatam dat Apoſtolus. Idem hoc videtur contrarium eſſe fragmento noſtro, ubi ſanctiſſimus Epiſcopus ad δευτέρας διατάξεις τῶν Ἀποστόλων perſpicue ſatis provocat. *Secundò* non oblationem ſolùm Euchariſticam à Domino mandatam fuiſſe diſcipulis ait Irenæus, ſed & *oblationem primitiarum ex ejus creaturis.* Hæc verba attentione digna ſunt. Ex his enim ſequitur, nec legem de primitiis in veteri Teſtamento datam fuiſſe abrogatam in novo, ſed vetus inſti- [p. 42.] tutum retentum, nec confici poſſe euchariſtiam niſi ex frugum primitiis, ſi literam Irenæi premas. Denique, ut omnem ſententiam noſtram heic exponamus, norunt, qui traditioni Eccleſiaſticæ dedere operam, à pluribus Conciliis ſtatutum fuiſſe, ne primitiæ aut alii fructus promiſcui ad altare offerrentur. Vide Can. Apoſt. III. & Can. XXVIII. Conc. Trullani, queis addi poteſt Concil. Carthag. A. CCCXCVII. habitum, ubi inter alia primitiarum quoque oblatio expreſſis terminis proſcribitur, uti videre eſt ex Cod. Can. Eccl. Afriç. C.37. p. 1067.* & Mar-

* Ita etenim Concil. Africanum: Primitiæ verò ſeu mel & lac, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut à ſacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur.

Martini Bracarensis Collect. Can. c.55. Conc. T. V. f. 911. Verba Canonis Apostolici intimant, quæ præter panem & vinum offerantur ad altare, offerri *præter Domini constitutionem de sacrificio, quam dedit.* Additur tamen exceptio *præter novella tritici grana aut spicas frumenti sive uvas*, quæ in altari offerri adhuc poterant, ad altare verò juxta Can. IV. *oleum in sanctum candelabrum & suffimentum tempore oblationis divinæ.* Ast Can. V. expresse de primitiis hoc cautum est: *omnes verò alii fructus autumnales domum mittantur, primitiæ episcopo offerantur ac presbyteris, at non ad altare: manifestum autem, quod Episcopus ac Presbyter distribuant etiam Diaconis ac Clericis reliquis.* Hæc verba omnino videntur esse decisiva, ut demonstretur, creditum fuisse apud veteres, primitias in altari juxta Christi [p. 43.] institutionem haud offerendas esse. Consentiunt Constit. Apost. L. VIII. C. 30. ubi recensetur διάταξις Matthæi περὶ ἀπαρχῶν καὶ δεκατῶν. *Porro præcipio, omnes primitiæ ut offerantur Episcopo ac presbyteris & Diaconis in ipsorum alimoniam, nec non ut decimæ omnes afferantur ad nutrimentum reliquorum Clericorum & virginum ac viduarum eorumq; qui rerum omnium egestate certò laborant. Primitiæ enim Sacerdotum sunt ac Diaconorum ipsis ministrantium.* Eadem fere exstant in Constit. Apost. L. II. C. 25. *Quæ juxta præceptum divinum redduntur decimæ ac primitiæ, eas ut Dei homo consumat.* Additur ratio, quia & *Levitæ tabernaculo assidentes omnium, quæ ab universo populo in oblationem Dei tradebantur, & munerum & reliquiarum & primitiarum & decimarum & sacrificiorum & oblatio-*

*tionum participes erant*, latiusque hæc omnia explicantur ad finem capitis: *quæ ante dicta sunt auribus nunc percipe. Reliquiæ ac decimæ & primitiæ sunt Christi summi sacerdotis & iis, qui ei ministrant. Decimæ initium nominis salutaris sunt.* Quibus verbis antiquissima recensetur traditio sed mysterio involuta, quod intellectu difficile est: ἀρχὴ σωτηρίε ὀνόματος est ι vocis nempe Ἰησῦς. Litera enim ι decimum numerum significat. Hinc δεκάτας esse ἀρχὴν nominis Jesu dixit Autor Constitut. Apostol. Sequitur: *quæ olim primitiæ erant ac decimæ & reliquiæ ac dona, nunc sunt oblationes, quæ per sanctos* [*p.* 44.] *Episcopos Domino Deo offeruntur per Jesum Christum.* Ostendunt hæc, eum, qui ista scripsit, hæc dum posuit verba, credidisse, nullum omnino in novo Testamento esse sacrificium, sed in locum sacrificiorum Vet. Test. successisse nonnisi preces, in locum primitiarum verò & decimarum oblationem Episcoporum, illam puto, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinet. Addi possunt ea, quæ l. c. C. 27. exstant: *Oportet igitur & vos, fratres, sacrificia vestra & oblationes Episcopo offerre tanquam summo Sacerdoti, aut per vos ipsos, aut per Diaconos, non vero illa tantum sed & primitias ac decimas & spontanea ipsi afferte.* Cap. 20. de Agape ita: *Separetur autem in convivio id quod more recepto Pastoris est, dico verò ex primitiis, tanquam Sacerdotis, etiam si convivio non intersit,* Et C. 34. *Offerentes ei vestras primitias ac decimas & munera ac dona, eiq; ut sacerdoti Dei porrigentes primitias frumenti, vini, olei, fructuum autumnalium ac omnium, quæ Dominus Deus vobis suppe-*

*suppeditat. Et erit tibi oblatio tua accepta in odorem fragrantiæ apud Dominum Deum Tuum.* Harum deinde oblationum necessitas C. 35. urgetur. Hinc omninò liquet, primitias à laicis oblatas destinatas fuisse in primitiva Ecclesia in usum Cleri, non autem ad conficiendam Eucharistiam. Adde L. VII. C. 29. Certis tamen precibus eædem ipsæ con- [*p. 45.*] secrabantur. Formula etenim oblationis primitiatum hæc in Constit. Apost. L. VIII. C. 40. legitur: *Gratias Tibi agimus, Domine omnipotens, Creator omnium ac conservator! per unigenitum filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, pro oblatis tibi primitiis, non quantum debemus, sed quantum possumus. Quis enim hominum gratias tibi condignè potest agere pro iis, quæ nobis dedisti in perceptionem . . . . . Qui verbo tuo ad finem omnia perduxisti terramque omnigenas fruges proferre jussisti ad lætitiam ac alimoniam nostram, qui das . . . . nobis frumentum & ad cibum idoneum variumque nec non alia plura, quorum quædam faciunt ad usum, quædam ad sanitatem, & quædam denique ad delectationem. Pro hisce igitur omnibus collaudatus sis, qui beneficiis tuis cunctos mactas.* Hæc dum scribimus, in mentem venit S. Irenæum in ipso hoc, quod damus, fragmento iisdem fere verbis uti in oblatione Eucharistiæ sive donorum Eucharisticorum, quibus utuntur Constitutiones Apostolicæ in oblatione primitiarum. Ita enim in sequentibus: *Offerimus enim Deo panem ac poculum benedictum gratias ei agentes, quod terram progerminare jusserit fruges hasce in alimentum nostrum.* Eadem propemodum est primitias offerendi formula, quæ in S. Gregorii Libro Sacram. p. 250. [*p. 46.*] observatur: *Domine, qui cœlum & terram & omnia crea-*

*creâsti, te supplices quæsumus, ut hunc fructum novum benedicere & sanctificare digneris & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini, ut lætantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias.* Haud itaque in dubium vocari potest primitiarum oblatio in Ecclesia primitiva cum precibus conjuncta. Pium certè fuisse primitias Deo offerendi institutum arguit Gregor. Nazianz. ὅτι γὰρ αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ καὶ τὰ ἡμέτερα. Epist. 80. ad Aërium & Alypium. Ita & Origenes contra Celsum L. VIII. p. 400. ᾧ δὲ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδομεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν. Inde & in Euchologio Græcorum εὐχὴ περὶ τῶν προσφερόντων ἀπαρχὰς, εὐχὴ ἐπὶ τῶν καρποφορούντων, atque, ubi in Canone Apost. III. sqq. dicitur, non offerenda esse in altari nisi panem & vinum, alium omnem fructum in domum Episcopi mittendum, addit versio Arabica: *& benedicat ei Sacerdos precibus ei præscriptis.* Nec malè addit Scholiastes in Codice Anglicano, *hunc primitias & dona offerendi ritum è lege Mosaica petitum esse*, notante Beveregio. Id enim infra de omni oblationis ritu observabimus. Ita tamen hæc omnia sunt intelligenda, ut oblatio

[*p. 47.*] primitiarum ab oblatione donorum eucharisticorum semper distinguatur, cùm abusum hunc abrogent, uti notavimus, Concilia, quo tum primitiæ tùm sacra Symbola in altari oblata fuere. Allegavimus Conc. Trullanum, quod C. 28. oblationem uvarum quoque prohibet & Can. 57. mel & lac offerre vetat. Textus autem Concilii Carthaginensis Can. 37. ita habet: *Ut in Sacramento corporis & sanguinis Domini*

*nihil*

*hil offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit h. e. panis & vinum aqua mixtum*, PRIMITIÆ *verò seu lac & mel, quod uno die solemissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur quàm de uvis & frumentis.* Ex his verbis patet, Concilii Carthaginensis Patres oblationem primitiarum sollicitè ab oblatione Eucharistica distinxisse. Quod sanè in citatis verbis non facit Irenæus, qui postquàm dixerat, *Dominum suis discipulis consilium dedisse, primitias Deo offerendi ex suis Creaturis*, statim addit, *Christum panem accepisse, gratias egisse & dixisse: hoc est Corpus meum.* Diximus supra, videri difficile, quòd afferat, ex mandato vel consilio Domini primitias offerendas, & quidem in Eucharistiæ celebratione. Utrumque nec ex institutione Eucharistiæ, quæ à Matthæo, Marco [*p.48.*] & Luca itemque Paulo nobis tradita est, nec ullo ex libro Novi Testamenti liquere asseruimus. Si verò primitiarum oblatio à Christo fuit instituta, (ad traditionem enim non scriptam recurrunt, quam demus paulisper,) cur quæso omnes, quotquot hodie sunt, Ecclesiæ, & ipsa quoque Romana hunc ritum non amplius servant, uti plures alios, qui ex traditione Dominica vel Apostolica manavisse olim credebantur atque ubique observabantur? Si porrò oblatio primitiarum juxta consilium à Domino datum pertinuit ad Eucharistiam ritè celebrandam, uti innuere videtur Irenæus, qui ista indivulso nexu combinat; nec enim primitiarum earumque oblationis mentionem hic facere potuisset, nisi Eucha-

 ristiam

riſtiam ex iis faciendam credidiſſet; non peccant ſolùm omnes Eccleſiæ hodiernæ, quæ id non faciunt, ſed peccârunt quoque antiqua iſta Concilia, quæ memoravimus, peccavit quoque univerſa Eccleſia primitiva, quæ hunc morem certè ubique non tenuit. Id quod nemo affirmaverit. Sed nec S. Irenæo hîc contradicere poſſumus, pietatemque violare, quam debemus tanto Eccleſiæ primitivæ lumini. Nîl itaque reſtat, quàm ut dicamus, edoctum ita à ſuis fuiſſe Irenæum, licet autorem non nominet, à quo iſta hauſerit. Ita enim videtur, veteres Chriſtianos pia quâdam perſuaſione omnia ea ex traditione Domini vel Apoſtolorum fluxiſſe arbitratos, quæ in Ec- [p. 49] cleſia quavis particulari tum obſervabantur, adeò, ut hæc quoque uſque ad minimos ſæpè ritus extenderint. Aſt hoc nondum ſufficit. Dicet enim quiſpiam, & hâc quoque ratione in dubium vocari quæ ſcripſerit Irenæus. Alia itaque incunda via eſt. Nolim enim, ut mihi objiciatur, quod Irenæi cineres memoriamque, uti par eſt, haud venerer. *Primitias* dixit voce pro pane & vino quovis ſumta, ſive hæ primitiæ frugum vel vini ſint nec ne. Nec enim video, quid nos cogat, ut vocem *ſtrictè* accipiamus, quam *latè* accipere poſſumus. Porrò cùm eorum quæ proferimus teſtimoniorum Latinam ſolùm verſionem, non Græcum textum, qui periit, habeamus, forsan non ſine ratione conjicere poſſumus, Latinum Interpretem in hoc loco vertendo eſſe hallucinatum. Id quod Viris doctis tamen penitius inquirendum relinquimus, cùm hâc ratione textus latinus Irenæi totus redderetur dubius & incertus. Unde crediderim ferè, *primitias* hic ſumi pro eo quod *præcipuum* eſt. Nihil enim magis præcipuum inter omnia ali-

alimenta est quam panis & vinum. Et in hac explicatione, uti arbitror, acquiescendum erit, maxime, cum in textu Irenæi *primitiæ* repetantur: *primitias suorum munerum in Novo Testamento*. Itemque Cap. seq. XVIII. §. 1. 4. Quod dum ponimus, id tamen semper videtur remanere, panem & vinum ante consecrationem Deo prius offerenda esse juxta mentem Irenæi, qui traditionem à Domino acce- [p.50.] ptam & per Apostolos propagatam allegat. Hanc autem oblationem cùm abolevisse omnes ferè Protestantes videantur, opponitur ipsis S. Irenæi autoritas. Quam pedibus conculcare & susque deque habere, id verò maximum crimen foret; dicere etiam, veteres per oblationem & sacrificium nihil intelligere aliud quam preces, oppidò esset ridiculum ostenderetque animum aut veritati non cedentem eandemque dissimulantem, aut nulla Ecclesiasticæ antiquitatis notitia imbutum. Itaque ad hanc sacram anchoram nos haud confugiemus. Sincere enim procedendum, dicendumque quod res est. Hanc ab ovo repetemus, totumque Irenæi contextum, qui L. IV. contra hæreses C. XVII. & XVIII. juxta divisionem à Renato Massueto institutam complectitur, enucleabimus. Sub initium Cap. XVI. ostendit Irenæus, Deum veteribus & typicis oblationibus ac sacrificiis non indiguisse, nec per ea homines veram justitiam consequi potuisse. Multa eapropter loca ex V. Test. adducit, ut probet, haud placuisse ipsi Judæorum sacrificia, quia externo ritui confisi mandata ejus neglexerint servare. Hinc ad Novum Testamentum progreditur, aitque, Dominum discipulis suis consilium dedisse, hoc est, ipsis mandâsse, ut primitias Deo ex creaturis suis offerent. Ita enim consilium

eodem

eodem capite explicatur §. 1. ubi: *Consilium ei dans: im-*
[p. 51.] *mola Deo sacrificium laudis*. Hîc consilium pro mandato dicitur, aliter sane ac γνώμη, quæ 1. Cor. VII. 25. 2. Cor. VIII. 8. 10. τῇ ἐπιταγῇ opponitur. Mandatum autem hoc non verbis quidem expressis dedisse Christum arbitratur Vir sanctus, sed ipso potius facto, quod præsentibus discipulis suis perfecerit, hoc fine, ut ipsum imitarentur eaque facerent postmodum, quæ ipsum fecisse vidissent. Scilicet, accepisse eum panem, gratias egisse & dixisse: *hoc est meum corpus*, calicem quoque similiter sanguinem suum confessum esse. Diligenter hîc notandum est, S. Irenæum tot verbis non affirmare, quod ipse Christus in prima Eucharistiæ institutione panem vinumque Deo Patri obtulerit. Hæc in Irenæo non leguntur, nisi per gratiarum actionem oblationem innui credas. Ast per gratiarum actionem Deo nihil offertur, sed pro iis gratiæ Deo aguntur donis, quæ nobis Deus offert. Itaque dicendum est, gratiarum actionem à Christo juxta receptam Judæorum consuetudinem factam conjunctam fuisse cum precibus & εὐλογίᾳ quâ panis vinumque sanctificata fuerint, ut esse sacramentum corporis & sanguinis ipsius, quod hac actione institutum fuit. Ast & ipsa hæc εὐλογία nondum vocari potest oblatio, nisi credamus, oblationem proprie sic dictam esse, quâ dona à
[p. 52.] Deo nobis data ipsi prece nostra offerimus, rogamusque, ut eis benedicere atque in usos nostros eadem sanctificare velit. Hâc autem ratione omnia quibus utimur fruimurque & omnes cibi quibus vescimur, Deo offeruntur, utpote sanctificatione & benedictione divina opus habentia juxta mentem S.

Pauli

Pauli: *quia omnis creatura Dei bona & nihil rejectitium, quando cum gratiarum actione sumitur* 1. Tim. IV. 4. 5. Si itaque panem & vinum Deo Patri obtulit Servator, cùm Eucharistiam instituit, hâc ratione obtulit, quam indicamus. Alium certè modum vix excogitare possumus, qui novimus, primam Eucharistiam haud in altari confectam, sed cùm discipuli Pascha comederent. Ajunt enim Evangelistæ, factum hoc esse, ipsis adhuc accumbentibus, ἐσθιόντων αὐτῶν Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Calicem verò demum post finitam cœnam datum fuisse asserunt Lucas Ev. XXII. 20. & Paulus 1. Cor. XI. 25. quod de pane haud legitur. Atque ista omninò ratione nunc explicanda nobis venit mens Irenæi, si ad traditionem Evangelicam, qua certior nulla datur aut magis authentica, ea sit exigenda, cùm dicit, *Christum* instituendo Sacramentum corporis & sanguinis sui, *novam oblationem novi Testamenti docuisse.* Pergit deinde & ait, *hanc oblationem accepisse Ecclesiam ab Apostolis*, dum *in universo mundo offerat Deo primitias suorum mu-* [p. 53.] *nerum in Novo Testamento.* Duo ferè hîc nobis notanda veniunt. Primum est, quod nullus in Apostolorum monumentis occurrit locus, in quo *nova* quædam *novi Testamenti oblatio* instituta memoretur, oblatio nempe Eucharistica, Sacramento Eucharistiæ annexa. Ea enim, quæ pro oblatione hac demonstranda ex scriptis Apostolicis afferuntur, ita comparata sunt, ut rem haud conficere omnino videantur, quod ostendimus in Dissertatione *de Oblatione Eucharistiæ in veteri Ecclesia usitata.* Si verò ad traditionem non scriptam hîc recurrendum sit, prout & ipse

ipse Irenæus ad *δευτέρας τῶν Ἀποστόλων διατάξεις* in fragmento nostro provocat, id, ut arbitror, optimum erit, dicere, ceremoniam hanc ritumque oblationis ab Apostolis institutum esse, prout & alii ritus iidemque varii ab ipsis originem traxerint, quos indifferentes, utpote non ad fidem sed ad disciplinam pertinentes, fateri necessum sit, cùm plurimi hodie nullibi amplius observentur & quia posteris traditi non omnes fuere, notitiæ quoque nostræ subtracti sint. Alterum, quod notandum hîc occurrit, est, quod S. Irenæus asserit, *Ecclesiam novi Testamenti in universò mundo offerre munerum suorum primitias*, ita ab Apostolis edoctam. Cujus assertionis quæ sit difficultas, jam superius diximus. Sed non est cur tantopere in mente Irenæi explicanda hîc laboremus, [*p.54.*] cum dictum jam à nobis fuerit, hanc oblationem *novam* nihil aliud esse, quam *εὐλογίαν* symbolorum Eucharisticorum, qua fateamur, nos hæc dona à Deo accepisse, qua pro ipsis gratias agamus DEO Creatori, eademque ipsi precibus nostris offeramus atque dedicemus, rogantes insuper, ut ista in usus nostros sancta reddere atque virtute sua omnipotente corpus & sanguinem Filii sui JESU CHRISTI præsentia nobis in iis sistere dignetur. Hæc certe oblatio, si isto quidem termino uti velimus, & pia est & menti Salvatoris congrua, cùm hâç ratione, quicquid à Deo accipimus, acceptum ipsi referamus, omniaque illa dona, quæ Deus largiter in nos effundit, non nostra sed Dei esse fateamur, Deo itaque soli consecranda, in cujus honorem & juxta cujus mandatum iis uti debemus. Et cùm illa dona, quæ

ad

ad Euchariſtiam celebrandam in Eccleſia proponuntur, myſterium ſummum redemtionis noſtræ nobis exhibeant, omnino conveniens eſſe arbitramur, ut peculiari conſecratione atque εὐλογίᾳ illa dedicentur & ſanctificentur. Ita ſi explicentur Irenæi verba, uti explicanda eſſe arbitramur, non eſt quod vel ad traditiones non ſcriptas confugiendum ſit, vel longa atque inutili diſputatione res involvenda, cui nulla difficultas ineſt, ſi absque præjudicatis opinionibus eadem inveſtigetur. Hac enim ratione, nemo eſt inter Proteſtantes, qui adverſam velit ingredi ſententiam, credatque, εὐχαριστίαν & εὐλογίαν [p. 55.] donorum Euchariſticorum haud eſſe neceſſariam, eademque precibus conſecranda atque ſanctificanda non eſſe. Num vero hæc oblatio propria ſit & propitiatoria, aut ſpiritualis tantùm & impropria, in Diſſ. *de Oblatione Euchariſtiæ* penitius inquiſivimus, ubi demonſtravimus, hoc argumentum tot logomachiis atque æquivocis expreſſionibus obfuſcatum eſſe, ut Andabatarum more pugnare videantur, qui diſſentiunt, longasque ſibi lites movent. Sed pergamus in explicanda Irenæi ſententia. Ait Vir ſanctus, hanc oblationem in Veteri Teſtamento præſignificatam fuiſſe à Malachia, qui è duodecim Prophetis fuerit, loco illo plurimum citato, qui extat C. I. comm. 10. 11. Hîc id unicum ſufficiat monere, quod nemo, ut arbitror, Patrum explicationibus ſi aſſuetus ſit, negabit, ſanctiſſimos Patres ſæpiùs allegare dicta ex Scriptura, quæ ad inſtitutum ſuum accommodent, etſi proprio ſtrictoque, quem vocant, ſenſu applicari nequeant. Exempla adducere non attinet, cùm quævis fere pagina ſcriptorum à Patribus nobis relicto-

rum ea ſubminiſtrare nobis poſſit. Ipſum verò hunc locum in ſequentibus notis explicabimus, cum & in fragmento noſtro allegetur. Illa tamen verba *nomen meum clarificatur* vel *glorificatur inter gentes* hujus loci ſunt, cùm ab Irenæo §. 6. capitis hujus XVII. explicentur. Hîc enim ita infit: *Quod eſt autem* [*p. 56.*] *aliud nomen, quod in gentibus glorificatur, quam quod eſt Domini noſtri, per quem glorificatur Pater & glorificatur homo? Et quoniam proprii Filii ejus eſt & ab eo factus eſt homo, ſuum illum vocat. Quemadmodum ſi quis Rex ipſe filii ſui pingat imaginem, juſte ſuam illam dicit imaginem ſecundum utrumque, quoniam & filii ejus eſt & quoniam ipſe fecit eam: ſic & Jeſu Chriſti nomen, quod per univerſum mundum glorificatur in Eccleſia, ſuum eſſe confitetur Pater, & quoniam Filii ejus eſt & quoniam ipſe ſcribens id ad ſalutem dedit hominum. Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris eſt, & in Deo omnipotente per Jeſum Chriſtum offert Eccleſia, bene ait ſecundum utraque:* Et in omni loco incenſum offertur nomini meo & ſacrificium purum. In-cenſa *autem Johannes in Apocalypſi* orationes *eſſe ait* Sanctorum. „ Duo hîc nobis veniunt notanda. Primum eſt, quod oblatio novi Teſtamenti offeratur Deo Patri per Jeſum Chriſtum. Equidem veteres Liturgiæ docent, oblationem Deo Patri in primitiva Eccleſia factam fuiſſe. Quod tamen ita explicari nolim, ut Filius & Spiritus Sanctus ab hoc honore ſummo, qui oblatione defertur, excludantur, uti poſt veteres Arianos Guil. Whiſtonus arbitratur. Hos enim hanc ob rem graviter reprehendunt Vigilius Tapſenſis adv. Varimadum C. LI. & Fulgentius de Sacrificii oblatione adv. Monimum C. II. IV. V. VII. item; de

Veritate

Veritate Prædeſtinationis & gratiæ divinæ adv. Fabianum L. IX. Fragm. 34. Profecto idem eſſe Patris Filiique nomen, cui offertur, aut quod oblatione glorificatur, claris admodum verbis hîc oſtendit Irenæus, qui quod probe obſervandum, dicit, Filium à Patre factum eſſe hominem, demonſtrans ſimul, Filium quoad divinitatem eſſentiamque cum Patre eundem eſſe, & quoad humanitatem ab ipſo factum. Alterum quod notandum nobis occurrit, eſt quòd *incenſum* Malachiæ Irenæus ex Apocalypſi explicet, dicatque eſſe *orationes ſanctorum.* Apoc. V. 8. Ex quibus patet, animam oblationis novæ, quæ in N. T. juxta Irenæum fit & à Chriſto inſtituta eſt, eſſe preces, queis dona offerantur. Ille enim externus ritus, quo altari menſæve panis vinumque apponitur Deoque ita offertur, cærimonia eſt, purum novi Teſtamenti Sacrificium, quod ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ offerendum eſt, nondum abſolvens. Aſt accedentibus precibus, quibus nomen Dei glorificatur, ipſi gratiæ redduntur, donorumque ſanctificatio expetitur, perficitur utique ſpiritualis illa atque Euchariſtica oblatio. C. XVIII. Irenæus inſtitutum de oblatione ſermonem ulterius proſequitur, atque ad probandam hujus neceſſitatem affert locum Matth. V. 23. 24. Hîc non arbitror, illum credidiſſe, quòd Salvator noſter Oblationem Euchariſticam [*p.58.*] innuat, ubi dicit: ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον| & quæ ſequuntur. De re jam nota cultuque recepto Chriſtus loquitur, non de euchariſtia, quæ nondum inſtituta tùm erat. Unde hæc *per anticipationem* dicta fuiſſe haud arbitramur, quod poſt multos alios regeſſit nuper Vir Reverendus

Georgius Hickesius in Sacerdotio Christiano asserto C. 11. §. 8. p. 43. Etenim de oblatione omni agit locus, de quo agimus, ipso Irenæo annuente, qui ait: *per munus enim erga Regem & honos & affectus ostenditur: quod in omni simplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre prædicavit dicens:* Cum igitur offers munus tuum ad altare &c. *Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturæ, sicut & Moyses ait:* Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui. „ Clarum itaque est & extra controversiam positum, textum Matthæi juxta Irenæum de oblatione Eucharistica per anticipationem haud agere. Id quod & ex verbis sequentibus patet, quæ statim producemus. Quod autem de Irenæo hîc affirmamus, de cæteris quoque, qui hæc verba allegant, Patribus dictum esto. Hi enim illa ad oblationem Eucharisticam applicant & accommodant, quæ de Judaicis oblationibus dixerat Christus, eò majore cum ἐμφάσει, quia oblatio Eucharistica cæteris omnibus nobilior est & sanctior. Hinc de omnibus precibus & gratiarum actionibus hunc locum explicat [*p. 59.*] Autor Constit. Apost. L. II. C. 53. cum ait: *δῶρον δέ ἐστι Θεῷ ἡ ἑκάστου προσευχὴ καὶ εὐχαριστία.* Unde & cum olim oblatio celebraretur, à Diacono, qui Saçerdoti assistebat, hæc ad populum dicta fuisse eædem Constitutiones referunt: *μή τις κατά τινος. μή τις ἐν ὑποκρίσει.* L. II. C. 54. 57. Eadem ratione verba Christi ad oblationem Eucharisticam accommodat Tertullianus de patientia C. XII. *Nemo convulsus animum in fratrem suum munus apud altare perficiet, nisi prius reconciliando fratri reversus ad patientiam fuerit,* quod & repetit de Oratione C. X.

Ita

Ita & Cyprianus de Unitate Ecclesiæ: *Ad Sacrificium cum dissensione venientem revocat ab altari & jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem munus offerre, quia nec ad Caini munera respexit Deus: neque enim pacatum Deum habere poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat.* Et de Oratione Dominica: *Sic nec Sacrificium Deus recipit dissidentis & ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra & fraterna concordia.* Simili allusione usi sunt & Patres alii, Euseb. de vita Const. L. IV. C. 41. Cyrill. Hieros. Catech. Mystag. V. Chrysost. Hom. XVI. in Matth. V. Hieron. in Matth. V. & Epist. Class. III. Ep. 39. ad Theophilum Opp. T. IV. P. 2. f. 332. Augustinus Serm. XVI. de verbis Domini & alibi passim, Optatus Mi- [p. 60.] levit. L. VI. cont. Parmenianum, ut plures taceamus. De omni autem oblationum genere Christum hæc prolocutum esse, vel ex his Irenæi verbis patet, quæ sequuntur: *Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim & hic, sacrificia in Ecclesia: sed species immutata est tantum, quippe cum jam non à servis sed à liberis offeratur.* Hîc oblationes novi Testamenti cum oblationibus veteris conferre Irenæum quivis videt, ita tamen, ut has ab illis sollicitè distinguat, arguatque, oblationes N. T. non offerri vi legis cujusdam novæ ceremonialis, quæ in novo fœdere non datur, sed à liberis. Quemadmodum enim vetus Testamentum typus novi est, ita in locum sacrificiorum, quæ primarium veteris cultum confecerant, succedere aliquid in novo debuit, quod

cum vetere lege potuit componi. Quum autem nihil ad ſacrificia oblationesque exprimendas aptius in novo Teſtamento exſtet, quam cultus Euchariſticus, ſacrificium hunc primitiva nuncupavit Eccleſia. Sed continuemus explicationis noſtræ filum. Progreditur Irenæus ad ſacrificium Abelis, oſtenditque, ſacrificia externa, niſi offerat conſcientia pura, nihil prodeſſe offerentibus. Quod ut probet, in medium affert dictum Domini ad Cainum: *Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non dividas, peccaſti? Quieſce.* [*p.61.*] *Ad te converſio ejus & tu dominaberis ejus.* Genes. IV. 7. In aprico eſt, hanc verſionem ſenſum clarum diſtinctumque haud fundere, & Hebraicæ itidem veritati haud congruere, quam nec conſulere potuit nec conſuluit quoque Irenæus, qui notitia linguæ ſanctæ haud tinctus fuiſſe videtur. Secutus itaque eſt verſionem Græcam, quam *καὶ ἐπίπνοιαν τοῦ Θεοῦ* factam credebat, ut ſupra innuimus p. 33. Ita autem illa habet: *οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, ἡσύχασον*, quæ alibi quoque ab Irenæo ita allegantur, Libro nempe III. adv. hæres. C. XXIII. §. 4. ubi *Cain accepit conſilium à Deo, uti quieſceret in eo, quod non rectè diviſiſſet eam, quæ erga fratrem erat, communicationem, ſed cum zelo & malitia ſuſpicatus eſt poſſe dominari ejus, non ſolùm non quievit ſed & adjecit peccatum ſuper peccatum.* Conf. & Conſtit. Apoſtol. L. I. C. XVI. Hinc patet, aliter legiſſe in ſuo Codice τοὺς ὁ quam nos hodie legimus, aliaque eos literis ſuppoſuiſſe puncta. Pro לפתח *lappætach* enim legerunt ver לפתח *lephatteach* aut לנתח *lenatteach* aut plane לפתת *liphttot*, porro pro חטאת *chattat* poſuere חטאת *cha-*

*chatata* & pro participio רבץ verterunt imperativum רבץ Nihil itaque supereſt, quam ut dicamus, vel corruptum τὺς ό habuiſſe codicem vel male eos vertiſſe. Nec corruptos potius noſtros codices Hebraicos eſſe quis cum ratione dixerit, cum melio- [*p.62.*] rem Hebræa ſenſum dent,licet explicatu difficilia,partim quia proprius vocis שאת ſignificatus neſcitur, partim quia חטאת cum רבץ male videtur conſtrui, partim quia vox תשוקה eſt æquivoca, denique,quia connexio poſterioris hemiſtichii cum priore quæ ſit, quo ſuffixa relativa ו'י in תשוקתו & בו pertineant, vix divinari poteſt. Sed hæc quidem nunc digerere noſtri inſtituti non eſt. Sufficiat de Irenæi explicatione quædam dixiſſe. Vocem διέλῃς reſpicere putat Irenæus *diviſionem in corde*, ait enim: *ſi enim quis ſolummodo ſecundum quod videtur, munde & rectè & legitimè offerrre tentaverit, ſecundum autem ſuam animam non rectè dividat eam, quæ eſt ad proximum, communionem, neque timorem habeat Dei, non per id quod recte foris oblatum eſt ſacrificium ſeducit Deum, intus habens peccatum.* Hæc ut arbitor, ſua luce non radiant, aut explicationem potius allegoricam quæ patribus communis eſt, ſapiunt. De diviſione enim victimæ hîc agitur, in qua ſi minimum ſaltem peccatum olim fuerat, ſacrificium reddebatur illegitimum. Aſt tranſeant hæc; nec enim ad vivum reſecari poſſunt omnia, quæ in veterum ſcriptis legimus. Ad ſpirituale aut improprium potius ſacrificium redit Irenæus, allegatque verba Pauli Phil. IV. 18. ut doceat, *Eccleſiam eum ſimplicitate offerre, munusque ejus purum, ſacrificium apud Deum deputari.* Heic Apoſto- [*p. 63.*]

lus eleemoſynas per Epaphroditum miſſas vocat *odorem bonæ fragrantiæ*, *hoſtiam acceptam, gratamque DEO*. Unde hanc concluſionem Noſter infert: *Oportet enim nos oblationem DEO facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori DEO, in ſententia pura & fide ſine hypocriſi, in ſpe firma, in dilectione fervente, primitias earum, quæ ſunt ejus, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi autem non offerunt: manus enim eorum ſanguine plenæ ſunt: non enim receperunt verbum, quod offertur DEO. Sed neque omnes hæreticorum Synagogæ.* His in verbis ex oblatione ſpirituali, quæ DEO accepta eſt, & in eleemoſynis conſiſtit, Irenæus argumentum depromit ad neceſſitatem oblationis primitiarum demonſtrandam, ubi id obſervandum, quòd ſæpius in Sanctorum Patrum libris argumenta inveniantur, quæ, ut more Scholaſtico loquar, haud ſtringunt, ſeculique hujus genio haud omninò accommodata ſunt, ubi connexa ſibique conſtans, clara & omni ex parte cohærens requiritur oratio. Id autem egregium eſt, quod hic noſter dicit, *oblationem* præcipuè *in gratiarum actione* conſiſtere, aut cum eâ vel maximè conjunctam eſſe debere. In *ſola* autem *Eccle-*
[*p. 64.*] *ſia* ait *puram* DEO *offerri oblationem*, *quam Judæi non offerant*, quia *verbum non receperint quod DEO offeratur*. Quid per *verbum* intelligatur, haud obſcurè innuit Rev. Maſſuetus. *Verbum* nempe *incarnatum*, *vera novæ legis hoſtia*. Hoc pace Viri doctiſſimi durum eſſe arbitramur. Dixerat enim paulo ante Irenæus, id quod DEO *offeratur*, eſſe *primitias eorum quæ ſunt ejus*, quod ſæpius jam

jam in antecedentibus dixerat. Crediderim itaque, meliorem esse lectionem, quæ communis est & cum MSS. Arund. & Merc. 2. convenit: *Verbum, per quod offertur DEO*, scilicet verbum consecrationis & invocationis sive ἐκκλήσεως, de quo infra. Hoc verbum quia Judæi non recepere, ideò nec offerunt quoque arguente Irenæo. Adde Justini Mart. Dial. cum Tryph. p. 250. *Sed nec hæreticorum Synagogæ* offerunt, non quòd *verbum invocationis* eos lateat sed quòd vel DEUM alieni cupidum esse credant, Patremque à Creatore distinguant, vel perversam de Filio fidem habeant, *eumque panem, in quo gratiæ actæ sunt, Corpus esse Domini sui & calicem sanguinis ejus* haud fateantur. Hos hæreticos suo jam tempore graviter reprehendit Ignatius in literis ad Smyrnæos, ubi: *Gratiarum actione ac precibus abstinent, eo quod haud confitentur, Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa sit, quamque bonitate sua Pater resuscitaverit. Qui igitur contradicunt dono DEI, disputantes moriuntur . . . . . Convenit itaque ab his ab-* [p.65.] *stinere.* Quæ cum ex genuinis Ignatii literis petita sint, anathema videntur iis infligere, qui præsentiam realem Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ negant. Sed ad alia. Diximus, verbum consecrationis atque invocationis hæreticos olim non latuisse. Exemplum nobis dabit Irenæus ipse. Ita enim de Marco hæretico L. I. adv. hær. C. XIII. §. 2. narrat, quæ verba πρὸς ἔπος exscripsit servavitque Epiphanius Hær. XXXIV. §. 2. *Pocula vino mixta consecrare se fingens ac invocationis orationem in longum extendens, purpurea ac rubra ut videantur, efficit,*

 *ita*

*ita ut putetur, divinam, quæ ſuper omnia eſt, gratiam ſanguinem ſuum in illud poculum per ejus invocationem ſtillare, ac deſiderare, ipſi quoq; præſentes ut guſtent ex iſto poculo, quò & in ipſos depluat gratia per magum hunc invocata.* Ipſa hæc ex Irenæo allegat quoque Nicetas Choniates L. IV. Theſauri C. 6. itemque Hieronymus in Cap. LXIV. Eſaiæ & Epiſt. 53. Cæterùm ex hâc de Marco hiſtoria tranſſubſtantiationem elicere conatur doctiſſimus noſter Maſſuetus Diſſ. I. in Irenæum Art. II. §. 6. p. L. LI. ubi hæc habet: *Sed illud non omittendum ſceleris genus, quod nedum Sa-* [p.66.] *cerdotium, nulla accepta ſecundum Eccleſiæ leges manuum impoſitione, ſibi arrogaret, ſed & mulieribus in proſtitutæ pudicitiæ pretium per ſummum nefas committeret. Nempe cùm probè conſcii eſſent ipſi etiam perditiſſimi quique eorum temporum hæretici, nullam ſine vero ſacrificio Chriſtianam ſocietatem eſſe poſſe, id utcumque adumbrare ſtudebat Marcus. Nam pocula vino (albo procul dubio) mixta conſecrare ſe fingens, prolatis ſolemnibus invocationis verbis efficiebat, ut rubicunda & purpurea apparerent: ut ſic exiſtimaretur ſuperna gratia ſanguinem ſuum per ipſius invocationem in poculum illud ſtillare. Quod & à mulieribus factitari poſtmodùm jubebat. Ubi facile adverterit, quiſquis tantiſper anticipatis Calvinianorum & Lutheranorum opinionibus animum exuere voluerit, tàm altè tunc temporis eorum qui Chriſtianum nomen, etiam ſpecie tenus, profitebantur, animis illud inſediſſe, ſacra dona, conſecratione facta, in verum Chriſti Corpus & Sanguinem converti, eo converſionis genere, quæ nunc tranſſubſtantiatio dicitur, ut ii, qui legitima auctoritate ac poteſtate deſtituti vinum in Chriſti ſanguinem inviſibili,*

*veræ*

*vera tamen ratione convertere se non posse probe sciebant, præstigiis uterentur, ut id operari se persuaderent. Age, quæso, fac Marcum & ejus asseclas in Eucharistia nihil aliud agnovisse, quàm meram Christi Corporis & Sanguinis figuram, eâdem semper perseverante substantiâ panis & vini post consecrationem; ut quid tam operose studuisset, vinum album in rubrum colorem commutare sanguinemque desuper stillantem exhibere & prædicare, nisi Christianorum omnium ea tunc fuisset sententia, vinum consecratione factâ non manere, sed in verum sanguinem converti? Facinus hactenus in cœtibus Ecclesiasticis inauditum exhorruissent quique, nec fuisset, qui eo liquore, qui sanguinem retulisset, quemque verum esse sanguinem jactâsset impostor, labia cruentare non refugisset: cùm tamen ex Irenæo constet, nullum fuisse, qui ex eo gustare non gestiret. Adeo infixa erat omnium Christianorum animis ea sententia, Eucharistiam verum Christi Corpus & Sanguinem esse.* Hactenus Massuetus, cujus verba licet prolixa, huc posuimus, ne argumento ipsius vis decedere videretur, si minus plena atque in angustum coarctata dare voluissemus. Cæterùm adeò placuit hæc argumentandi ratio Clarissimo Viro, ut Diss. III. Art. VII. §. 76. 77. pag. CXXXIX. eadem ferè repetierit. Paria ferè habet doctissimus Nourrius in Appar. ad Biblioth. Maxim. Vet. Patrum L. II. Diss. VI. C. VIII. §. 1. f. 604. Mirum est, in alia omnia abire celeberrimum Virum Jacobum Basnagium, qui arbitratur, transsubstantiationem Marco hæretico penitus incognitam fuisse. Quod ex eo arguit, quia miraculum perpetrare conatus fuerit Marcus, atque ab Ecclesia sese distinguere operatione hac miraculosa, quam suo in [68]

 cultu

cultu illa haud agnoſceret. Si verò tranſſubſtantiationem Eccleſia credidiſſet, ſatis hoc miraculi fuiſſet juxta doctiſſ. Baſnagium, ita ut aliud & majus fingere haud fuiſſet neceſſarium. Vide Hiſtoriam Eccleſiæ Gallicè ab eo ſcriptam L. XIII. C. 3. §. 5. p. 796. Quicquid autem hujus ſit, ex præſtigiis Marci de Eccleſiæ primitivæ fide circa Euchariſtiam nihil omninò concludi poſſe arbitror, niſi id velis, præſentiam realem communiter olim creditam fuiſſe, quod ambabus manibus concedo. Ulteriorem majoremque miraculi gradum, ſi quidem miraculum dici poteſt, quod in ſenſus non incurrit, affectabat Marcus, utpote præſentiæ reali ſanguinis Chriſti mutationem aut annihilationem vini etiam additurus, nec vini ſaltem ſed & accidentium ejus, ut ſanguis Chriſti videri poſſet, quod teſtimonio ſenſuum omni verboque divino ex omni parte eſt contrarium. Quod autem de Marco memoratur, ipſum in Euchariſtia vinum album reddidiſſe rubrum, ut ſanguis Chriſti appareret, id ſimile ferè eſt miraculis, quæ ſcriptores quidam Sec. IX. referunt, panem conſecratum aliquoties in infantis formam mutatum, ut tranſſubſtantiationis fides divinitus ſtabiliretur. Ita ſanè Paſchaſius Radbertus in Matth. I. 6. & de Corp. Chr. C. XIV. p. [p. 69.] 742. Paulus Diaconus in Vita Gregorii M. §. 18. Amphiloch. in Vita Baſilii C. VII. pag. 178. & Autor Apophthegm. Patrum apud Cotelerium in Monumentis Eccleſiæ Græcæ T. I. p. 423. Recenſet hæc omnia Jo. Mabillonius in Veteribus Analectis T. I. p. 200. ſed falſe ridet Baſnagius Hiſt. Eccl. L. XVI. C. 3. §. 6. p. 911. ſeq. Video tamen, quæ ſententiæ noſtræ opponi queant, qua dicimus, invocationem Spiritus Sancti in Euchariſtia veteribus hære-

hæreticis haud ignotam fuisse. Ita enim ad verba Irenæi τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως commentatur Grabius: *Cæterum Marcum hæreticum ab Apostolica Eucharistiam administrandi formula longe abiisse & propria protulisse deliria, nullum est dubium, ac ab ipso Irenæo in sequentibus memoriæ proditum.* Ast ex sequentibus nihil aliud concludi potest, quàm quod veræ ἐπικλήσει aliæ quoque magicæ ἐπικλήσεις ab ipso additæ fuerint, id quod nemo negat; & ipse fatetur Grabius ἀπολύτρωσιν illam, de qua glorientur Marcosii apud Iren. L. I. C. XIII. §. 6. nihil esse aliud, quam certam quandam precationis formulam, quâ Deum O. M. Vindicem suum & Redemtorem celebraverint, a Judæis גאולה appellatam. Conf. Jac. Rhenferdii disp. de redemtione Marcosiorum & Heracleonitarum §. 21. Itaque preces Marci non nudis consistebant deliriis & figmentis, quod [p. 70.] Grabius posuit, sed in precibus quas ab aliis acceperat. Etenim gratiarum actionem complectebantur, nec malum fundunt sensum, quæ addebat Marcus: *Quæ ante omnia est, impervestigabilis atque inexplicabilis Gratia * impleat interiorem hominem tuum ac in te augeat cognitionem ipsius, granum sinapi serens in terram bonam.* Conf. Iren. adv. hær. L. I. C. XIII. §. 2. Porro quod Irenæus hoc loco de Marco dixit, quod gratias egerit ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, id ex Ecclesia transsumsisse potuit vafer hæreticus. Ita enim Justinus Martyr Apol. II. f. 97.

* Hâc voce virtus Spir. S. in Ecclesia indigitatur. Ita enim ea utitur Clem. Al. & Greg. Nyssenus. Simili modo *gratia* dicitur apud Cyprianum Jul. Firmic. & alios.

f. 97. de Sacerdote rem sacram faciente: *Et pro eo quod istis nos dignatus est, ab eo ut acciperemus illa, gratias agit multas.* Id adhuc addendum est, antequam Marcum hæreticum dimittamus, notare Cl. Massuetum exemplo Marci, quod *ipsi etiam perditissimi eorum temporum hæretici conscii fuerint, nullam sine vero Sacrificio Christianam societatem esse posse.* Ast in toto illo Capite, quo Irenæus de Marco agit, nihil de Sacrificio quodam vel oblatione Marci dicitur, nisi ipsam ἐπίκλησιν precesque pro sacrificio sumseris. Hæc dum scribimus, occurrit nobis Cypriani locus, qui itidem ostendit, invocandi formulam olim ab hæreticis usurpatam fuisse. Scribit enim hic Epist. LXXV. *Atqui illa mulier, quæ prius perpræsti-*
[p.71.] *gias ac fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera, quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut & invocatione non contemtibili sanctificare se panem & Eucharistiam facere simularet & sacrificium Domino non sine Sacramento solitæ prædicationis offerret.* Hic cum *invocatio non contemtibilis* & *prædicatio solita* memorentur, in aprico est, preces consecratorias ab ea ex Ecclesia in usum suum transsumtas fuisse. Cæterùm in explicanda sua de Eucharistia sententia ita
§. 5. progreditur Irenæus: *Offerimus autem ipsi propria, * rite communicatonem ac unionem annunciantes ac confitentes carnis & spiritus resurrectionem. Uti enim panis terrestris invocationem Dei accipiens non amplius communis est panis sed Eucharistia, e rebus duabus constans terrestri nimirum ac cœlesti; ita & nostra*

* Hæc in veteres postmodum Liturgias transsumta fuere. ubi: τὰ σὰ ἐν τῶν σῶν προσφέρομεν.

*noſtra corpora euchariſtiam accipientia non amplius ſunt corruptibilia ſed habent ſpem reſurrectionis in omnia ſecula.* ** His verbis Eccleſiæ primitivæ de Euchariſtia ſententiam egregiè & clariſſimè exprimit Irenæus, quam utinam omnes, qui hodie in diverſa abeunt Eccleſiamque Chriſti infauſto Schiſmate ſcindunt, profiterentur, unionemque tàm diu deſideratam optatamque reſtituerent! Refutaverat in antecedentibus Irenæus eos, qui carnis negant reſurrectionem. *Quomodo . . . . . . carnem ajunt ad corru-* [*p.*72.] *ptionem abire & vitæ participem haud eſſe, quæ tamen corpore Domini ac ſanguine ejus alitur.* Ex eo itaque reſurrectionem carnis quoque probat, quòd caro noſtra Corpore Domini ac ſanguine *alatur*, in Euchariſtiæ Sacramento acceptis. Hæc difficilia ad modum anquiſitu ſunt, partim, quòd connexio harum propoſitionum haud omni ex parte firma eſſe videtur, partim, quòd nondum confectum eſſe arbitror, qua ratione Corpus & Sanguis Domini noſtri carnem noſtram alere queat, cùm hoc nutrimentum ſupernaturale ſit & omnem cogitationem de craſſa quadam & naturali nutritione tranſcendat. De corpore enim & ſanguine glorificato hîc quæſtio eſt, cujus quæ ſit ratio quis modus quæ excellentia, nondum nobis datum eſt cognoſcere. Cæterum repetit hæc noſter L. v. adv. hær. C. 2. ubi §. 2. ſcribit: *Quod creatum erat vinum, Sanguinem ſuum eſſe aſſerebat, ex quo & noſtram irrigat ſanguinem; & ex creatione panem corpus ſuum eſſe affirmabat, quo & noſtra alantur corpora.* Additur §. 3. *Quando igitur*

** Verba hæc eruditè explicat Johnſonius in the unbloody ſacrifice p. 188.

*igitur poculum mixtum panisque, qui ante fuerat, verbum DEI recipit, & Eucharistia fit corpus Christi; ex his vero augetur ac consistit carnis nostræ essentia; quomodo itaque sunt qui negant suscipere pos-*
[p. 73.] *se carnem nostram donum DEI, quod est vita æterna, cum tamen illa corpore ac Sanguine Domini alatur ejusque membrum existat?* quæ in sequentibus ulterius diducuntur. Etenim luculentam propositionum Irenæi connexionem ex his omnibus deducit Rev. Massuetus, cùm ait: *Hîc carnis nostræ resurrectionem ex duplici propositione infert Irenæus, nimirum: Ea caro in corruptionem devenire non potest, quæ percipit vitam: ea caro percipit vitam, quæ corpore & sanguine Domini alitur. Nam addita altera propositione; atqui caro nostra corpore & sanguine Domini alitur; fluit hinc ex se conclusio: ergo caro nostra in corruptionem devenire non potest.* Fateor, ita argumentari Irenæum, sed hujus argumentationis vim ego nondum percipio. Priores propositiones probat Massuetus ex Joh. VI. 54. 55. ubi de Eucharistia, quæ nondum instituta tùm erat, loqui Christus non potuit, qui spiritualem fidei manducationem ibi urget, quæ utique necessaria est omnibus ad vitam æternam adspirantibus. Altera autem, quæ Eucharistica est, tùm ut necessaria nondum commendari à Christo poterat, deficiente adhuc Eucharistiæ celebrandæ mandato. Ad anticipationem quandam enim hîc confugere durum oppidò foret, si consideremus, eos, qui verba Christi tum audivere, ejus anticipationis necessitatem perspicere haud potuisse, in-
[p.74.] scios hactenus, quod Christus Sacramentum corporis ac sanguinis sui instituturus esset. Sed nec priores solùm propositiones probatione egent, cùm

cùm demonstrari etiam necessum sit, ultimam ex iis firmo nexu sequi. Cur enim morti obnoxius homo est, cujus caro corpore & sanguine Christi alitur? Sed jampridem diximus, argumenta Patrum ad vivum resecari non posse. Id unum hîc videtur addendum, eam sententiam, quæ nutritionem Sacramento communesque aliis cibis mutationes adscribit, olim Stercoranistis attributam reprobatamque fuisse, quorum tamen cum placitis absit ut ea conferam, quæ S. Irenæus scripsit. Qui enim Stercoranistæ apud veteres sunt, sine crimine credere ferè haud potuere præsentiam realem, quam asserimus. Cæterum & corpus sanguinemque Christi mutationes, quæ in nutritione fiunt, subire posse, mihi horrendum videtur asserere. Nemo hæc melius accuratiusque determinaverit, quàm is, qui cum corpore & Sanguine Christi veris verum quoque panem & vinum in Eucharistia accipi crediderit cum Irenæo. Hic enim asseret, panem vinumque eandem cum omnibus cibis sortem subire, ast de sanctissimo corpore & sanguine Domini id ne quidem cogitabit. Atque hæc, ut arbitror, fuit Irenæi mens. Nihil enim clarius evidentiusque esse existimo quam hoc: Irenæum in Sacramento tùm corpus sanguinemque Domini tùm veram panis vinique substantiam accipi credidisse. Quæ enim verba iste in loco primùm allegato ponit, [p. 75.] iis suam declarant sententiam, qui Augustanæ Confessioni sunt addicti. Ita enim hi in suis compendiis & systematibus Theologicis, quæ vocant: *Materia, ex quâ constat Sacramentum Eucharistiæ, est res terrena & cœlestis. Terrena est panis & vinum, cœlestis est verum & substantiale Corpus Christi, & verus ac substantialis ejus sanguis.* Videntur hæc ad verbum

bum fere exſcripta ex S. Irenæo, qui dicit: *Euchariſtiam conſtare ex duabus rebus terreſtri nimirum ac cœleſti. Terreſtrem* vocat *panem e terra natum, cœleſtem* verò *corpus Chriſti*, quod mediante *invocatione* ſuperveniat. Operatur enim ἐπίκλησις, ut inter duo illa, inter τὸ ἐπίγειον & τὸ οὐράνιον fiat κοινωνία & ἕνωσις, unio ſacramentalis. quam ἀπαγγέλλεσθαι in Euchariſtia ait Irenæus. Hinc & L. V. C. 11. §. 2. addit: *Calicem Euchariſtiæ communicationem ſanguinis Chriſti eſſe, panemque, quem frangamus, communicationem corporis ejus eſſe*, quæ ipſiſſima S. Pauli verba ſunt 1. Cor. X. 16. Hæc autem intelligi nequeunt, niſi dicamus, in Sacramento tùm panis vinique ſubſtantiam manere, tum corpus ſanguinemque Domini adeſſe. Si enim inter utraque intercedit κοινωνία, res confecta eſt, quum κοινωνία eſſe ne- [*p.76.*]queat niſi inter duo extrema, quæ combinari & uniri debent; aut ſi per panem, qui diſtribuitur, corpus Chriſti nobis communicatur, manet utique panis, cùm alias, ſi mutatus eſſet, idem per idem deberet communicari, quod nullum ſenſum Apoſtolo vel Irenæo dignum fundit. Aſt quantumvis iſta clara atque evidentia nobis videantur, ſunt tamen plura, quæ hanc in rem Proteſtantibus objicit perſpicaciſſimus totiesque nobis laudatus Maſſuetus, digna utique, quæ hic examinemus. Id autem probare contendit Diſſ. III. Art. VII. §. 83. ſeq. f. CXLII. ſq. Irenæum non præſentiam ſolummodo realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna ſed & transmutationem panis & vini crediviſſe. Primum quod in medium affert, argumentum ab ἐπικλήσει Spiritus ſancti petitum eſt, eosque ut arbitror maxime ſtrin-

ſtringit, qui panem & vinum poſt conſecrationem nonniſi figuras corporis & ſanguinis Dominici eſſe ajunt. Aſt ne hos quidem omnino, cùm eâdem ἐπικλήσει vetus Eccleſia in conſecratione aquæ baptiſmalis chriſmatisque uſa fuerit, ubi nulla mutatio niſi moralis, ipſo fatente Maſſueto. Conf. Lib. Sacram. Greg. M. Fer. V. in Cœna Dom. & Fer. VI. ſequente p. 73. ubi in conſecratione aquæ baptiſmalis Sacerdos ita precatur: *deſcendat, Domine, in hanc plenitudinem fontis virtus ſpiritus tui, totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu*, qui utique nonniſi moralis eſt. Nec urgendum [*p.77.*] hîc prolixe eſt additamentum illud: *mutans ſpiritu tuo ſancto*, quod in editionibus Liturgiarum Baſilii & Chryſoſtomi legitur. Novit enim Vir Clariſſimus & ex Codicibus MSS. forſan perſpexit quoque, quod iſta verba in omnibus haud occurrant adeòque inſititia ſint & rejicienda. Cui reì ut fides habeatur, allegandus nobis hic venit Richardus Simon, cujus hæc verba ſunt: *In vulgatis exemplaribus Miſſa Chryſoſtomiana & Baſiliana aliquid præferunt, quod in Jacobi Liturgia non exſtat, verba ſcilicet, quæ Diaconus cum orario oſtendens divina ſymbola pronunciat, Sacerdotis benedictionem rogans, & tùm idem Sacerdos iis manu benedicit hâc ratione* μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, *mutans Spiritu tuo Sancto. Sed hæc recentius in Codicem Liturgiarum à Græcis invecta fuiſſe conjicit P. Goar probatque illud ex libris manuſcriptis, à quibus abſunt. Suſpicatur, eosdem Græcos ex præconcepta opinionis ſuæ de formula conſecrationis informatione, hanc pericopen contextui Liturgico adjeciſſe.* Not.

uber. in Apologiam Gabrielis Severi p. 146. 147. Eandem ferè in ſententiam abit Leo Allatius, iſtaque putat extrinſecus addita & in Baſilii Liturgiam intruſa. Exerc. XXV. in Roberti Creyghtoni Apparatum, Verſionem & notas ad hiſtoriam Concilii Florentini ſcri-
[*p.78.*] ptam à Sylveſtro Syropulo p. 519. Sunt &, qui *μεταβάλλων* in præſenti legant, id quod variationem codicum innuit. Vide Cl. Basnagii Hiſt. Eccl. L. XV. C. VI. §. 4. p. 887. Nec reponi poteſt, quod ait Simon, alibi tamen ea verba legi, in iis nempe codicibus, *ubi nihil omnino interjectionis Diaconi appareat.* Sufficiat ſemel facta interpolatio, non ſolum hunc locum afficiens, ſed & totum Liturgiarum veterum corpus pervadens, ab ipſo Goario agnita; qui codices MSS. contulit, infinitasque ut ita dicam varietates in iis obſervavit. Sufficiat, Liturgiam Jacobi aliasque veteres, imo & eam quæ in Conſtitutionibus Apoſtolicis exſtat, iſta non habere. Sufficiat, modos loquendi, queis veteres utuntur, omnes ad vivum non poſſe reſecari, ſed obſcuriores ex clarioribus explicandos eſſe, ne contraria ſibi ſtatuere, aut ſi hoc quidem demonſtrari nequeat, in nimia dilabi myſteria videantur. Sufficiat denique, recentiores Liturgias cum ſententia Irenæi noſtri ita conferri non poſſe, ut omnia, quæ in illis exſtant, cum hac conſpirare atque in unum convenire credantur. Nullibi profectò Irenæus iſtam, de qua diſputatur, mutationem ſubſtantialem ſtatuit, quinimò, quæ ſcripſit, eam potius deſtruunt, uti videmus. Aſt non opus eſt, ut hîc diutius hæreamus, cum ἐπικλήσει illa
[*p.79.*] ſacra præſentiam realem corporis Chriſti in ſacramento effici fateamur, atque Irenæum ita etiam

credidisse asseramus. Unde nos non feriunt, quæ etiam addit Massuetus: *Rogatur quippe Spiritus Sanctus, ut descendat non tantum in fidelium corda, ea sanctificaturus, sed & in ipsa sacra dona, divina sua & efficacissima operatione in ea immediate acturus & insigne aliquod miraculum editurus.* Multò minus autem ea quæ sequuntur, ferire nos poterunt: *Nodum hunc solvere, quicquid rhetoricentur Protestantes, nunquam poterunt.* Qui enim ex illis realem credunt præsentiam, verbis Irenæi utique non caliginem sed lucem affundunt. Unum tamen est, quod reponimus hîc doctissimo Massueto, qui vocem μεταβαλὼν nimium urgere videtur. Juxta Liturgias Ecclesiæ Græcæ Consecratio ἐπικλήσει perficitur, ast juxta sententiam Ecclesiæ Romanæ per recitationem verborum institutionis contingit ista, quæ supponitur mutatio. Si quid hic judicare possumus, dum ex Irenæo ἐπίκλησις veterum ejusque operatio adstruitur, sententia Ecclesiæ Romanæ labefactatur, vetustissimisque Veterum liturgiis demonstratur esse contraria. Si enim jam per verba institutionis, quæ ἐπίκλησιν præcedunt, transmutatio symbolorum facta est, non opus esse videtur ἐπικλήσει, quæ id demum perficiat, quod jam effectum est, verbisque illis: [*p.80.*] μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ non eget nova & inutilis consecratio. Novi, quid ad nodum hunc solvendum plurimi dixerint, qui Concilii Florentini decisa conati sunt contra Græcos defendere, sed perspectum quoque mihi est, varia ab illis dicta fuisse πρὸς τὸ τῇ ὑποθέσει δουλεύειν & quæ contorta atque obtorto collo hùc rapta videri possent. Certè quæ Leo Allatius dicit, textui vim inferunt. Iste

enim vocem μεταβαλὼν ita explicat: *fac, ut panis hic, quem in pretiosum corpus Christi, & quod est in calice, quod in pretiosum sanguinem Christi jam immutasti, sint nobis participatio Spiritus sancti, remissio peccatorum* &c. Vide locum citatum. p. 517. Denique non est, quod de Liturgia Irenæi multum simus solliciti, totam hanc controversiam plenissime decisura, cùm in fragmento nostro clarissimis verbis elata exstet, in sequentibus notis explicanda. Ad caput itaque rei nunc accedimus & argumenta vel potius explicationes Massueti aggredimur, queis conficere studet, Irenæum non præsentiam solùm realem sed & transsubstantiationem credidisse. Quod sane mirum videbitur lectori, qui hæc Irenæi verba attentis oculis inspexerit, queis affirmat, *Eucharistiam constare ex duabus rebus terrestri ac cœlesti.* Ast bene attendendum, quâ ratione hæc noster explicet. Verba [*p. 81.*] ipsius tota, nostris haud interpolata dabimus. Ita autem ille: *Paulo ante dixit S. Doctor, alium esse ex hæreticorum sententia à supremo Patre fabricatorem mundi; Dominum verò nostrum non esse hujus filium nec verbum ejus: quia verum corpus humanum ex terrena substantia à mundi opifice creata conflatum non assumsit nec sibi univit verbum divinum. Eundem verò errorem hîc summatim perstringens ac simul resurrectionem carnis probans ostendit, terrenum panem ideo post invocationem Dei communem panem esse desinere, quia sit* Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. *Quæ autem res illa terrena, ex qua constat Eucharistia, nisi corpus & sanguis Domini, quibus ali carnem nostram mox dixerat Irenæus? Ea verò rem terrenam vocat, ut hinc hæreticos confutet, negantes, Christum quidquam*

*quam ſibi terreni corporis adſciviſſe: terrenam, inquam, quia ex terreno pane & vino in Chriſti corporis & ſanguinis ſubſtantiam vere converſis & transmutatis fit verum Domini corpus verusque ſanguis. Ex quo ſequitur, Chriſtum ſibi corpus ex terrena materia concretum & factum, veramque carnem ac verum ſanguinem aſſumſiſſe; quod inficiabantur hæretici. Quæ vero res illa cœleſtis, ex qua etiam conſtare Euchariſtia dicitur, niſi ea, cujus paulo ante facta mentio eſt, verbum ſcilicet divinum, filius Patris unigenitus, quem creatæ Jeſu Domini noſtri* [p.82.] *naturæ verè ac ſubſtantialiter unitum fuiſſe nolebant hæretici?* Hæc ſubtilia oppidò ſunt & diligentem requirunt inveſtigationem. Cui dum operam damus, de Gnoſticorum abſurda hypotheſi multa utique non addemus. Id ſaltem monitu neceſſarium nobis eſſe v detur, ſententiam, quam de Euchariſtia ii tenuere, haud adeo perſpectam nobis cognitamque eſſe. Eam enim omni ex parte cum ſententia fideque Eccleſiæ conveniſſe vix mihi perſuaſuaſerim, quod argumentis haud contemnendis oſtendit doctiſſimus Basnagius in Hiſt. Eccl. L. III. C. III. §. 2. 4. conſentiente Jo. Clerico in Bibl. Sel. T. 25. P. 2. p. 308. licet ipſis quoque ἐπικλήσεως verbis, uti ſupra poſuimus, uſi fuerint juxta Marci exemplum. Sed ponamus hoc tantiſper, ut vis argumenti, quod contra eos producit Irenæus, conſpiciatur. Negant Gnoſtici, Chriſtum, qui paſſus fuerit, eſſe filium verbumque Dei. Objicit Irenæus: at cum credatis, *panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini*, ac in *calice ſanguinem ejus* contineri; credendum quoque vobis eſt, Chriſtum eſſe

 Filium

Filium Dei ejusque Verbum. Atque hæc ipsa juxta Massuetum ponimus, qui ita argumentantem inducit Irenæum. Sed quomodo ista cohæreant, nondum perspectum nobis est. Poterant enim regerere Gnostici, se non credere, quod in Eucharistia accipiant corpus & sanguinem Filii Dei & Verbi, quod sit impassibile, carnemque humanam non induerit, sed Christi illius, quem nudum fingebant hominem esse à Christo superiore distinguendum. Et hâc ratione tota disputatio uno ictu fuisset finita, nisi forsan credidissent Gnostici, quod tamen juxta hypothesin suam credere non poterant, se corpus & sanguinem Filii Dei & Verbi in Eucharistia accipere, quod incarnatum fuisse negabant. Quam dogmatum contradictionem tam crassam tàmque insulsam nemo ut arbitror, attribuet hominibus, queis sana adhuc mens est, quam perversi etiam alias stupidique illi sint. Cæterum suspicatus est hæc, quæ dicimus, judiciosissimus Massuetus. Ita enim pergit, ut connexionem argumenti ab Irenæo prolati ostendat. *Perinde est, ac si dixisset* Irenæus: *Quod corpus, qui sanguis carni nostræ vitam impertiuntur eamque à corruptione vindicant; ut sint terrenum corpus terrenusque sanguis, ex terrenis rebus concreta & facta, esse tamen non possunt merum terrenum corpus, merus terrenus sanguis, seu meri hominis corpus & sanguis: nam merum corpus humanum suapte natura mortale & corruptioni obnoxium vitam aliis præstare non potest. Atqui Domini nostri corpus & sanguis in Eucharistia ex terrenis rebus pane & vino per veram eorundem conversionem facta, carni nostræ vitam impertiuntur. Igitur non sunt mera res terrena merique hominis corpus*

[p. 83.] [p. 84.]

*corpus & sanguis; sed his unita sit necesse est res cœlestis, sempiterna & immortalis, ipsa vita, uno verbo Filius Dei unigenitus & verbum Patris.* Hoc argumentum quod Irenæo adscribit Massuetus, sua mole labi atque ruere arbitror. Negare enim poterant Gnostici, corpus & sanguinem Eucharisticum vitam impertiri, ii, qui resurrectionem corporis negabant, uti ipsemet fatetur Irenæus tùm alibi, tùm in eo, quem explicamus, loco. Ast & connexio majoris quam vocant propositionis hoc in argumento vacillare videtur. Quis enim negaverit, posse Deum creaturæ virtutem conferre vivificantem, quæ à morte & corruptione corpus hominis præservet? Heic quid regeri possit, non perspicio, nec id quoque capio, quâ ratione ex transsubstantiatione quæ Irenæo adscribitur, aut præsentia reali corporis Christi in S. Cœna firmum pro resurrectione carnis contra hæreticos argumentum deduci queat. Novi quidem & Irenæum alibi hoc argumento uti, & plures Patres eo usos fuisse, sed nondum ejus vis mihi apparet, penitius rem consideranti. Repetit tamen ista laudatissimus Irenæi interpres: *Ex quo sequitur* inquiens, *corpora nostra percipientia Eucharistiam eaque pasta & nutrita, non nuda meri hominis carne terrena sed ipsius verbi divini incarnati, ipsius proinde vitæ, corpore & sanguine, jam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia, nec æternum* [p. 85.] *perire posse, quæ tam cœlesti cibo recreantur.* Hæc in sermone quodam Ecclesiastico dici quidem posse arbitror, ubi demonstrationis vis non attendi solet. Ast si ad severas Logicæ regulas exigantur, nullus hic nexus inveniri potest, nisi quis crediderit, ita ali hominem corpore & sanguine Domi-

nico, ut hæc ipſa in ſubſtantiam carnemque ejus tranſeant, & quoniam corruptioni ac putredini obnoxia haud ſunt, à perpetua ſaltem corruptione carnem noſtram præſervent, eam ipſam ob cauſam in die ultimo reſuſcitandam, quod partem corporis ſanguinisque divini incorruptibilis ſecum ferat. Sed hanç ſententiam Cl. Maſſueto ſtare ego quidem vix mihi perſuaſerim, qui cæterum doleo, quod nulla arte Irenæi ratiocinium defendere aut probabile ſaltem reddere ſuſtineam. Contra veritatem enim nihil poſſumus; atque ubi perſpicuum eſt, veteres erraſſe, quod & variis in locis de Irenæo aſſeruit Maſſuetus, ibi ſepoſita omni autoritate dicendum quod res eſt. His ita prolixe expoſitis, neque enim in re tam obſcura brevitati ſtudere licuit, videamus, quâ ratione ſententiam Irenæi de re terrena & cœleſti tranſſubſtantiationi applîcare queat Vir doctiſſimus. Ait Irenæus, uti vidimus, *Eucbariſtiam ex duabus rebus conſtare, terrena & cœleſti.* Terrenam Maſſuetus putat ex ſententia Irenæi eſſe corpus [p. 86.] & ſanguinem Domini, cœleſtem verò divinam Chriſti naturam. Ratio hujus explicationis eſt, quia Gnoſticos refutet hîc Irenæus, negantes, Filium Dei carnem humanam terrenamque aſſumſiſſe. Sed hæc quidem haud difficili reſponſione poſſunt dilui. Nam primò, ſi contextus urgeatur, vox ἐπιγείου ex proxime antecedentibus verbis nobis explicanda eſt, non ex iis, quæ longius abſunt, niſi manifeſta ratio urgeat. Aſt quæ proximè antecedunt, ſunt hæc: ὡς γὰρ ἀπὸ γῆς ἄρτος & quæ ſequuntur. Vides hîc, quid ſit ἐπίγειον illud, de quo Irenæus, nempe ὁ ἀπὸ γῆς ἄρτος. Nihil hîc duri aut contorti

torti; ſponte fluit hæc explicatio, quam & ex parte ipſe aſſumit Maſſuetus, cum dicit: *terrenam, inquam, quia ex terreno pane & vino fit verum Domini corpus verusque ſanguis.* Secundo, cum hoc in capite id ſolummodo in Gnoſticis carpat Irenæus, quod credant, eum Dominum, cujus in Sacramento corpus ſanguinemque accipiant, non eſſe Filium Dei nec verbum ejus apparet, ipſum voce ἐπιγείου eos ferire haud voluiſſe, utpote haud negantes, creata iſta eſſe, quæ in Euchariſtia acciperent, niſi forſan Marcum quendam reſpexerit, de quo ſupra, vinum Euchariſticum in ſanguinem ἐπικλήσει ſua mutare tentantem & colorem rubicundum ipſi addentem; ſed potius voce ἐργανίου, ut monſtraret, corpus [p. 87.] Salvatoris cœleſti ἐπισκιασμῷ formatum, divina cœleſtique virtute præditum, cœleſti denique & ſumma gloria veſtitum atque glorificatum, corpus eſſe ejus, qui Filius Dei ſit & ipſius verbum unigenitum non corpus meri cujusdam, ut fingebant, hominis. Et hac ratione oſtendit Vir ſanctus, Gnoſticos, etſi forſan quoad externam confeſſionem cultumque cum fide Eccleſiæ de Euchariſtia conſpirent, ipſa tamen re veram de hoc Sacramento fidem haud tenere, quoniam in eo nihil agnoſcant, quod ſit ἐργάνιον, ſed mera ἐπίγεια, panem nempe vinumque cum corpore & ſanguine puri hominis conjuncta. Quod ſane argumentum Gnoſticis opponere poteſt is, qui mutationem panis negat; ſufficit, ſi præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia ſtatuat. Tertio loco reponimus, quod dum ſuam de Euchariſtia ſententiam hîc exponit Irenæus, ad Gnoſticos plane non videatur reſpicere. Nil enim monſtrare a-

liud vult, quam ſuam Eccleſiæque γνώμην de hoc argumento σύμφωνον eſſe ſibique conſtare, & cùm euchariſtiæ injeciſſet mentionem, ὡς ἐν παρόδῳ definitionem ejus tradit, & deinde ad primarium de oblatione argumentum revertitur. Itaque ne contextus quidem hîc nimium urgendus eſt, ne verbis vis inferatur. Aſt quid per πρᾶγμα οὐράνιον juxta men-[p. 88.]tem Maſſueti deſignatum vult Irenæus? Divinam, ait ille, Domini noſtri naturam, verbum ſcilicet divinum, Filium Patris unigenitum. Hujus aſſertionis ſummam difficultatem breviſſimis tantum tangemus. Haud enim de φρικτῷ hoc μυστηρίῳ nimium diſputare licet, ne in inanes diſputationes & præfractam in rebus divinis determinandis audaciam dilabamur. Alteram partem, ex qua Euchariſtia conſtat, divinam Filii ſubſtantiam eſſe quâ ratione dici aſſerique poſſit, non video. Ea enim accipi & manducari nequit, id quod vix ſine crimine quis cogitaverit. Illam autem εὐχαριστίαν hîc intelligit Irenæus, *quam corpora noſtra aſſumunt*, & hanc ex duabus rebus conſtare aſſerit. Si autem altera ex his non accipiatur, tota non accipitur, & imperfectum redditur Sacramentum. Sed dicet quispiam, corpus ſanguinemque Chriſti non poſſe vocari πράγματα οὐράνια, utpote ſimilia noſtris, ἐπίγεια atque terrena. Aſt, qui unionem Chriſti perſonalem, idiomatum divinorum communicationem, *inhabitationem omnis plenitudinis divinitatis corporalem* Coloſs. II. 9. *obumbrationem cœleſtem* concepti Chriſti effectricem Luc. I. 35. denique perfectiſſimam corporis Chriſti glorificationem & receptionem in cœlum conſideraverit, non dubitabit corpus ſanguinem

nemq; Christi vocare οὐράνιον, cum has omnes ob [p. 89.] rationes Christum τὸν δεύτερον ἄνθρωπον, ἐπουράνιον appellet Paulus 1. Cor. XV. 49. Nec ut arbitror reponi potest, Irenæum ita propriam causam proditurum fuisse, si corpus Christi dixisset οὐράνιον, cùm Valentiniani, quos refutet, asseruerint, carnem Christi esse cœlestem non è terra formatam, eamque per uterum virginis solùmmodo transiisse. Primò enim aliunde Irenæi sententia de terrena Christi carne constare Valentinianis poterat, quod sufficit, porrò sermonem Pauli, ut vidimus, hic Irenæus sequitur, denique non video, cur iis terminis uti nequeamus, queis hæretici abutuntur. *Quare enim ideo*, ait Tertullianus, *non utatur veritas vocabulo & re ac sensu illius, quia hæresis utitur?* contra Praxeam. Ita profectò idem, qui in libro de carne Christi veram hanc esse atque è terra sumtam contra Valentinianos egregie demonstraverat, in altero de resurrectione libro ipsum Dominum observat carnem suam *panem cœlestem nuncupasse.* Aliud exemplum illustrationis causa ex ipso Irenæo damus. Statuit is hominem tribus constare partibus, corpore, anima & spiritu 1. Thessal. V. 23. L. V. cont. hær. C. VI. §. 1. Atqui ista verba cum Valentinianorum hæresi satis conveniunt, qui triplicem in uno homine hominem esse statuebant, materialem seu choicum, Psychicum seu animalem à Demiurgo insufflatum, & spiritalem, [p. 90.] ortum videlicet è spiritali semine, quod ex Angelorum contemplatione protulit Achamoth. Unde & fingebant, animam in duas veluti partes sectam esse, cujus altera animalis sit & inferior, spiritalis altera. Vide Massueti Diss. I. in Iren. Art. 1. n. 5. §. 72. Ast

licet

licet conveniant verba, ſenſus tamen differt, nec abſtinuit iis Irenæus, ab hæreticis licet pariter uſitatis. Atque hæc contra explicationem verborum Irenæi à Maſſueto datam dixiſſe ſufficiat, quam hauſiſſe eum exiſtimo ex Cardinalis Perronii lib. II. de Euchariſtia. Notandum tamen eſt, illam apud omnes, qui Romanæ fidei addicti ſunt, haud receptam eſſe. Aliam quippe viam iniit Cardinalis Bellarminus, qui *per rem terrenam accidentia ſenſibilia panis deſignari* arbitratur, de Euchar. L. II. C. 6. quæ eadem fere ſententia eſt doctiſſimi Nourrii in Appar. ad Bibl. Max. Vet. Patr. L. II. Diſſ. VI. C. VIII. §. 1. f. 602. 603. Hæc admitti tantiſper poſſent, ſi Irenæus credidiſſet, accidentia ſine ſubjecto ſubſiſtere poſſe. Aſt hæc concoquere non potuit; ita enim L. II. C. XII. §. 2. *Neque aqua ſine humectatione neque ignis ſine calore, neque lapis ſine duritia (unita ſunt enim invicem hæc) intelligi poteſt, & alterum ab altero ſeparari non poteſt, ſed ſemper coëxiſtere ei* debet. Cæterùm egregia ſunt, quæ de ſententia Irenæi poſuere eruditiſ- [*p. 91.*] ſimi Autores libri de perpetuitate fidei Eccleſiæ Catholicæ circa Euchariſtiam T. III. C. II. p. 13. ſi modo voce *panis* ſubſtantiam ejus deſignent, cum ſcribunt: *Nullo eum judicio præditum eſſe oportet, qui negaverit, verba* res terrena & res cœleſtis *utpote generalia ad verba præcedentia referenda eſſe. Quemadmodum igitur* res terrena *manifeſte panem reſpicit,* res cœleſtis *corpus Chriſti reſpiciat neceſſe eſt**. Reſtat, ut, antequam ſententiam Irenæi de præſen-

* Gallica ita ſonant: *Il faut n' avoir point de diſcernement pour ne pas reconnoître, que les mots* res terrena & res cœleſtis, *qui ſont generaux, ſont relatifs aux mots par-*

præsentia reali penitus mittamus, reliqua verba quoque explicemus, quæ incongrua versione donavit vetus interpres: *Offerimus enim ei quæ sunt ejus congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus.* Transjecta enim verba esse & ὁμολογοῦντες atque ἔγερσιν plane non reddita, quivis videt. Cæterùm cur Grabius hæc suspecta habuerit, non video, cùm contextui apprime [*p.* 92.] respondeant. Verba enim ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες explicantur sequentibus ὡς γὰρ ἀπὸ γῆς —— καὶ οὐρανίου, ista autem καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν latius diducuntur iis, queis Græca finiuntur οὕτως καὶ τὰ σώματα ἡμῶν —— ἔχοντα. Unde rectissimè omnino contra Grabium pronunciavit Massuetus in nota: *Addit Vir Clariss. ista* κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες *perfectum sensum non fundere, nisi construantur cum sequentibus vocibus* σαρκὸς καὶ πνεύματος. *Atqui tantum abest, ut construantur cum his vocibus, ut potius ab iis divelli debeant, & referri ad præcedentia.* Hactenus bene, sed quæ sequuntur, ejusdem commatis esse non videntur. Exscribemus ea, ne librum evolvendi molestia lectori nostro creetur. *Paulò ante dixit Irenæus, hæreticis constare non posse, Eucharistiam esse corpus & sanguinem Domi-*

*ticuliers qui les precedent. Or comme le mot de* res terrena *se rapporte manifestement au Pain, il faut que le mot de* res cœlestis *se rapporte au corps de Iesus Christ.* Miror, tam crudè hæc à doctissimis viris pronunciata fuisse, cùm in sequente periodo contrariam Card. Perronii sententiam referant, cui nec judicium nec eruditio defuit.

*Domini sui, quod ipsum esse mundi fabricatoris filium & verbum negent, id est, quod veram ac substantivam unionem divini verbi cum vera humana carne & natura negent. Tum alterum eorundem hæreticorum errorem, quo carnis resurrectionem impugnabant, perstringens ait, utrumque cum ea, quam de Eucharistia profitebantur, fide pugnare; nostram autem consonantem esse sententiam Eucharistiæ & Eucha-* [p. 93.] *ristiam rursus confirmare sententiam nostram:* offerimus enim Deo τὰ ἴδια, quæ sunt ejus, *quæ ab ipso creata & condita sunt, panem scilicet & vinum in verum corpus & sanguinem Domini nostri conversa, & verbum Patris ab ipso genitum;* ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, congruenter communionem & unionem prædicantes, *verbi nimirum cum corpore & sanguine Domini, quæ in Eucharistia offeruntur,* καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, & confitentes carnis & spiritus resurrectionem. *Hic certe Irenæi sensus est, idque fatebitur, quisquis antecedentia cum consequentibus accurate conferre voluerit.* Supponit gratis Vir doctissimus, verba κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες Gnosticis opposita esse, veteremque Ecclesiam Deo Patri obtulisse panem & vinum *conversa* in corpus & sanguinem Christi. Nec enim, uti jam demonstravimus, transsubstantiationem statuit Irenæus, nec post consecrationem successit oblatio, sed eam antecessit potius in vetere Ecclesia. Quod tum ex iis Irenæi verbis patet, cùm dicit, *Christum suis discipulis consilium dedisse primitias Deo offerre ex suis creaturis*, addens §. 6. C. 18. *Offerimus enim ei non quasi indigenti sed gratias agentes*

*tes dominationi ejus & ſanctificantes creaturam;* tùm ex ipſo fragmento noſtro, ubi hæc verba habentur: *& poſtea* FINITA OBLATIONE *invocamus Sp. S.* [p. 94.] quo ſuperveniente demùm juxta Irenæum fit conſecratio. Porrò ait Vir clariſſ. in ſacrificium Euchariſtiæ à Veteribus Deo oblatum eſſe ipſum *verbum Patris ab eo genitum.* Hoc nec Irenæus dicit nec ullus alius inter Apoſtolicos Patres vel Apoſtolicis proximos. Nec quomodo Deus Deo ab hominibus offerri queat, comprehendi poteſt, ſi rem accuratius penſitemus. Rurſus, qua ratione in Euchariſtia veterum tempore Irenæi unio divinæ & humanæ naturæ Chriſti annunciata & prædicata fuerit, ipſe Irenæus hîc non explicat, nec in fragmento quoque noſtro explicatur. Non itaque crediderim verba hæc Gnoſticis oppoſita fuiſſe. Quin potius ex Gnoſticorum principiis datisque eos refellere conatur Irenæus. Supponit autem, eos in primario de Euchariſtia articulo cum Orthodoxis convenire, quod ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν credant, nempe quæ inter panem conſecratum corpusque verum Domini noſtri intercedit. Aſt carpit eos, quod non ἐμμελῶς iſtam ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν annuncient, utpote qui reſurrectionem carnis inficientur, quæ tamen prono nexu ex illa κοινωνίᾳ ſequatur. Atque hæc ſunt, quæ poſtea latius diducit Irenæus. *Quemadmodum enim* ait, *Euchariſtia ex* [p. 95.] *duabus rebus conſtat, terrena & cœleſti, per* ἔκκλησιν Spiritus Sancti unitis, id quod vos ipſi conceditis, *ita corpora noſtra*, dum Euchariſtiæ *reique* adeo *cœleſtis atque incorruptibilis* participes fiunt, *non amplius corruptibilia ſunt, aut corrupta poſt mortem manebunt ſed ſpem reſurrectio-*

nis

*nis habent*, quæ ipſa penitus ſuo tempore reddat incorruptibilia. Hæc, ut mihi videtur, fuit Irenæi mens, hæc ſententia, quam ex eo quoque arguere poſſumus, quod voce κοινωνίας utitur, quâ alludere eum arbitror ad locum 1. Cor. X. 16i ubi: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne* COMMUNICATIO *ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus, nonne* COMMUNICATIO *corporis Chriſti eſt*: quæ *unionem* Sacramentalem, uti ſupra demonſtravimus, clariſſimè evincunt. Scilicet hæc ipſa ſunt, quæ ſua facit Irenæus L. V. C. 11. §. 2. ubi κοινωνία per *communicationem* ab interprete redditur, poteratque Irenæus hanc de ἑνώσει Sacramentali ſententiam ab Ignatio didiciſſe, qui ipſe & ἕνωσιν aſſerit Epiſt. ad Philadelph. §. 4. ubi: ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος Χριστοῦ. Vide Diſſertationem noſtram de Oblatione Euchariſtiæ §. 26. Sufficienter cauſam meam egiſſem, niſi de voce ἐπικλήσεως quid ad-[*p.96.*]dendum eſſet. Ait Irenæus: *Uti enim panis terreſtris accipiens* τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ. Mallet in notis ἐπίκλησιν Maſſuetus. Sed maneat ἔκκλησις. Ita enim in fragmento noſtro: *finita oblatione* ἐκκαλοῦμεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Nec tamen diffiteor, vocem ἐπικλήσεως communem eſſe, iſtam verò inuſitatam. Sed res eodem recidit. Ita olim facta fuit conſecratio, verbis nempe ἐπικλήσεως, qua invocabatur Deus, cui offerebantur dona conſecranda, ut è cœlis mitteret Spiritum ſuum ſanctum, qui propoſita dona ſanctificaret, corpusque & ſanguinem Domini in iis præſentia redderet. Hanc antiquiſſimam quæ ad nos pervenerit, liturgiam eſſe nemo diffitebitur

tebitur, nisi qui in antiquitate Ecclesiastica valde hospes sit. Ast mutata fuit postea, *variavitque Ecclesia* in re maximi momenti, non Græca quidem, quæ ad hodierna usque tempora antiquam ἐπίκλησιν conservavit, Concilio Florentino quoque connivente; sed Romana, quæ etsi primum eam, antiquissima nempe traditione fultam, recepisset, rudera enim illius in antiquis Missis latinis invenimus, postea tamen per solam verborum institutionis recitationem consecrare dona satius duxit. Sed de his quidem in Dissertatione de Consecratione Eucharistiæ latius jam egimus. Nunc, dum virtutem Eucharistiæ, quæ juxta [*p. 97.*] Irenæum corpora nostra reddit incorruptibila, denuo pensitamus, solvendum nobis occurrit argumentum Francisci Feuardentii, qui in notis ad illa *quomodo autem rursus dicunt carnem* ex ultimis quæ explicavimus verbis ita transsubstantiationem demonstrat: *Panis Eucharistiæ percepta invocatione ita mutatur ab esse terreno in cœleste, sicut corpora nostra per ejusdem participationem ex mortalibus & corruptibilibus efficiuntur immortalia & incorruptibilia. Sed corpora nostra non figura vel significatione quadam sed re ipsa proprieque erunt immortalia & incorruptibilia. Igitur panis terrestris Eucharistiæ non metonymice sed substantiali realique transmutatione fit ipsum corpus Domini nostri Jesu Christi.* Longius hæc petita sunt, mirorque oppido, plurimos Viros doctos huic argumento inhærere potuisse. Nec enim ex Irenæo id petitum est; nec mutatio ea, ut puto, substantialis est licet physica, qua corpora nostra in die resurrectionis ex mortalibus & corruptibilibus efficientur immortalia & incorruptibilia, cum tamen

mutatio ſymbolorum juxta ſententiam Eccleſiæ Romanæ in Euchariſtia ſit ſubſtantialis; & denique quod egregium eſt, tranſſubſtantiationem non probat ex Irenæo ſed ſupponit Feuardentius. At argumentis ejusmodi aſſuetus fuit Vir alias haud indoctus, qui zelo ſuo extra oleas ſæpius vaganti limites ponere neſcivit. [p. 98.] Id unum addimus, verba Irenæi, ubi dicit, *corpora noſtra euchariſtiam accipientia non amplius eſſe corruptibilia* cum grano ſalis accipienda eſſe. Manent enim & ſunt φθαρτὰ usque ad diem reſurrectionis; nec id ἄφθαρτον vocaveris, quod mortem ſubit. Unde tùm demum corpora noſtra fore ἄφθαρτα Apoſtolus ait, cùm immortalitatem induent in mortuorum reſurrectione 1. Cor. XV. 52. 53. 54. Itaque τὸ μηκέτι εἶναι φθαρτὰ explicandum eſt ex ſequentibus τὴν ἐλπίδα τῆς εἰς αἰῶνας ἀναστάσεως ἔχοντα. Vocem εἰς αἰῶνας non reddidit latinus interpres, quod textui congruam haud exiſtimavit. Aſt ſcripſiſſe eam poterat Irenæus, qui ſæpius terminos jungit ſibi haud reſpondentes. Intelligit reſurrectionem, quæ corporibus noſtris vitam conferat εἰς τὰς αἰῶνας duraturam. Ἀνάστασις enim ipſa εἰς αἰῶνας non extenditur. Paulo ſuperius itidem difficilem loquendi modum adhibet noſter, cum dicit: ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν. Quid eſt quæſo πνεύματος ἔγερσις; nil poteſt reſurgere niſi quod corruptum diſſolutumque fuerit. Num itaque animam hominis natura mortalem credidit Irenæus, quod ex Veterum Patrum fide ante aliquot annos

probare

probare conatus eſt Henricus Dodwellus, ante quem id credidit etiam Grotius, animas ex vi ſola novi fœderis immortales eſſe ad Job. XXXIV. 14. & Gen. II. 7. Reſpondeat hîc ipſe Irenæus: *Quæ ſunt ergo mortalia corpora? Num-* [p. 99.] *quidnam animæ? Sed incorporales animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum.* Inſufflavit *enim* in faciem hominis *Deus* flatum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem: *flatus autem vitæ incorporalis. Sed ne mortalem quidem poſſunt dicere ipſum flatum vitæ exſiſtentem. Et propter hoc David ait*: & anima mea illi vivet, *tamquam immortali ſubſtantia ejus exſiſtente. Sed neque ſpiritum poſſunt dicere mortale corpus. Quid igitur ſupereſt dicere mortale corpus niſi plasma, id eſt, caro, de qua & ſermo eſt, quoniam vivificabit eam Deus? Hæc enim eſt quæ moritur & ſolvitur*, SED NON ANIMA NEQUE SPIRITUS. *Mori enim eſt vitalem amittere habilitatem & ſine ſpiramine in poſterum, & inanimalem & immemorabilem fieri & deperire in illa, ex quibus & initium ſubſtantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit; flatus eſt enim vitæ: neque ſpiritui; incompoſitus eſt enim & ſimplex ſpiritus, qui reſolvi non poteſt, & ipſe vita eſt eorum qui percipiunt illum.* Et poſt pauca: *Hæc enim ſunt corpora animalia, id eſt, participantia animæ; quam cum amiſerint, mortificantur: deinde per ſpiritum ſurgentia, fiunt corpora ſpiritualia, uti per ſpiritum ſemper permanentem habeant vitam.* L. V. adv. hær. C. VII. §. 2. Alibi L. II. C. XXXIII. §. 4. ait: *Anima ipſa vivere non ceſſat.* His tamen omnibus [p. 100.] contraria alia in ſcriptis Irenæi eſſe videntur. Scribit enim, animas & ſpiritus perſeverare, *quoadusque ea*

*Deus & esse & perseverare voluerit. . . . . Non enim ex nobis neque ex nostra natura vita est: Sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitæ & gratias egerit ei qui præstitit, accipiet & in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, & ingratus exstiterit factori ob hoc quod factus est & non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia.* L. II. C. XXXIV. §. 2. 3. Unde & capite antecedente §. 5. asserit: *Ac propterea numero, quem ipse apud se definivit, completo omnes inscripti ad vitam resurgent, propria habituri corpora ac animas proprias ac spiritus proprios, in quibus Deo beneplacuerunt. At vero pœna digni in eam abibunt, ipsi quoque proprias habituri animas ac corpora propria, in quibus à Gratia divina defecerunt.* Ex quibus posterioribus verbis perspicere est, credidisse Irenæum, quod impii *spiritum* non habeant nec habituri etiam sint in die resurrectionis. Cæterum cùm his in locis affirmet Irenæus, partim, quod anima spiritusque solvi morte non possint, partim quod perseverent ex mera Dei gratia, non ex naturæ suæ vi quadam insita, [*p.101.*] alibique asserat, animas humanas *ex* subtilissima *materia* concretas esse, vix hæc ita componi possunt, ut omnia sibi constent. Et quamvis doctiss. Massuetus locum, qui L. II. C. XXXIV. §. 2. 3. 4. exstat, supra à nobis adductum à Dodwelli explicatione liberare conetur tùm in Diss. III. in Iren. Art. IX. §. 105. tùm in nota, quam f. 169. posuit, verba tamen si premas, est, quod responderi possit. Ast non opus est, ut omnia ista in sensum orthodoxum transfundamus, cùm Irenæus *in iis, quæ de animarum humanarum natura sensit, à sana & Philosophiæ & Theo-*

*Theologiæ legibus aberraverit.* Vide Diss. III. citatam Art. XI. §. 121. Quid itaque quæso nunc est πνεύματος ἔγερσις; Massuetus ait, *conservationem animæ post mortem* hîc denotari, adducitque locum Tertulliani lib. de resurrectione carnis C. 2. ubi *resurrectionem animæ* dixerit, quatenus nimirum homine mortuo ipsa non perit, sed à corruptela servatur. Sed dicet quispiam, contrarium potius ex Irenæi verbis patere, qui credat, animam in morte perire & cum corpore demum resuscitari, quia σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν dicat, ita ut ἔγερσις eodem modo τὸ πνεῦμα respiciat, quo τὴν σάρκα respicit. Quod licet expressis Irenæi verbis alibi positis contrarium sit, egomet tamen arbitror per σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν intelligi ab eo *carnis & spiritus* conjunctionem in resurrectione mortuorum. Sed quî am bo accidit, ut Irenæus pro conjunctione ἔγερσιν poneret? Scilicet omnes jam voces quæ conjunctionem significant, memoriæ suæ tùm suggestas exhauserat, dixerat ἕνωσιν, dixerat & κοινωνίαν; & cum alia vix scribenti non occurreret, ne diutiori intenderet cogitationi, scripsit ἔγερσιν, maximè, quod de ea carne proprio sensu dici posset. Hæc salvo aliorum judicio ita arbitror. Quæ sub finem C. XVIII. §. 6. exstant, paucis perstringemus. Ita autem ibi: *Offerimus enim ei non quasi indigenti sed gratias agentes dominationi ejus & sanctificantes creaturam.* Patet hinc, oblationem in gratiarum actione & sanctificatione creaturæ consistere. Itaque dona jam sanctificata in veteri Ecclesia non amplius offerebantur nec consecratione facta [p.102.]

 corpus

corpus & ſanguis Chriſti, quod nullibi Irenæus dicit, oblata fuere. Revertitur poſtea ſanctiſſimus Præſul ad ſacrificium ſpirituale, cum ſcribit: *Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quæ à nobis ſunt, ſic nos indigemus offerre aliquid Deo, ſicut Salomon ait:* qui miſeretur pauperi, fœnerat Deo.„ Si terminum oblationis & ſacrificii ad vivum reſecare voluiſſet Epiſcopus Lugdunenſis, ut hodie à multis fieri videmus, non profectò ſacrificia ſpiritualia doctrinæ de oblatione Euchariſtica toties immiſcuiſſet. Aſt ais, ſententiam Irenæi ex ſequentibus verbis tam [*p. 103.*] claram eſſe, ut nihil amplius opponi queat, ibi enim: *id ipſum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut diſcerent Deo ſervire: ſic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter ſine intermiſſione.* Habes hîc præceptum, oblationem, munus, altare. Clara omnia ſunt & perſpicua. Sed videamus, qua ratione hæc Irenæus explicet. Ita autem ille: *Eſt ergo altare in cœlis (illuc enim preces noſtræ & oblationes diriguntur) & templum, quemadmodum Johannes in Apocalypſi ait:* & apertum eſt templum Dei; *& tabernaculum;* ecce enim, *inquit*, tabernaculum Dei, in quo habitabit *cum hominibus.* Heic pro oblationibus preces, pro altari cœlum dicitur, & quod proprie antea intelligendum eſſe credebatur, ſpirituali nunc explicatur atque allegorica ratione. Quo tamen ipſo id non volumus. oblationem externam donorum Euchariſticorum ante factam conſecrationem ex Irenæo probari non poſſe. Quod uti ſupra affirmavimus, ita hîc id ſolùm addimus, implicatam difficilemque dicendi rationem, qua Irenæus utitur, ipſius ſenten-

tiam

tiam hîc obscuram reddere, ut quovis modo ferè explicari possit. Poteramus nunc totam Irenæi de oblatione Eucharistiæ & præsentia reali sententiam in compendio exhibere, nisi dicenda adhuc quædam essent ad L. V. adv. hær. C. II. §. 2. 3. ubi argumentum de Eucharistia repetitur. Clarissimis [p. 104.] ibidem verbis præsentiam realem adstruit, ita ut dicat, corpore Christi nostra corpora augeri & sanguine ejusdem sanguinem nostrum, atque hinc resurrectionem corporum nostrorum denuo contra Gnosticos demonstrat. Quæ si premantur, statuit omninò Irenæus, corpus sanguinemque Christi mutationem, quæ in nutritione fit, subire, & in nostrum corpus transmutari. Quod quemadmodum de corpore Christi asseri haud potest, quod immutabile, ita corpori glorioso, ἐπουρανίῳ & ἀφθάρτῳ haudquaquam convenit. Cæterum, ubi dicitur, Christum asseruisse, quod is panis, qui est à creatura, corpus suum sit, ibi non supponi potest mutatio quædam in pane facta, cùm ἕνωσιν supra statuerit Irenæus. Quod & de iis verbis notandum censemus, quæ §. 3. sequuntur: *Cum itaque & poculum mixtum & panis creatus Dei verbum recipit, tùm Eucharistia Christi fit corpus.* Fit enim Eucharistia corpus Christi per illam ἕνωσιν, quæ panem cum corpore conjungit modo sacramentali & ineffabili, vi λόγου, seu virtutis divinæ omnipotentis & ἐκκλήσεως, quam supra nominaverat Irenæus, ἐπίκλησιν hodie appellitant Græci. Est tamen argumentum, quod pro transsubstantiatione formatur ex his Irenæi verbis L. V. C. II. exstantibus: *Quemadmodum vitis lignum ad terram inclinatum suo tempore fructum* [p. 105.]

*tulit, nec non tritici granum in terram cadens ac dissolutum multiplex excitatum est Spiritu Dei, omnia qui complectitur; Postea verò divina sapientia ad hominum translata usum ac Dei verbum suscipientia fiunt Eucharistia, id est corpus ac sanguis Christi: ita & nostra corpora inde nutrita ac terræ mandata & in ea dissoluta suo tempore resurgent, verbo Dei resurrectionem iis donante in gloriam Dei & Patris.* Hinc ita Massuetus: *Quemadmodum igitur ea mutatio, quæ resurgenti carni accidit, substantialis est, sic & ea, quæ pani, ut fiat corpus Christi, contingit, substantialis est veraque transsubstantiatio, non minus quam ea quæ fit in tritico, ut in panem convertatur.* Diss. III. Art. VIII. §.91. Paucissima sunt, quæ regerimus. Primò omne simile claudicat; ergo & hoc. Secundò, mutatio quæ carni resurgenti accidit, non est substantialis, resurget enim carnis eadem substantia licet diversa quoad qualitates. Tertio nec tritici in panem mutatio substantialis est nec seminis in triticum progerminatio; quis hoc dixerit? Quarto hoc Irenæi non est argumentum, qui id saltem dicere voluit: Quemadmo-
[*p.* 106.] dum semen terræ injectum ibique ita dissolutum, ut plane periisse videatur, tamen suo tempore progerminat fructumque fert, imo quemadmodum panis, qui isto ex fructu formatur, in Eucharistia cum vero Christi corpore conjungitur, ita corpora nostra terræ commixta atque in eadem resoluta suo tamen tempore resurgent, solutæque partes rursus secum invicem & cum anima conjungentur. Hæc uti existimo Irenæi sententiam haud male exprimunt; similia enim iis ex locis explicanda sunt, ubi data opera tractatum fuit, de quo disputatur, argu-

argumentum. Quemadmodum autem transſubſtantiatio ex Irenæo probari nequit, ita præſentia realis clariſſimo nexu ex ejus verbis ſequitur. Quam miror haud agnoviſſe Jo. Erneſtum Grabium, apud quem Patrum & maximè Irenæi autoritas plurimum valuit, qui panem & vinum in ſacra Euchariſtia corporis ſanguinisque Dominici virtute ſola imbui non ſubſtantiæ adjungi credidit, ſecus ac de eo refert Clariſſ. Clericus Bibl. Sel. T. XXV. P. II. p. 244. qui ait, *ipſum præſentiam defendiſſe, quemadmodum Lutherani eam ſtatuant.* Cæterum ubi Maſſuetus Grabii refutat argumentum, cum dicit, de cœleſti & glorioſo Chriſti corpore aſſeri non poſſe, quod carnem noſtram alat nutriatque; ipſe in eam deſcendit ſententiam, *omnes actiones, quæ manducationis intellectu continentur, eamque comitantur aut conſequuntur, nonniſi in ſpecies & ſymbola, quibus Chriſti corpus tegitur,* [*p. 107.*] *exerceri.* Ait itaque, ſi quid capio, nos Chriſti corpore in Euchariſtia accepto *immediate* non aliaut nutriri ſed *mediatè*, conceditque, multos Patres negaſſe, Chriſti corpus comedi, ut manducationem Capharnaïticam excluderent. Aſt non opus eſt, ut ad ſubtiles has explicationes dilabamur. Sufficiat hoc, proprie non locutum eſſe Irenæum, nec attendiſſe ea, quæ ex nutritione proprie juſtiſſima ſequela deduci poterant. Conf. Diſſ. III, Art. 8. §. 95. Ubi autem §. 96. Grabio gratulatur Maſſuetus, quod ſacram Euchariſtiam pro vero ac proprie dicto novæ legis ſacrificio & externa oblatione habuerit, non arbitror, quod ipſum Romanæ Eccleſiæ ſententiam de ſacrificio Miſſatico omni ex parte tenuiſſe afferat. Veri enim corporis verique ſanguinis Domini ob-

 lato-

lationem in Euchariſtia fieri factamque à veteribus eſſe penitus negavit Grabius, qui præſentiam realem inficiatus eſt. Iſtam autem, quam defendit, oblationem externam panis & vini, ritum Eccleſiaſticum in ſe indifferentem, nemo eſt inter Proteſtantes, qui rejiciat, niſi virtus ſpiritualis huic, quod Dominus in Evangelio haud præcepit, operi adſcribatur. Ipſe etiam Joannes Clericus, qui tantam ac Grabius autoritatem Patrum ſcriptis nunquam dedit, hæc in verba fatur: *Verum eſt, veteres Chriſtianos ſolitos fuiſſe* [*p. 108.*] *menſæ ſacræ panem imponere, cujus pars ad Sacram Cœnam celebrandam adhibebatur, eumque Deo offerre, gratias ipſi agentes pro beneficiis ipſius, & huc reſpicit Irenæus. Hoc inſtitutum non malum eſt, nihilque continet, quod contrarium ſit inſtitutioni Euchariſtiæ à Domino factæ. At non eſt hæc oblatio expiatoria pro peccato, uti ipſi Romano-Catholici fatentur.* l. c. p. 313. Uti autem Maſſuetus Grabium ſuæ Eccleſiæ in doctrina de ſacrificio Miſſæ proximum omnino eſſe credidit, alias enim ipſi haud eſſet gratulatus; ita plurimum id in Grabio doluit Vir Celeberr. Jo. Franciſcus Buddeus, Theologus Jenenſis, qui A. MDCCV. Jenæ Diſſertationem edidit, ut probaret, *Clementem Romanum atq; Irenæum Miſſæ Pontificiæ non favere*, eandemque *Jo. Erneſto Grabio*, uti titulus fert, *oppoſuit.* Doluit id inquam, in Grabio Buddeus, maxime quod doctiſſimi *Actorum Trivultinorum* Collectores, Societatis Jeſu Presbyteri, inſigni gaudio & publica laudis acclamatione hanc ſententiam exceperint in recenſionibus Anni 1703. p. 353. ſq. & quod Grabius Lutherum & Calvinum ob abrogatam hanc novi Teſtamenti oblationem graviter increpuerit, addideritque;

hoc

hoc ſacrificium iis, pro quibus offeratur, beneficia mortis Chriſti impetrare. Conf. §. 49. laudatæ Diſſertationis. Nec negari poteſt, Grabium cum iſta poſuit, limites exceſſiſſe plurimum; id [p. 109.] tamen veritati dandum, quod ſacrificium Miſſaticum corporis Domini haudquaquam crediderit aut adſtructum iverit. Reſtat nunc, ut dum hanc notam finimus, ſententiam Irenæi de oblatione, conſecratione & eſſentia Euchariſtiæ hîc quaſi in compendio explicemus. Statuit autem ille (1.) primitias munerum divinorum panem & vinum Deo offerendas eſſe cum precibus & gratiarum actione, (2.) idque ex mandato ipſius Domini, qui exemplo ſuo, dum ſuper panem gratias egit, eum offerre nos docuerit, (3.) omnes ſtringente, non ſolos ſacerdotes. Nec enim de ſacerdotali oblatione ſola Irenæo ſermo eſt, quod ex verbis ipſius haud probari poteſt, ſed de communi munerum oblatione, quam tota offert Eccleſia. Hinc ad determinandum ſubjectum, quod offerre debeat, allegat hæc dicta: *cùm igitur offers munus tuum ad altare & non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui*, ut plura taceamus. (4.) Addit, ex donis oblatis, cum euchariſtia celebretur, ſacramentum confici, ita ut poſt conſecrationem nullam amplius oblationem memoret. (5.) Hanc conſecrationem à nobis fieri aſſerit per ἐκκλησιν ſive invocationem Spiritus S. à Deo vero λέγῳ ipſius omnipotente, qui omnia efficiat, (6.) effectum autem hujus conſecrationis eſſe unionem veram panis cum corpore & vini cum ſanguine Chriſti. Hinc nutriri corpora noſtra fierique incorruptibilia, ita ſaltem, ut corruptioni perpetuæ non ſint [p. 110.] obnoxia

obnoxia ſed reſurrectionis ſpem habeant. „ Hæc doctrina Irenæi eſt, quæ num ſtatutis Concilii Tridentini congrua ſit, latius heic ediſſerere non attinet, cùm in Diſſertationibus de oblatione & conſecratione Euchariſtiæ plura dicenda occupaverimus, aliqua etiam in ſequentibus notis recurrant.

κατὰ τὸ Μαλαχίου τοῦ προφήτου (Familiare hoc dictum Patribus eſt, ubi de oblatione Euchariſtica agunt. De omnibus plane Chriſtianorum oblationibus, ἀπαρχαῖς & δεκάταις explicatur in Conſtit. Apoſt. L. VII. C. 29. 30. Ibi enim mandatum exſtat de conventu publico die dominica celebrando deque facienda ſolenni gratiarum actione, *ut inculpata ſit victima veſtra ac Deo accepta, qui de Eccleſia ſua Oecumenica ait; quod in omni loco mihi offertur ſuffitus. &c.* Adde L. VI. C. 23. Aſt de oblatione Euchariſtica perſpicue id interpretatur Juſtinus Martyr: *Quare de ſacrificiis à vobis tunc oblatis Deus dicit ut ante monitum, per Malachiam unum ex duodecim Prophetis: Voluntas mea non acquieſcit in vobis, inquit Dominus, nec e manibus veſtris veſtra accipiam ſacrificia. Quoniam à ſolis ortu usque ad ejus occaſum glorificatum eſt nomen meum inter gentes, ac in omni loco ſuffimentum offertur nomini meo ac ſacrificium purum: magnum enim inter gentes nomen meum, inquit Dominus, at vos* [*p. 111.*] *profanatis illud. Jam verò de ſacrificiis à nobis gentibus ipſi oblatis in omni loco, hoc eſt, pane Euchariſtiæ ac ſimiliter poculo euchariſtiæ tum loquens prædixit: quod nos quidem glorificemus nomen ipſius, vos autem contaminetis.* In Dialogo cum Tryphone Judæo p. 260. Explicaverat jam p. 246.

Juſti-

Justinus Malachiæ locum de δώροις & προσφοραῖς Christianorum, repetitque idem paulò inferius p.344. alludens denuo ad verba Prophetæ: *Verum Dei genus sacerdotale nos sumus, prout & ipse Deus testatur, asserens, quod omni in loco inter gentes grata ipsi ac munda sacrificia offeramus. Haud vero ulla Deus sacrificia accipit præterquam à sacerdotibus suis.* Quod sane intelligit de *sacrificiis, quæ Jesus Christus tradidit ut fierent in Eucharistia panis & vini.* Aliam viam ingreditur Tertullianus, qui in libro adversus Judæos locum Malachiæ explicat de *prædicatione Apostolorum*, quæ *in omnem terram exire habebat, & de sacrificiis spiritalibus laudis. Namque* ait, *quod non terrenis sacrificiis sed spiritalibus Deo litandum sit, ita legimus, ut scriptum est.* Cor contribulatum & humiliatum hostia [*p. 112.*] Deo est. *Et alibi:* sacrificia Deo sacrificium laudis. . . . . *Sic itaque sacrificia spiritalia laudis designantur & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus & Esaias loquitur. . . . . .* DE SPIRITALIBUS *verò* SACRIFICIIS *addit, dicens:* Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.,, quæ omnia in sequentibus latius diducit Tertullianus L. III. adv. Marcionem. Sacrificium mundum Malachiæ ipsi est *gloriæ scilicet relatio & benedictio & laus & hymni* & L. IV. *simplex oratio de conscientia pura.* Hæc ut arbitror, clara sunt atque perspicua, ostenduntque, Tertullianum de sacrificiis spiritualibus Malachiæ locum explicasse. Quod & fecit Eusebius in Demonstrat. Evang. L. I. C. 6. ubi oblationem mun-

dam

dam per εὐχὰς & ἔργα εὐσεβῆ spiritumque contritum explicat, ut plures Patres eandem tenentes sententiam taceamus, quorum testimonia alii collegere. Nescio itaque, quâ ratione hæc explicari possint quæ male Grabio attribuit Whitby de Interpret. Script. p. 148. sq. Feuardentii verba, ut à falsitate liberentur: *Porro locum hunc Prophetæ de sacrificio corporis & sanguinis Christi in Eucharistia ante Irenæum interpretati sunt Clemens Rom. Martialis, Justinus M. Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus,* [113.] *Augustinus, Eusebius, Damascenus, Petrus Venerabis; imo & qui Christo nomen non dederat, Rabbi Samuel Parastasi veri Messiæ ad Rabbi Isaac magistrum Synagogæ Subiulmetæ in regno Marochiano Cap. 20. & 23. ut impietas sit plusquam Judaica, huic interpretationi repugnare.* Primò enim illi Patres, quos allegavimus & quorum verba dedimus, sacrificium corporis & sanguinis Christi haudquaquam asserunt in Eucharistia fieri, adeoque nec locum Malachiæ de hoc explicare sacrificio potuerunt. Secundò, uti videmus, diversæ hîc sunt Patrum sententiæ, quùm Constitutiones quidem Apostolicæ de oblatione primitiarum & decimarum, Justinus Martyr de oblatione externa donorum consecrandorum, Tertullianus de verbi Divini prædicatione precibusque Malachiam locutum esse asserant. Dissentiunt itaque Patres in hujus dicti explicatione, nec ex eorum consensu, qui hîc non datur, formari ulla potest Apostolica traditio. Denique id ridiculum est, quod addit Feuardentius, *locum hunc Prophetæ de sacrificio corporis & sanguinis Christi in Eucharistia explicasse &, qui Christo nomen non dederit,*

*derit*, *R. Samuelem* &c. Hæc de Judæo affirmare qui Chriſto nomen non dedit nec in Chriſtianorum caſtra tranſiit, res plena audaciæ & temeritatis eſt. Quinimo & id comprehenſu difficile eſt, quomodo Feuardentius dicere potuerit, locum [p. 114.] Malachiæ de ſacrificio Miſſæ *ante Irenæum* explicaſſe Tertullianum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Euſebium, Damaſcenum, Petrum Venerabilem & R. Samuelem, cum hi omnes demum *poſt Irenæum* ſcripſerint. Sed neſcivit, quid ſcriberet, Vir doctus, in coacervandis teſtimoniis pro Sacrificio Miſſatico ita occupatus, ut genuina & ſuppoſititia, falſa & vera, oblationem panis & vini externam & ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro lubitu confuderit, nimioque αἰθολκῆς ſtudio in transverſum actus fuerit. Cæterum id non negatur, eſſe inter Judæos, qui locum Malachiæ de veris propriisque ſacrificiis explicent. Sunt tamen & alii, qui de ſacrificio ſpirituali precibusque hæc interpretari malint. Unus inſtar omnium ſit Jonatan, filius Uzielis, qui hanc nobis Chaldaicam verſionem dat, dignam, quam hîc apponamus: ובכל ערן דאתון עבדין רעותי אנא אקבל צלותכון ושמי רבא מתקדש על ידיכון וצלותכון כקורבן דכי קדמי ארי רב שמי ביני עממיא אמר יי צבאות: *In omni tempore, quo vos feceritis voluntatem meam, ego acceptabo precationes veſtras & nomen meum magnum ſanctificabitur per vos & precationes veſtræ erunt ſicut holocauſtum purum coram me, quia magnum eſt nomen meum inter populos, dicit Dominus exercituum.* Quod cum ita ſit, id quoque notandum eſt, Malachiam de ſacrificio plane nihil memorare, ſed de מנחה *oblatione* loqui

[p.115.] loqui, quæ à sacrificio plurimum distat. Cæterum omnino arbitramur, Irenæum tùm in fragmento nostro, tùm L. IV. C. XVII. §. 5. hoc Malachiæ dictum de oblatione externa panis & vini in Eucharistiam consecranda conjunctisque cum ipsa precibus exponere, etsi §. 6. per *oblationem* nihil aliud quam *glorificationem nominis* divini & per *incensum solas orationes sanctorum* intelligere videtur. Unum hoc addimus, Sanctos Patres in allegatione dictorum Scripturæ haud esse infallibiles, tùm quoad sensum tùm quoad verba. Sensum enim sæpius ad allegoriam deflectunt, mirasque nectunt consequentias, quas ad examen haud revocare licet. Verba autem sæpius transjecta, corrupta, Hebraicæ veritati contraria, ex apocryphis desumta, in Canonicis non exstantia.

*διότι ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου*) Ita habent LXX. Interpretes. Aliter tamen hæc paululum ponuntur in Justini M. Dialogo cum Tryph. p. 260. Cujus verba translata quidem in præcedente nota dedimus. Ast non tangit nos ea varietas. Hebræa veritas habet: *quia ab Oriente solis usque ad occasum ejus magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco suffitus oblatus est nomini meo & oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, inquit Dominus exercituum.* Mal. I, 11. His verbis Deus Judæos certiores facit, se sacrificia illorum respuere, quia ab oriente solis usque ad occasum nomen suum [p.116.] à gentibus sit glorificandum, quæ in omni loco suffitum & oblationem mundam sint oblaturæ. Locus παράλληλος habetur C. III. comm. 3. 4. *& offerent Deo oblationem in justitia, & placebit*

*bit Deo oblatio Juda & Jerusalem secundum tempora antiqua annosque veteres.* In priore loco gentes, in posteriore loco Judæi dicuntur oblationem in novo Testamento facturi Domino. Quænam autem illa sit in Dissertatione de oblatione Eucharistiæ jam supra diximus.

θυσία ) In Hebræo מנחה est, *oblatio*, non זבח sacrificium aut עולה quod est holocaustum. Cæterum hæc bene notanda sunt, quia plurimi sunt, qui oblationem à sacrificio haud distinguunt. De corpore autem & sanguine Domini illiusque oblatione nihil omnino hic Malachias dicit, qui ad ea saltem respicit, quæ in Veteri Testamento offerri poterant, nisi per מנחה טהורה *oblationem puram* solas preces intelligas.

ἐν τῇ ἀποκαλύψει ) Vide Apoc. V. 8. Nisi ex antecedentibus certum esset, Irenæum loqui de externa quadam oblatione, crederem omnino, quod Malachiæ verba de spirituali precum oblatione solum exponeret. Eadem hujus loci allegatio exstat L. V. adv. hæres. C. XVII. §. 6. ubi verba Malachiæ cum Apocalypticis simili ratione combinantur.

παραστῆσαι —— τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν ) Habentur hæc Rom. XII. 1. Pergit Irenæus, dum de oblatione externa eâque novâ novi Testamenti [*p. 117.*] agit, dicta allegare, quæ de sacrificiis tantum spiritualibus agunt, ut ostendat, sacrificia novi Testamenti esse spiritualia Deoque offerenda ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ Joh. IV. 24. Cæterum extra controversiam positum esse arbitror, quod nemo offerre Deo aliquid aut Eucharistiæ particeps juxta mentem Domini esse possit, nisi prius se ipsum totum Deo vera fide obtulerit. Ita

Gregor. Nazianz. in Apologetico, Orat. I. Apologet. edit. Paris. 1609. p. 38. *Haud quisquam Dei Maximi & sacrificio & sacerdote summo dignus est, qui non semetipsum Deo prius exhibuit victimam vivam ac sanctam, neque cultum rationalem Deo acceptum præstitit, neque sacrificium laudis ac spiritum contritum immolavit, quam victimam solam omnium largitor Deus a nobis poscit.* Unde apprime mihi placuere, quæ hanc in rem in Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ exstant, juxta quam omnes illi, qui Eucharistiæ fiunt participes, Deo totos cum anima & corpore se consecrant piis precibus atque ad verba Pauli conceptis. Respicere huc quoque videtur, qui S. Chrysostomi liturgiam compilavit, ubi ab oblatione ad consecrationem ita procedit Sacerdos: *Porro offerimus tibi rationalem hunc atque incruentum cultum, teque rogamus ac obsecramus & obtestamur: demitte quæsumus, Spiritum Tuum sanctum in nos ac præpofita hæcce dona:* & repetuntur ista, ubi pro Patriar-
[p.118.] chis, Prophetis & Apostolis oratur: *Porro offerimus tibi rationalem hunc cultum pro defunctis in fide Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis &c.* Quid λογικὴ λατρεία hîc significet, disquiritur. Egregie Philippus Melanchton: *At λογικὴ λατρεία non significat ipsam hostiam sed orationes & omnia, quæ ibi geruntur.* Apolog. August. Confess. Art. XII. p. 272. 274. Λατρεία certe *cultum* significat, quo Deum veneramur, λογικὴ λατρεία autem cultum rationalem & spiritualem, qui non in externis actionibus solis & opere operato, quod vocant, sed cultu mentis & animi consistit. Audiamus ipsum Chrysostomum interpre-

terpretem: *Cultus rationalis est ſpirituale miniſterium, converſatio juxta Chriſtum inſtituenda, quæ nihil habet neque corporale neque craſſum neque ſenſibile.* Homil. XX. in Epiſt. ad Rom. Alibi: *Quid eſt* ἡ λογικὴ λατρεία, *illa quæ animo fiunt ac ſpiritu, quæ non opus habent corpore neq; organis neq; loco. Sunt vero iſta e. g. æquitas, temperantia, miſericordia, malorum tolerantia, animi longitudo, humilitas.* Homil. XI. in Epiſt. ad Hebr. Maximè tamen vox λατρείας Euchariſtiæ tribui ſolet, quod hæc præcipuus Chriſtianorum cultus eſt. Ita Cyrillus in Epiſt. ad Neſtorium in Actis Concilii Epheſini pag. 8. *Corporalem unigeniti filii Dei* [*p.119.*] *mortem annunciantes, incruentum in Eccleſiis perficimus ſacrificium.* Ita & alii, ſed quorum verba producere non attinet.

ἀναφέρωμεν —— καρπὸν χειλέων) Petita hæc ſunt ex Hebr. XIII. 15. itemque de oblatione ſpirituali loqui Irenæum, ſi cohærentia ſibique conſtantia dicere velit, demonſtrant. Hoc in ſcriptis Patrum ſemper obſervandum, quod ab uno argumento ad aliud tranſſiliant, neç de eorum combinatione multum ſint ſolliciti. Cujus rei unicum hoc fragmentum luculentiſſimo eſſe exemplo poteſt. Cæterum Græca in Epiſtola ad Ebræos exſtantia ex duobus Veteris Teſtamenti locis confecta eſſe videntur. Prior exſtat Jeſai. LVII. 18. 19. ubi uno in commate vox אשלם in altero נוב שפתים invenitur. Notandum autem, hæc Jeſaiæ non quoad ſenſum ſed quoad tria hæc verba ſolummodo allegari, ad quæ, ut arbitror, alludit divinus Scriptor. Poſterior eſt locus Hoſ. XIV. 3. ונשלמה פרים שפתינו quo

uſus fuit Epiſtolæ ad Hebræos autor, ut quæ in loco Jeſaiæ disjuncta exſtabant, combinaret. Scribit enim ἀναφέρωμεν כשלמה θυσίας αἰνέσεως διὰ παντὸς τῷ Θεῷ, τοῦτ᾽ ἐστι καρπὸν χειλέων נוב שפתים Sunt qui dicant, legiſſe Scriptorem Sacrum apud Hoſeam פרי, non פרים, aut habuiſſe forſan codicem [p.120.] in quo פרי exſtiterit, nullo ם adjecto. Ingenioſa hæc ſunt, ſed ut hùc confugiamus, textusque integritatem laceſſamus, nulla nos cogit neceſſitas. Eduardus Pocockius arbitratur, καρπὸν in textu Græco idem eſſe ac κάρπωμα & κάρπωσιν, quas voces ait pro holocauſto ac oblatione à LXX. uſurpari. Not. Miſcellan. ad Portam Moſis C. IV. p. 70. 71. Aſt violenta iſta ſunt & obtorto collo hùc rapta. Probare debuerat Pocockius, פרים & καρπὸν eandem habere ſignificationem

οὐ κατὰ τὸν νόμον εἰσὶ) Iren. L. IV. C. XVIII.
§. 2. *Et non genus oblationum reprobatum eſt, oblationes enim & illic, oblationes autem & hîc; ſacrificia in populo, ſacrificia in Eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantum, quippe cum jam non à ſervis ſed à liberis offeratur.* Adde ſequentia & quæ Juſtinus Martyr hanc in rem dicit in Dialogo cum Tryphone maximè p. 260.

χειρόγραφον —— ἦρκεν) Vide Coloſſ. II. 14. Allegat hoc dictum Irenæus & L. V. C. XVII. § 3. ubi *Et propter hoc David prædixit*: Beati, quorum remiſſæ ſunt &c. *eam, quæ per adventum ejus eſt, remiſſionem præmonſtrans, per quam* delevit Chirographum *debiti noſtri*, & affixit illud cruci: *uti quemadmodum per lignum facti ſumus debitores Deo, per lignum accipiamus noſtri debiti remiſſionem.* Hîc Ire-

Irenæus per chirographum intelligit peccata, [p.121.] at in fragmento hac voce maledictionem legis insinuat.

ἐν πνεύματι —— τὸν Θεὸν Conf. Joh. IV.24.

Διότι καὶ ἡ προσφορὰ τῆς εὐχαριστίας οὐκ ἔστι σαρκικὴ ) Observanda hîc est Irenæi verborum connexio. Plura hactenus dicta coacervaverat de sacrificiis & oblationibus spiritualibus, atque ex his tandem concludit, oblationem Eucharistiæ, hoc est, donorum Eucharisticorum atque externorum Symbolorum, ex quibus illa conficitur, non esse σαρκικὴν sed πνευματικήν. Non ergo hæc stat Irenæo sententia, quod in S. Eucharistia corpus & sanguis Domini denuo Deo Patri offerantur, quæ semel oblata fuere in cruce, nunquam amplius offerenda. Cæterum hæc omnia latius & prolixius in sequentibus explicantur.

προσφέρομεν γὰρ τῷ Θεῷ τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ) Ea ergo, quæ offeruntur, sunt panis & vinum, quod probe notandum est. Loquitur autem hîc Irenæus de oblatione Sacerdotum Eucharistica, non de oblatione laicorum, Eucharistiam, præcedente de qua locutus fuerat L. IV. cont. hæres. C. XVII. XVIII.

εὐχαριστοῦντες αὐτῷ ) Itaque oblatio veteris Ecclesiæ juxta Irenæum constitit primo in externo impositionis actu, quo dona sacra altari imponebantur, ita, ut, qui offerebant, proprietate eorum ac domi- [p. 122.] nio se abdicarent, Deoque illa dedicarent. Secundò in gratiarum actione, quam & Christus Eucharistiæ præmisit, prout ex verbis institutionis videre est.

ὅτι τῇ γῇ —— εἰς τροφὴν ἡμετέραν) Hæc ad verbum

consonant cum Constitut. Apost. L. VII. C. 40. ubi: *Gratias agimus Tibi, omnipotens Domine, Creator omnium ac conservator. . . . . pro oblatis Tibi primitiis, non quantum debemus, sed quantum possumus. . . . . pro iis quæ dedisti . . . . ad perceptionem . . . . qui verbo tuo omnia perficis ac terram proferre jussisti omnis generis fructus ad lætitiam atque alimoniam nostram*, & quæ sequuntur. Si ex διδασκαλίαις Virorum Apostolicorum confectæ sint Constitutiones Apostolicæ, hæc ex διδασκαλία Irenæi petita esse arbitror, quamvis L. VIII. Const. Apost. Hippolyti διδασκαλίαν referre dicatur. Ast, uti norunt eruditi, ii maximè, qui codicem Oxoniensem versavere, sunt in L. VIII. Const. Apost. quæ ad διδασκαλίαν Ἱππολύτου haud pertinent.

καὶ ἐνταῦθα ) Ita omnino in codice MS. sed contextus docet, μετὰ ταῦτα legendum esse, aut si τὸ καὶ abjicias, εἶτα vel ἔπειτα.

τὴν προσφορὰν τελέσαντες ) Hæc verba penitio- [p. 123. ri inspectione digna sunt. *Et postea finita oblatione* aut *oblationem finientes* aut *postquam oblationem finivimus*. Τελεῖν enim significat *perficere, ad finem perducere, effectum reddere*. Hinc concludere est, aliam esse actionem, quæ Eucharistiæ consecrationem præcedit, aliam, quâ hæc perficitur. Finita itaque priore, qua dona altari imposita precibus Deo offeruntur, succedit posterior, qua Eucharistia consecratur, non amplius utique offerenda. Ast τελεῖν non solum *perficere* significat, sed & *rem sacram peragere*. Sic θυσίας τελέσαι apud Appianum dicitur. Sic Herodianus: πομπὴν μητρὶ θεῶν τελέσαι

ἑω-

ῥωμαῖοι. Congerat exempla ex Lexicis qui volet. Hinc τελετὴ ſacrificium, aliæque voces ex hac origine deſcendentes. Dionyſio ipſa hæc vox τελεῖν familiaris fuit. Hic enim τὰς ἱερατικὰς ἐνεργείας τελεῖν, εὐχὴν ἱερὰν τελεῖν, τὴν μυστικὴν τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησιν ἐπιτελεῖν, τὴν ἱερὰν τῶν τελουμένων θέωσιν ἱερουργεῖν, τὰς ἱερουργίας τελειοῦν, τὰ θεῖα τελέσαι καὶ διαδοῦναι, παναγεστάτην ἱερουργίαν τελεῖν divit non de oblatione ſolum donorum Euchariſticorum, de qua nihil ferè apud eum exſtat, ſed & de conſecratione atque diſtributione. Quocumque autem modo vox τελέσαντες noſtro in fragmento ſumatur, poſt conſecrationem nulla amplius ſequetur oblatio. Pone enim, ita vertendum [*p.124.*] eſſe, *& poſtea oblationem perficientes vel celebrantes*; nihil hinc concludi aliud poteſt, quam oblationem conſecratione perfici, aut præcipuam ejus partem conſecrationem eſſe, quia dona Euchariſtica per conſecrationis verba Deo ſanctificanda offerantur. Cui ſententiæ neſcio cur contradicendum ſit, cùm hâc ratione dici poſſit, Proteſtantes veteris Eccleſiæ oblationem Euchariſticam non abrogaſſe ſed retinuiſſe, eos nempe, qui precibus & conſecratione cultum euchariſtiæ ſacrum peragunt. Cæterum notandum eſt, vocem τελεῖν vel συντελεῖν & hoc in argumento à Juſtino Martyre adhiberi, eo tamen ſenſu, ut *perficere* ſignificet. *Ac pro eo, quod nos, iſtaut ab ipſo acciperemus, dignatus eſt, plurimas ei habet gratias: οὗ συντελέσαντος, hoc vero perficiente preces ac gratiarum actionem populus præſens omnis acclamat, dicens, Amen.* Apolog. II. p. 97.

ἐκκαλοῦμεν ) *Evocamus* sc. è cœlis, è quibus in Jordanem descendit Spiritus Sanctus, cùm Christus baptizaretur Matth. III. 16. quâ ratione & Apostolos illuminaturus cœlo delapsus est Act. II. 2. 4. Terminus hic ἐκκαλοῦμεν, ut verum fateamur, hoc sensu non est usitatus. Ἐπικαλοῦμεν aliâs dicitur, uti & ἐπίκλησις. Ἔκκλησιν tamen dixit Irenæus L. IV. C. XVIII. §. 5. uti supra observavimus. *Invocatio-*
[*p. 125.*] *nem* posuit latinus interpres. Constitit itaque Ecclesiæ primitivæ consecratio in ἐπικλήσει Spiritus Sancti atque precibus à Sacerdote factis. Quæ hîc dicenda porrò essent jam in Dissertatione de Consecratione Eucharistiæ omnia in unum contulimus. Id unum hîc monemus, quod & supra diximus, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia non sisti præsentia vi ἐκκλήσεως nostræ, insita quadam & magica, quod absit; sed his precibus nostris moveri, ut juxta promissionem suam omnipotente sua virtute, quam λόγον Irenæus vocat L. V. C. II. §. 2. externam terrenamque substantiam panis & vini cum corpore & sanguine Jesu Christi uniat. Inde est quod ait: *Quando igitur & poculum mixtum & confectus panis verbum Dei recipit, tum Eucharistia corpus Christi fit*, id quod in sequentibus repetitur: *& verbum Dei recipientia fiunt Eucharistia.* Λόγον autem hîc virtutem Dei omnipotentem, qua omnia efficere potest, significare patet ex iis verbis, ubi dicit noster: *Ita & corpora nostra illa nutrita ac terræ mandata & in ea corrupta suo tandem tempore resurgent* τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ, Verbo Dei *resurrectionem ipsis largien-*
[*126.*] *te ad gloriam Dei & Patris*, Aliter ferè hæc explica-

plicavit doctissimus Nourrius in Apparatu ad Biblioth. Max. Vet. Patr. L. II. Diss. VI. C. VIII. §. 1. f. 600, ubi probare contendit, *invocationem, gratiarum actionem & verbum, quo panis fit corpus Christi, non aliud Irenæo esse, quam ea quæ appellamus, consecratiois verba.*

ἀποφήνῃ) Ita omnino rursus Constit. Apost. L. VIII. C. 12. *ut efficiat (Spiritus sanctus scilicet) panem hunc corpus Christi tui & poculum hoc sanguinem Christi tui, ut eo fruentes confirmentur ad pietatem, nanciscantur peccatorum remissionem, liberentur a diabolo ac ejus seductione, impleantur Sp. S. reddantur Christo Tuo digni, vitaque æterna potiantur, te ipsis reconciliato, Domine omnipotens.* Descendit autem ἀποφήνῃ ab ἀποφαίνω *ostendo declaro, demonstro, exhibeo, efficio, reddo.* Exempla vide apud Henricum Stephanum in Thesauro linguæ Græcæ, voce ἀποφαίνω. T. IV. f. 19. 20. In aliis liturgiis, quod hîc ἀποφαίνειν dicitur, est ἁγιάζειν, ποιεῖν, τελειοῦν, εὐλογεῖν, ἀναδεικνύειν, & si placet, etiam μεταβάλλειν. Cæterum vox ἀποφαίνειν improprie omnino hîc sumitur. Nemo enim est qui asseveraverit, panem & vinum per ἐπίκλησιν precesque corpus & sanguinem Domini *manifestari*, cum [*p. 127.*] ex sensuum testimonio *manifestum* sit, panem & vinum remanere, & talia *apparere*. Obscura itaque vox ex clarioribus explicanda est, locoque Irenæi classico, qui L. IV. C. XVIII. 5. exstat, ubi effectus ἐπικλήσεως dicitur esse ἕνωσις & κοινωνία rei terrenæ i. e. panis & vini cum re cœlesti i. e. corpore & sanguine Christi.

τὴν θυσίαν ταύτην ) Vox θυσίας impropriâ hîc significatione gaudet. Nihil enim est in Sacramento, quod Sacerdos θύει, *mactet.* Sumitur itaque hîc pro προσφορᾷ seu pro *donis Deo oblatis.* Egregiè Theophylactus in Cap. VIII. ad Hebr. p. 949. *Sacrificia sunt oblationes, quæ sanguine ac carne fiunt: aut ut accuratius dicam, omnia igne accensa. Victima enim proprie dicitur à mactando, quod incendi quoque notat.* Ultima coacta sunt, sed transsumta ex Eustathio & Ammonio, qui observant, Homerum θύειν & σφάττειν distinguere. *Mactare enim est igne comburi, at cædere est sacrificare animal,* ait Ammonius. Si itaque θυσία proprie sit sumenda, hùc utique non quadrat; si verô idem sit ac προσφορᾷ, res est in vado. Novi quidem, S. Cœnam generali θυσίας voce à veteribus designari. Quâ autem ratione id fiat, Chrysostomus exponit Homil. 27. in Epist. ad Hebr. *Unum est sacrificium,* [*p. 128.* *victimam haud aliam sed eandem semper immolamus: inprimis autem sacrificii facimus mentionem.* Eadem fere habet Eulogius Archiepisc. Alexand. L. II. cont. Novatianos in Bibliotheca Photii Cod. CCLXXX. p. 1609. *Quæ enim apud nos perficitur, veneranda corporis Dominici oblatio, non est diversorum sacrificiorum exhibitio, sed sacrificii semel oblati recordatio. Nam hoc, inquit, facite in mei memoriam* „ Vocatur igitur Eucharistia Sacrificium à Patribus, partim quod ex oblatione facta componatur, partim quod Sacrificium Christi in cruce factum nobis in memoriam revocet atque repræsentet. Oecumenius: *Quid igitur? nonne & nos sacrifi-*

*crificia incruenta semper offerimus? Certe unius mortis memoriam frequenter recolimus:* in C. X. ad Hebr. p. 846. Euseb. demonstr. Evang. L. 1. p. 26. *Merito corporis ac sanguinis ejus commemorationem quotidie instituentes: & : tradens nobis, loco sacrificii memoriam ejus ut Deo perpetim offeramus.* & p. 27. *Hujus sacrificii memoriam in mensa perficere nos vult per symbola corporis ejus ac sanguinis salutaris.* Plura contulit Patrum dicta, vocem θυσίας spectantia Joh. Henricus Suicerus in Thesauro Ecclesiastico, voce θυσία p. 1418. sq. qui tamen, quod miror, id, quod præcipuum erat, non observavit. [*p. 129.*] In Liturgia S. Chrysostomi ipsa θυσίας vox pro precibus quoque sumitur, quæ vocantur θυσία αἰνέσεως, δῶρα tamen oblata appellantur itidem θυσίαι πνευματικαὶ, offerendæ *pro peccatis nostris.* Nondum tamen hoc est, quod dicere voluimus. In eadem Liturgia quæ S. Chrysostomo adscribitur, quum in prima προσφορᾷ, pane & vino altari impositis, sacrificium vel potius figura ejus celebratur, Sacerdoti tacitè suggerit Diaconus: θῦσον δέσποτα. Quo facto Sacerdos panis supine jacentis micam eminentem σαυροειδῶς *crucis in modum* decussans & incidens ait: *mactatur agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* quæ crucifixionem Christi adumbrant, etsi hujus decussationis ritum aliunde derivet Baronius ad A. LVIII. n. 64. sqq. qui scribit, antiquos gentiles cruciformi decussatione panes cunctos coquendos semper incidisse. Vide Goari Euchologium sive Rituale Græcorum p. 118. b. Notandum autem, hanc θυσίαν, quam memoramus, consecrationem multum præcedere

dere, atque ad προθεσιν, quam appellant, pertinere. Adde Gabrielis Severi, Metropolitæ Philadelphiensis Apologiam pro Ecclesia Orient. à Richardo Simone [*p.130.*] editam p.5. ubi: *Sacerdos panem sumit, & eundem tenens, signo crucis vivificæ supra sigillum eum consignat, ter dicens*: in memoriam Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, *& hoc ter dicto lanceam sanctam, recta infigit à dextra panis parte: in qua extat signaculum, & secans dicit*: tanquam ovis ad occisionem ductus est. *Deinde scindens à sinistra parte dicit*: & tanquam agnus innocens coram tondente se mutus, ita ille non aperit os suum. *Tertiò in superiore parte signaculi secans dicit*: in humilitate ejus judicium sublatum est. *Quarto secans in inferiore parte ejus ait*: generationem ejus quis enarrabit? *Tunc attollens signaculum dicit*: quoniam tollitur è terra vita ejus, *idque ponit in sacro disco.* Sequuntur preces oblatoriæ, quas in dissert. de oblatione Eucharistiæ recensuimus. Atque hæc est Græcorum θυσία, figurata utique & commemorativa. Eadem tamen Irenæi tempore non obtinuit, qui dum θυσίαν hîc memorat, panis vinique προσφορὰν innuit, uti sæpius diximus.

ἵνα οἱ μεταλαβόντες) Hæc in omnibus ferè liturgiis addi solent, ut ostendatur, ἐπίκλησιν sanctificationem tum symbolorum externorum, tùm accipientium respicere. [*p.131.*] Quæ in Const. Apost. L. VIII. C. 40. exstant, supra adduximus, cum ad verbum ἀποφήνῃ commentaremur. In Liturgia Jacobi ita: *ut omnibus ex iis accipientibus ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam, ad sancti-*

*ctificationem animarum atque corpoum & ad fructificationem bonorum Operum proficiat.* In Liturgia Marci: *Ut omnibus nobis, qui ex iis accipimus, cedant in fidem, in purgationem, in sanitatem, in temperantiam, in sanctificationem, in renovationem animæ, corporis ac spiritus, in communicationem beatitatis vitæ æternæ ac incorruptibilitatis, in glorificationem nominis sanctissimi, in remissionem peccatorum.* In Liturg. Basilii: *Ac te imploramus. . . . . . ut omnes nos, qui unius panis ac poculi participes sumus, invicem unias in communionem unius sancti Spiritus; neque committas; ut nostrum quispiam sancti corporis ac sanguinis Christi Tui particeps fiat in judicium aut condemnationem.* Denique in Lit. Chrysost. hæc ponuntur: *ut sit accipientibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem sancti Spiritus, in regni cœlorum plenitudinem &c.*

*τούτων τῶν ἀντιτύπων* ) Qui recentiorum scripta controversa de Eucharistia obiter saltem perlustravere, ii ignorare non possunt, de typo [*p.132.*] & antitypo corporis & sanguinis Christi multa retro citroque disputata esse. Ii præcipue, qui ajunt, in Eucharistia figuram corporis & sanguinis Dominici solummodo exhiberi, hâc *ἀντιτύπων* voce contra præsentiam realem strenuè usi sunt. Qui verò hanc defenderunt, atque ab Ecclesia creditam semper asseruerunt, hanc *ἀντιτύπων* nomenclationem eam maximè ob causam cum præsentia reali consistere arbitrati sunt, quod in Eucharistia *signum visibile* cum *veritate invisibili* corporis & sanguinis Christi conjunctum esset. Rem altius nos repetemus, ita tamen, ut

ut quæ prolixe ab aliis dicta fuere, ſubſtringamus, noſtramque ſententiam velut in compendio enarremus. Atque primum quidem φράσις Scripturæ antiquiſſima, quam ab Irenæo uſurpatam in noſtro fragmento arbitramur, nobis enucleanda venit. Antitypus juxta Petrum eſt typi correlatum, id quod typum re ipſa exprimit & exhibet. Ita 1. Petr. III. 20. 21. βάπτισμα dicitur eſſe ἀντίτυπον τοῦ ὕδατος, in quo cum ſuis ſervatus fuit Noachus. Hoc itaque ſenſu vocem iſtam ſumſit hîc Irenæus, ut ſymbola conſecrata aſſereret ἀντίτυπα omnia iſtarum figurarum, quæ Veteri in Teſtamento exſtabant & S. Euchariſtiam repræſentabant, qualis juxta Patres fuit panis & vinum à Melchiſedecho producta, cùm Abra-[p. 133.] hamus a pugna cum hoſtibus rediret, qualis fuit manna, quam de cœlis populo ſuo dederat Deus, quales fuere omnes iſtæ oblationes, quas olim Deo obtulerunt Iſraelitæ, quale fuit ipſum Paſcha in memoriam liberationis ex Ægypto à Deo injunctum. Quod ſi autem hâc ratione Irenæi ſumantur verba, contra præſentiam realem hinc nihil poterit exſculpi, maximè, cùm, quæ ſit ipſius de Euchariſtia ſententia, ex ſuperioribus prolixè à nobis fuerit demonſtratum. Nec tamen id diſſimulamus, aliter quoque ἀντίτυπον in Novo Teſtamento ſumi, prout nempe idem idem cum τύπῳ ſignificat. Exemplum præbet nobis locus Ebr. IX. 24. *neque enim ingreſſus eſt Chriſtus in ſancta manu facta,* ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *præfigurantia vera, ſed in ipſum cœlum*, ad quæ verba Chryſoſtomus: *antitypa igitur typum habent tantum, non vim ipſam: ipſam*

& rursus: *illa itaque sunt vera, hæc autem typi; templum enim sic structum est, uti cœlum cœli.* Ex quibus utique apparet, vocem hanc promiscue apud Scriptores sacros sumi, prout & vox εἰκὼν *imago* quæ mox typum exprimit, mox typi complementum, quæ posterior significatio in loco Ebr. X. 1. obtinet, ubi: *Namque lex umbram habens futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Quid est autem εἰκὼν τῶν πραγμάτων; nihil sane aliud, [*p.* 134] quam *ipsum Christi corpus*, quod in locum typorum veteris Testamenti successit, juxta id: *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi* Coloss. II. 17. Ita in Vet. Test. typus erat sanguis victimarum juxta Paulum, in novo Testamento αὐτὴ ἡ εἰκὼν τούτων τῶν πραγμάτων est sanguis Christi in cruce fusus, cujus & in Eucharistia participes reddimur Ebr. IX. 11. sqq. Quodsi autem aliam vocis ἀντιτύπου significationem eligendam esse putemus, quod tamen haud necessarium esse videtur, dici utique potest, ἀντίτυπον idem esse ac *simile, eandem formam habens.* Loca huc facientia ex profanis Autoribus collegit Henricus Stephanus in hac voce, Thesauro Gr. Linguæ T. III. f. 1691. Ita & ἀντίτυπον idem valet ac ἀντίγραφον, sive exemplar ad aliud descriptum. Arrisit hæc significatio Leoni Allatio, qui de consensione Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis L. III. C. XV. Sect. 29. hæc habet: *Idem est, antitypa corporis & sanguinis esse ac ipsum corpus & sanguinem esse. Ἀντὶ enim apud Græcos oppositionem infert, ita tamen, ut contra sibi oppositum exæquet; ideoque sæpissimè cum similitudinem exprimere volunt, eo utuntur.*

Ita

*Ita ἀντίθεος, non qui contra Deum sed qui Deo simi-*
[*p. 135.*] *lis est, ἀντίστροφος in Rhetoricis, non contrarius sed æquans & similis enunciatur.* Addit tandem; *pari ratione ἀντίτυπα erunt ἰσότυπα. Et sic Eucharistia cùm à Basilio & aliis dicitur ἀντίτυπα, idem fuerit ac si diceretur ἰσότυπα. Ἶσα nempe æqualia, similia, eadem cum corpore & sanguine Christi etsi tectè & relatè.* Hæc postrema utique egregie se habent, si quidem præsentiam panis realem cum præsentia corporis Christi credidisset Allatius. Hoc enim comprehendi nequit, quâ ratione dona consecrata possint appellari ἀντίτυπα, nisi eorundem substantia post consecrationem atque in usu quoque remaneat. Eadem tamen prolixius adhùc diducit diligentissimus antiquitatis Ecclesiasticæ investigator in Exercitatione XXV. in Roberti Creyghtoni Appar. versionem & notas ad Historiam Conc. Flor. à Silvestro Syropulo scriptam, ubi primò ait, vocari Sacramentum posse ἀντίτυπον, quòd sit complementum typorum veteris Testamenti, quorum egregiam nobis farraginem dant sancti Patres, ii præcipue, queis allegorica Sacram Scripturam explicandi ratio placuit. Unum producamus ex Epiphanio locum, qui hùc quadrat. Ita autem ille contra Melchisedechianos: *Abrahæ obvius fuit Melchisedech, pro-*
[*p. 136.*] *tulitque illi panem & vinum, præfigurans mysteriorum ænigmata, antitypa Domini dicentis:* ego sum panis vivus, *& antitypa sanguinis ex ejus latere sancto effusi in emendationem contaminatorum.* Secundo arbitratur, symbola Eucharistica ἀντίτυπα vocari posse visibilis Christi corporis, quod in Cœlis est.

eſt. Hinc Ambroſius L. I. *de Officiis Miniſtrorum* C. 48. §. 248. *Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc Chriſtus offertur: ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quaſi advocatus intervenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, ubi plena perfectio omnis in veritate eſt.* Quæ eadem ferè ſunt, quæ apud Damaſcenum leguntur: *Futurorum verò antitypa dicimus, non quaſi haud eſſent verum corpus ac ſanguis Chriſti, ſed quod iis nunc quidem ipſius Chriſti Divinitatis participes ſumus, tum verò intelligibiter in ſola ſpeculatione.* L. IV. de fide orthod. C. 14. Quo & reſpiciunt Maximi Homologetæ verba in Dionyſ. Hierarch. Eccl. C. 3. *Symbolicum officium ſacrum ac dona ſancta, eorumque quæ ſupra ſunt ac veriorum ſymbola.* Addit tertio Allatius, quod jam alibi dixerat, ἀντίτυπον [p. 137.] idem eſſe ac ἰσότυπον. Id quod ex Elia Cretei ſi hauſit, qui in Apologet. Orat. Gregor. Naz. ita: ἀντίτυπον δὲ τὴν ἰσότυπον νοήσεις, *cum magna myſteria, ſanctum ſc. corpus & pretioſum ſanguinem Chriſti accipies. Ita enim magnus Baſilius iſta vocavit. Hæc namque Propoſitio nonnunquam & æquale τὸ ἶσον deſignat, futura ſi reſpicit myſteria. Sunt enim, qui & ita acceperunt dictum. Relationem habet, non quod corpus ac ſanguis Chriſti haud verè præſentia dicantur Antitypa, ſed quod jam quidem iis participes ſimus divinitatis Chriſti, qui noſtris corporibus recipitur, olim verò intelligibiliter ſola theoria.* Cæ-

terum qui primum vocem ἀντιτύπων, ad designandam Eucharistiam adhibuit, est Autor Constitutionum Apostolicarum, si quidem is ante Irenæum scripserit. Ita enim ille L. V. C. XIV. *tradens verò nobis mysteria antitypa corporis ejus ac sanguinis.* Quæ verba nescio cur inepta esse existimet, vocemque μυστήρια intrusam Simplicius Verinus sive Claud. Salmas. Lib. de transsubstatione p. 41. sqq. Idem L. VII. C. XXV. *Gratias agimus & pro pretioso sanguine Jesu Christi tui, qui pro nobis effusus est & pro pretioso* [p. 138.] *corpore, cujus antitypa hæcce consecramus.* Adde L. VI. C. XXX. ubi: τὴν ἀντίτυπον *corporis Domini Christi Eucharistiam acceptam offerte.* Ait & Bulengerus contra Casaubonum scribens P. II. Diatr. 3. p. 166. & 184. Origenem alicubi scripsisse: *In rationali nostro altari consecratam mensam sanctificant & quæ in illo reposita sunt vascula. Antitypa enim sunt corporis Dominici.* Ast hunc locum nec Albertinus de Sacr. Euchar. L. II. p. 367. I. nec Huetius in Origenianis L. II. Qu. 14. §. 2. f. 182. invenire potuerunt. Agit tamen hîc, si ista quidem genuina sunt, de Eucharistia Origenes, quod miror negasse doctissimum Huetium. Eâdem voce postea varii Patres usi sunt, ut symbola quoque consecrata designarent, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Eustathius Antiochenus, Macarius Ægyptius, aliique plures, maximè verò is, qui Liturgiam confecit S. Basilio adscriptam, ubi hæc consecrationis verba reperiuntur: *Accedimus ad sanctum altare tuum, ac proponentes antitypa sancti corporis ac sanguinis Christi tui te rogamus atque invocamus. . . . . ut descendat sanctus Spiritus Tuus in nos atq;*

propo-

*proposita haece dona.* Cùm autem vox ἀντίτυπος nimis æquivoca Patribus sequiorum temporum videretur, utpote quæ contra præsentiam realem corporis Christi in S. Eucharistia adhiberi [*p.139.*] posset, in aliam abiere sententiam, nolentes, ut post consecrationem factam symbola sacra ἀντίτυπα amplius dicerentur. Conf. omninò Apophtegm. Patr. in Cotelerii Monum. Eccl. Gr. T. I. p. 421. 422. Quinimo eousque audaciæ processere, ut dixerint, veteres nonnisi ante consecrationem dona sacra antitypa vocasse. Scilicet definitum erat in Concilio Constantinopolitano, Constantini Copronymi & Leonis Augusti literis A. DCCLIV. congregato, Christum Dominum S. Eucharistiam apud nos reliquisse tanquam veram ac unicam καὶ θεοπαράδοτον imaginem τοῦ ζωοποιοῦ σώματος αὐτοῦ τὴν ἐντίμως καὶ τετιμημένως πρατλομένην, eo fine, ut cæteræ omnes imagines earumque cultus excluderentur. Vide T. VII. Concil. Conc. Nic. II. Act. VI. p. 445. Cum itaque hujus Concilii placita in Conc. Nicæno II. à Constantino adhuc puero & Irene A. DCCLXXXVII. convocato rescinderentur, studio ἀνθολκῆς factum est, ut voces εἰκὼν & ἀντίτυπα Eucharistiæ tribui solita quoque proscriberentur. Ita enim in Act. VI. ubi exstat ἡ ἀνασκευὴ κατὰ τοῦ ὅρου τοῦ ψευδοσυλλόγου, T. III. *Evidenter demonstratum est, quod nusquam neque Dominus neque Apostoli neque Patres imaginem dixerint oblatum per sacerdotem incruentum sacrificium, sed ipsum corpus ac sanguinem. Et quidem ante consecrationis perfectionem antitypa pie nominare visum fuit non-*

 *nullis*

[*p.140.*] *nonnullis ſanctorum Patrum*, inter quos recenſentur Euſtathius & Baſilius. Et rurſus: *Antequam conſecrarentur, antitypa ſunt vocata, poſt ſanctificationem vero corpus ac ſanguis Chriſti dicuntur atque creduntur.* Hæc non ſine ſumma temeritate ita definivit Epiphanius Diaconus, aut ſi mavis, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui aut loca veterum, quod dici non poteſt, ignoraſſe, aut ex præjudicata opinione in perverſum ſenſum deflexiſſe debuit. Miror tamen, in eandem ante hos ſententiam deſcendiſſe Joh. Damaſcenum, qui L. IV. de fide orthodoxa C. XIV. ita ſcribit: *Quod ſi vero etiam nonnulli corporis ac ſanguinis Domini antitypa vocarunt panem & vinum, ut divinus dixit Baſilius, haud ea ſic dixerunt poſt conſecrationem ſed priusquam conſecrarentur, ipſam oblationem ita appellarunt.* Quæ verba poſt innumeros alios exſcripſit, ſuaque fecit Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Actis & ſcriptis ad Theologos Wirtembergicos. Quid autem Damaſcenum compulerit, ut hæc diceret veritati hiſtoricæ è diametro contraria, non video. Ita enim eodem, quem allegamus loco, ἀντίτυπα explicat, ut hanc vocem donis quoque conſecratis [*p.141.*] applicare poſſit. *Antitypa, inquit, futurorum dicuntur, non quaſi corpus & ſanguis Chriſti vera haud eſſent, ſed quoniam per ea jam quidem participes reddimur Chriſti divinitatis, tunc autem ſola idea intelligibiliter*, quæ verba & ſupra jam allegavimus. In mendo ultima cubare putat Claudius Salmaſius legendumque θεότητος νοητῶς, τότε δὲ διὰ μόνης τῆς θέας. Lib. de tranſſubſtantiatione p. 179. *Nam*, inquit, *intellectus & viſus non benè cohærent,*

*cùm*

*cùm ea, quæ ſolo viſu uſurpantur, non opus ſit intellectu percipi.* Aſt hæc inſtitutum noſtrum non tangunt. Cæterum qui Damaſcenum ſecuti ſunt Græci plerique omnes uno ore ajunt, ſymbola conſecrata à veteribus nunquam ἀντίτυπα vocata fuiſſe. Ita Nicephorus Patriarcha Antirrhetico II. *Si quando autem dicta ſunt antitypa, non poſt hanc conſecrationem ſic vocata ſunt, ſed antequam conſecrarentur.* Eadem habet Theodorus Graptus in Orat. de inculpata Chriſtianorum fide, Samonas Epiſcopus Gazenus in diſp. cum Achmed Saraceno: *Abſit ut antitypum Chriſti dicamus ſacram communionem aut panem exiguum, aut typum, aut imaginem.* Marcus Epheſius in Concilio Florentino ita de liturgia Baſilii: *Antitypa vocat propoſita, quæ nimirum nondum cònſecrata ſunt verbis iſtis, ſed typum adhuc atque imaginem gerunt.* Theophylactus in [p.142.] Cap. XIV. Marci: *Hoc eſt corpus meum. Hoc quod nunc accipitis: neque enim antitypus Dominici corporis panis eſt; ſed in ipſum illud Chriſti corpus transmutatur. Nam & Dominus dicit: Panis, quem vobis daturus ſum, caro mea eſt, non vero dixit: carnis meæ antitypus eſt, ſed caro mea.* Meletius Syrigus in libello contra Confeſſionem fidei ſub nomine Cyrilli Lucarii editam: *Neque typus eſt myſticum Chriſti corpus ejus, quod vere eſt corpus, ſed ipſa corporis veritas eſt. Neque enim nunc umbris uti in Veteri Teſtamento, ſed rebus ac veritatibus ſervimus. Quodſi autem Sanctorum quiſpiam ſacrificium hoc Cœnæ illius dominicæ antitypum dicat, id quidem manifeſtum eſt, quod ſacrificium hoc illius victimæ typus ſit, uti & qui nunc ſacrificant, olim ſe immo-*

*immolantis Jesu typi sunt, Sacrificii autem operatio efficax eadem est & olim & nunc.* His igitur omnibus errandi occasionem Damascenus præbuit. Sunt tamen, qui ipsum excusent. Card. Bessario de Sacram. Euch. T. VI. Biblioth. Patr. p. 470. ait, Damascenum id solùm voluisse dicere, quod Patres veteres [p. 143. crediderint, elementa consecrata non amplius esse nudam corporis Christi figuram sed ipsum corpus Christi. Discedit tamen ipse à Damasceni sententia, cùm non de re sed de voce hîc quæstio fit. Vide Richardi Simonis not. uber. in Apologiam Gabr. Sev. p. 230. Petrus Arcudius de Concordia Ecclesiæ Occident. & Orient. L. III. arbitratur, textum Damasceni esse corruptum. Ita enim scribit: *Ex his autem sequitur, totam illam primam periodum antityporum non esse ipsius, sed à sciolis quibusdam in ipsius libro assutam fuisse, vel ex margine in textum irrepsisse. Fortassis etiam aliquis desumsit ex illa confutatione, quam recitat quidam Epiphanius in septima Synodo, & in scriptis Damasceni inseruit.* Ridet hæc Leo Allatius *, Arcudiumque & quem hic secutus est, Turrianum ipsa vetustissimorum codicum Damasceni, quos consuluit inspectione refutat. Ast Allatius quoque ad defendendum Damascenum sua confert. Ait enim, Liturgiæ Basilianæ verba καὶ προσθέντες ἀντίτυπα non debere reddi in præsenti *proponentes*, sed, quia sint Aoristi, in præterito: *qui proposuimus* vel *cùm proposuerimus antitypa*, scilicet, priusquam dona fuerint consecrata. Ita Harduinus de Sacr. Altaris C. VIII. προσθέντες etiam

* Locus exstat L. III. de Eccl. Occ. & Or. perpetua Consensione C. 15. §. 22. sqq. quæ omnino conferenda sunt:

etiam vertit *proposuimus*. Ipsemet autem hanc suam benignam explicationem condemnat Allatius, eam maximè ob causam, quod hac voce ad dona consecrata designanda usi fuerint quoque Dionysius, Origenes, Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, alii, quos omnes *pro vocula ista condemnare impium esse ac nefarium* addit. [*p*. 144.] Insistit tamen huic ex Aoristo petitæ interpretationi Card. Perronius, de Eucharist. L. II. Auth. 15. cui plura reponit Edmundus Albertus L. II. de Eucharistiæ Sacramento p. 444. Sed non opus est, ut ii, qui consecrationem Romanam in solis verbis institutionis constantem non defendunt, eamque in ἐπικλήσει Spiritus Sancti ponunt de sensu Liturgiæ Basilianæ sint solliciti, cum verba καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα istam ἐπίκλησιν in dicta liturgia antecedant. Itaque juxta sententiam Ecclesiæ Græcæ haud errat Damascenus in explicanda Basilii sententia, sed in eo saltem, quod alios quoque Patres dixit antityporum nomen solis symbolis nondum consecratis dedisse. Cæterum Rich Simon acriter reprehendit Thomam Smithum, Theologum Anglicanum, quod in genere scripserit, Græcos omnes etiam consecrata symbola vocare ἀντίτυπα, in Historia Critica fidei & rituum Ecclesiarum Oriental. quam sub nomine Domini de Moni edidit, p. 62. Denique poterant hîc quædam addi contra Claudium Salmasium, qui hoc de ἀντιτύποις argumentum prolixe exsecutus est in lib. de transsubstantiatione p. 25 sqq. Sed ista quidem tangere nolumus. Vehementer etenim nobis displicet, quod, dum Card. Perronium refutare conatur, *Petronium* nuncupet [*p*. 145.] Virum tantæ olim in Ecclesia Romana dignitatis. Forte

tamen est error typographicus, nam alibi *Perronium* dicit. Ita autem scribit p. 26. *Quomodo itaque verum esse potest, quod docent Pontificii & inter hos Cardinalis Petronius?* Istis sarcasmis miserisque allusionibus utique veritas non eget. Schelstratenus verò post Perronium ait, ex disciplina arcani (quæ celare olim mysteria jubebat) natam esse ἀντιτύπων vocem. Vide ipsius dissi Apol. de disc. arc. contra Tenzel. apud du Pin Bibl. Eccl. T. 18. p. 237. Torquet autem se nescitque ferè quid respondeat Salmasius, cum locum 1. Petr. III. 21. superius allegatum explicat, ubi βάπτισμα dicitur esse ἀντίτυπον τῷ ὕδατι, in quo cum suis servatus est Noachus. Ait enim, lectionem esse corruptam, & pro ῷ ponendum esse ὗ, nam in Codice vetustissimo à Thecla conscripto extare ο, hoc autem in antiquissimis libris Græcis pro ου poni p. 31. 32. Petrum itaque id dictum velle, quod arcæ Noachi ἀντίτυπον sit baptisma p. 34. Ita sane agendum nobis est, cùm ad incitas redacti sumus, ne videamur nihil reposuisse. Nec tamen id quod voluit, demonstrat Salmasius; remanet enim data ἀντιτύπου explicatio. Atque hæc omnia tàm prolixè hîc enarravimus, ut exemplo hoc constaret, de quisquiliis & vocibus rebusque nihili sæpe inter eruditos disputari. Hùc enim majorem controversiæ hujus de ἀντιτύποις partem ablegamus, utpote quam tanta cum difficultate tractare magnoque conatu nihil agere haud erat opus. Nam cùm ἀντιτύπου vox sit valde æquivoca & tum figuram, tùm rem ipsam sub figurâ latentem, tum utraque simul denotare possit, patet utique in cassum ex hac voce aliquid extrahi.

[*p. 146.*] *οὐ τοῖς τῶν Ἰουδαίων δόγμασι*) Ita & alibi

Ire-

Irenæus: *Judæi autem non offerunt: manus enim eorum sanguine plenæ sunt*: nec *receperunt verbum, quod offertur Deo*. L. IV. cont. hæres. C. XVIII. §. 4. Ex hoc loco patet, oblationem Eucharisticam cum sacrificiis & oblationibus Judæorum tam sollicite conferendam atque comparandam haud esse. *Species quippe oblationum immutata est* juxta l. c. §. 2. & λειτουργία πνευματικὴ quam appellat Irenæus, ac λογικὴ λατρεία Novi Testamenti ab umbris *elementisque mundi* Coloss. II. 20. nimium quantum distat.

προσέρχονται) De hâc voce quædam diximus ad primum fragmentum p. 7. sqq. ubi notavimus, doctissimum Bentlejum hanc φράσιν sollicitare. Usitata autem ea est apud Ecclesiasticos Scriptores frequenterque adhibita. Ita ab Origene T. II. Comment. in Matth. f. 255. προσιόντες τῷ λόγῳ appellantur recens ad Christi fidem Conversi. Hos alibi προσερχομένους τῷ θείῳ λόγῳ nominat l. c. f. 395. Observat, qui observationes in Origenem scripsit, Pet. Daniel Huetius, *familiarem utramque locutionem Origeni esse, qui & nonnunquam προσέρχεσθαι & προσιέναι simpliciter usurpet. Inde*, addit, *dicti προσήλυτοι, qui relictis Gentilium superstitionibus circumcidebantur*. Conf. notas ipsius in Orig. Comment. f. 40. 1.

## *FRAGMENTUM TERTIUM.*

[*p.147.*]

### Εἰρηναίου.

Ἔταξαν οἱ Ἀπόστολοι, μὴ δεῖναι ἡμᾶς κρίνειν τινὰ ἐν βρώσει καὶ ἐν πόσει ἑορτῆς ἢ νεομηνίας ἢ σαββάτων. Πόθεν οὖν αὗται αἱ μάχαι; πόθεν τὰ σχίσματα; ἑορτάζομεν, ἀλλ' ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ διαῤῥίπτοντες, καὶ τὰ ἐκτὸς τηροῦμεν, ἵνα τὰ κρείττονα τὴν πίστιν καὶ ἀγάπην ἀποβάλλωμεν. Ταύτας οὖν ἑορτὰς καὶ νηστείας ἀπαρέσκειν τῷ κυρίῳ ἐκ τῶν προφητικῶν λόγων ἠκούσαμεν.

### *Irenæi.*

ORdinaverunt Apostoli, non oportere nos judicare quenquam in esca vel potu vel parte festi aut neomeniæ aut sabbatorum. Unde igitur hæ disceptationes? Unde schismata? Feriamur sed in fermento malitiæ & malignitatis, Ecclesiam Dei scindentes, & externa servamus, ut meliora, fidem & charitatem abjiciamus. Has igitur ferias & jejunia displicere Domino ex sermonibus Propheticis audivimus.

## *NOTÆ.*

Εἰρηναίου] Hoc fragmentum ex epistola Irenæi *de* [*p.148.*] *schismate* contra Blastum petitum esse videtur.

Orta

Orta etenim tùm temporis erat quæſtio de Paſchate inter Aſianos & Romanos, in Concilio Nicæno poſtmodum deciſa atque ab Irenæo ita tractata, ut propter ritum externum pacis Eccleſiaſticæ vinculum ſcindi haud debere egregiè demonſtrarit. Aut, ſi mavis, hoc fragmentum pertinet ad libellum Irenæi περὶ τοῦ πάσχα de Paſchate, quem allegavit Juſtinus quidam in Reſp. ad quæſt. 115. ad Orthodoxos. Nota eſt, quam hanc in rem Irenæus ad Victorem Epiſcopum Romanum ſcripſit Epiſtola, cujus fragmentum Euſebius, Nicephorus & Maximus nobis tradidere, ubi ſanctiſſimus Vir nihil urget magis quam concordiam Eccleſiaſticam ab omni ſchiſmate alienam, ubi non de fide quidem ſed de ritibus agitur. Quinimo addit: *Diverſitatem jejunii conſenſionem fidei commendare.* Egregia plane ſunt, quæ de ſchiſmate fugiendo L. IV. contr. hær. C. 33. §. 7. ſcribit noſter: *Judicabit verò (ſc. Deus) qui ſchiſmata* [p.149.] *excitant, cum tamen vacui ſint amore Dei, & propria tantum commoda reſpiciant, non autem Eccleſiæ unionem, qui & ob exiguas rationes ac adſuperbiam compoſitas magnum ac glorioſum Chriſti corpus incidunt ac dividunt, imo quantum in eorum viribus poſitum eſt, prorſus tollunt.* Quæ verba conſervavit nobis Joannes Damaſcenus in Parallelis ſacris tit. 76. περὶ αἱρετικῶν, translata inde in vitam Irenæi ab Halloixio deſcriptam p. 497. & 481. Dignus eſt hic, quem allegamus, Damaſceni parallelorum titulus, qui ſæpius legatur atque relegatur, ut, quæ priſcæ Eccleſiæ circa doctrinam de ſchiſmate fuerit fides, clarius noſcamus. Adeo enim Chriſtiani hodie in partes diſciſſi ſunt, ut quævis opinio novum

ſchiſma

ſchiſma novamque ſectam gignat. Felices eos, qui *unitatem fidei ſpiritusque ſectantur*! Eph. IV. 3. 4. 5.

Ἔταξαν) Confirmant prima hujus fragmenti verba id, quod ſupra de citationibus τῶν διατάγων diximus p. 11. ſqq. Cæterum de διδαχαῖς τῶν Ἀποστόλων conferri omnino quoque poſſunt Dallæus de Pſeudepigraphis Apoſtolicis paſſim & le Moyne Var. Sacr. T. II. p. 685. 1057. ſqq.

μὴ δεῖναι. . . . . σαββάτων) Locus, quem hîc allegat Irenæus, Pauli eſt in literis ad Coloſſenſes Cap. II. comm. 16.

[p. 150.] ἑορτάζομεν. . . . πονηρίας) Alludit, ut arbitror, Vir ſanctus ad 1. Cor. V. 8.

τὰ ἐκτὸς τηρῶμεν) Quod ſuo jam tempore reprehendit Irenæus, id ad hoc, quod vivimus, ſeculum egregie quadrat. Scilicet ea eſt perniciofiſſima quæ unquam excogitari potuit, hæreſis, quâ creditur, religionem in externis ſaltem ritibus cærimoniisque conſiſtere, quas qui ſervaverit, de ſalute ſua | ſecurus eſſe poſſit. Adeo hæc labes pervaſit omnes ſectas, ut nulla ferè amplius medela queat adhiberi. Aliter omnino optimus Salvator: *non venit regnum Dei cum obſervatione. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim* Regnum Dei intra vos eſt, Luc. XVII. 20. 21.

ἐκ τῶν προφητικῶν λόγων) Conf. Jeſai. I. 11. ſqq. Jerem. VI. 20. Hos. VI. 6. VII. 6. Amos. V. 21. Adde Jeſ. LVIII. 3. ſqq. Zach. VII. 5. VIII. 19. Hæc ſcilicet erat Irenæi ſententia, ritibus externis cærimoniisque non confidendum eſſe, utpote quæ eſſentiam Chriſtianiſmi non tangant. Rejicit itaque eas diſputationes

de

de Paſchate, ad quas reſpicit, in Eccleſia primitiva tunc agitatas, aitque, unionem Eccleſiæ propter rem indifferentem haud ſolvendam eſſe. Quod dum ponimus, è re noſtra eſſe arbitramur, ut locum [p.151.] corrigamus, qui in diſſertatione noſtra præliminari ad Q.Julii Hilariani Expoſitum de ratione Paſchæ & menſis §.45.p.56. exſtat, & à mendo liberandus eſt. Ita autem ibi legendum: *diemque Paſchæ juxta veterem calculum determinat, deciſa jam tùm temporis controverſia, quæ in Eccleſia Græca & Latina multas turbas dedit, demumque in Concilio Nicæno finita eſt, à cujus partibus ſtat noſter Hilarianus.*

FRA-

## FRAGMENTUM QUARTUM.

[152.]

**Εἰρηναίου.**

Χριστὸς ὁ πρὸ αἰώνων κληθεὶς Θεοῦ υἱὸς ἐν τῷ πληρώματι τοῦ καιροῦ ὤφθη, ἵνα ἡμᾶς τοὺς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας ὄντας διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ καθαρίσῃ, ἁγνοὺς τῷ πατρὶ υἱοὺς παραστήσας, εἰ τῇ παιδείᾳ τοῦ πνεύματος εὐπειθεῖς ἡμᾶς παρέχωμεν. Καὶ ἐν τῷ τέλει τῶν καιρῶν μέλλει ἔρχεσθαι εἰς τὸ καταργῆσαι πᾶν τὸ κακὸν καὶ εἰς τὸ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα, ἵνα ᾖ πάντων τῶν μιασμάτων τὸ τέλος.

*Irenæi.*

CHriſtus ante ſecula vocatus DEI Filius in complemento temporis apparuit, ut nos, qui ſub jugo peccati eramus, per ſanguinem ſuum purificet, inculpatos Patri filios ſiſtens, ſi caſtigationi ſpiritus obedientes nos præſtemus. Et in fine temporum venturus eſt ad deſtruendum omne malum & ad reconcilianda univerſa, ut omnium impuritatum ſit finis.

## NOTÆ.

[p. 153.] Εἰρηναίου ] Hæc forſan ad διαλέξεις διαφόρους aut ad ἐπίδειξιν Ἀποστολικοῦ κηρύγματος ab Irenæo ſcriptam pertinuere.

ὁ πρὸ αἰώνων κληθεὶς Θεοῦ υἱὸς ] Doctrinam Ire-

Irenæi de divinitate Filii DEI poſt Georgium Bullum & Nicolaum Nourrium egregiè explicavit R. Maſſuetus in Diſſ. III. Art. v. cui non opus eſt, ut plura addamus. Sunt quidem variis in locis aliqua, ex quibus conjeceris, Irenæum ſubordinationem in Trinitate agnoviſſe. Soli enim Patri ſcientiam diei noviſſimæ videtur adſcribere, ita ut excludi credas Filium, qui & juxta divinitatem *Patre ſe minorem eſſe* dixerit, id quod poſt Irenæum plures alii Patres, illi quoque, qui poſt Concilium Nicænum vixere, repetunt. Vide ingenioſiſſimi Viri Sam. Clarckii doctrinam Scripturariam de Trinitate Anglicè ſcriptam P. I. C. 11. Sect. V. n. 830. p. 157. ſeqq. Ait etiam noſter, *Patri miniſtraſſe Filium atque illum huic præcepiſſe*, in quo antiquiſſimos veteris Eccleſiæ Doctores itidem ſibi conſentientes habet. Sunt hæc utique difficilia & quæ perverſum in ſenſum veritatique Catholicæ contrarium facile trahi queant, trahunturque etiam ab iis, qui Arianos errores hoc ipſo tempore defendunt. Conf. Whiſtoni Prim. Chriſt. Reviv. P.IV. ubi ſyſtema primitivæ fidei de [*p.154.*] Trinitate & incarnatione Filii exhibetur, Art. VII. IX. X. Idem variis in locis Irenæum quoque in ſuas trahere partes conatur, plurimaque ab eo dicta hoc in libro refert. Id unum ſupererat, ut loca quæ producit, in notis demonſtraret ſuæ penitus ſententiæ favere, refutatis iis, quæ hactenus de Irenæi fide dixerant alii. Sola enim verba ponit, eorumque verſionem Anglicanam, quæ rem haud conficiunt. Cæterum quod ſubordinationem attinet perſonarum in Trinitate, plurimi ſunt hodie iique maximè Eccleſiæ Anglicanæ Theologi, qui hanc in ſententiam poſt Remonſtrantes deſcendunt, alienam omninò à veterum re-

recen-

centiorumque Proteſtantium recepta opinione, utpote qui uno ore ſummam in Trinitate perſonarum attributorumque affirmant æqualitatem. Irenæi ſententia hæc eſt, Chriſtum *& Deum & Dominum & Regem æternum & unigenitum eſſe & Filium Dei, Filium autem hominis factum.* Addit, *eum ſemper coëxtitiſſe Patri, ſemperque cum Patre fuiſſe, Deumque definitivè & abſolutè nominatum fuiſſe, & habere in omnibus principatum.* Hæc primaria ſunt, ex quibus cætera explicare utique convenit. Cæterùm ex verbis fragmenta noſtri nihil contra Arianos exſculpere poſſumus. In hoc enim quod Irenæus dicit, ii cum Orthodoxis conveniunt.

ἐν τῷ πληρώματι τȣ̃ καιρȣ̃ ] Vide Galat. IV. [*p.* 155.] 4. ubi πλήρωμα τȣ̃ χρόνȣ. *Plenitudo temporis* habetur in latinis Irenæi.

παιδεία ] Vide Tit. II. 12.

εἰς τὸ καταργῆσαι πᾶν τὸ κακὸν καὶ εἰς τὸ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα ] Digna ſunt hæc Irenæi verba, quæ penitius conſiderentur. Duo enim ſunt, quæ dicit. Primum, *deſtructum iri omne malum;* ſecundum, *reconciliatum iri univerſa.* Itane ergo credit ille, quod Origenes poſt ipſum credidit, pœnas quoque damnatorum finem habituras, quod ex eo omninò conſequi videtur, ſi dixeris, omne malum ſublatum iri? Itane porrò juxta Irenæum reconciliatio univerſalis per Chriſtum nondum facta eſt, reſervanda demum ad diem judicii? Hæc qui æqua judicii lance dijudicare velit, inſpiciat prius quæ Irenæus de æternis damnatorum pœnis in Libris adv. hæreſes memorat. L. III. C. XXIII. §. 3. hæc leguntur:

*Hoc*

*Hoc idem autem & Dominus in Evangelio his, qui à ſiniſtris inveniuntur, ait:* Abite maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo & Angelis ejus; *ſignificans, quoniam non homini principaliter præparatus eſt æternus ignis, ſed ei, qui ſeduxit, & offendere fecit hominem, ei inquam qui Princeps Apoſtaſiæ eſt, principi abſceſſionis, & his Angelis, qui Apoſtatæ facti ſunt cum eo: quem quidem juſtè percipient etiam hi, qui ſimiliter ut illi ſine pœnitentia & ſine regreſſu in malitiæ perſeverant operibus.* L. IV. C. XXVII. §. 4. ex variis [*p.156.*] Scripturæ locis probat, *æternum ignem* impiis deſtinatum eſſe. Id autem qua ratione intelligat, explicat luculentius l. c. C. XXIX. §. 1. Ibi enim: *Cùm ergo hîc & illic eadem ſit in vindicando Deo juſtitia Dei & illic quidem typicè & temporaliter & mediocrius; hîc verò verè & ſemper & auſterius. . . . .* Addit rationem, ob quam damnatio impiorum æterna ſtatui debeat, *quoniam expediebat eis juxta Scripturam, ſi non eſſent nati.* Pergit §. 2. *Pœna eorum, qui non credunt Verbo Dei & contemnunt ejus adventum & convertuntur retrorſum, adampliata eſt; non ſolùm temporalis ſed & æterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus:* Diſcedite à me maledicti in ignem perpetuum; *iſti erunt ſemper damnati, & quibuscunque dixerit:* Venite benedicti &c. *hi ſemper percipiunt Regnum & proficiunt.* Add. L. IV. C. XXXIII. §. 11. C. XXXIX. §. 4. ubi: *Æternum qui fugiunt lumen, quod continet in ſe omnia bona, ipſi ſibi cauſa ſunt, ut æternas inhabitent tenebras,* quæ ipſa repetuntur C. XL. §. 1. 2. Nec nos heic morantur, quæ Irenæus alibi habet de perſeverantia vitæ ſolis electis boniſque data L. II. C. XXIV.

§. 3. *Non enim ex nobis*, ait, *neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitæ & gratias egerit ei qui præstitit, accipiet & in seculum seculi longitudinem* [p. 157.] *dierum. Qui autem abjecerit eam & ingratus exstiterit factori ob hoc quod factus est, & non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in seculum seculi perseverantia.* Sunt hæc quæ in suas partes traxit Henr. Dodwellus, naturalem animæ mortalitatem statuens, nisi per baptismum facta fuerit immortalis. Sed egregia sunt, quæ reponit doctissimus Massuetus: *Unum observasse sufficiat, scilicet duplex immortalitatis genus, quod Dodvvellus nusquam distinxit, sed potius ita confudit, ut alterum pro altero habuerit, fontem errorem omnium illius esse. Immortalitas quippe animarum, alia naturalis, alia supernaturalis. Prior substantiis sua natura simplicibus & ab omni materia segregatis propria est; quâ nullius omninò creatæ rei vi & efficientia dissolvi & extingui possunt. Posterior animabus beatis peculiaris est; qua Deo & cum Deo æternum viventes felicitate numquam desitura fruentur in Cœlis.* Diss. III. Art. IX. §. 104. Idem & adcuratè demonstrat, Irenæum cùm æternas damnatorum pœnas dixit, numquam desituras intellexisse. Ita enim l. c. §. 106. *Hic damnatorum pœnam opponit Irenæus beatorum felicitati; & quemadmodum hæc sempiterna est, sic & alteram sempiternam esse statuit. Ubi qui has voces,* æternus ignis, æterna pœna, semper damnati, *detorserit ad longissima dumtaxat supplicia, sed damnatorum interitu tandem aliquando desitura; advertat, nec Irenæum cæterosque Patres, immò nec ipsam Scripturam aliis vocibus designare sempiternam beatorum*

*torum felicitatem; quas proinde impii, arrepta hinc occasione similiter detorquere possent ad longam dumtaxat felicitatem, aliquando tamen finiendam. Lege sis quæ eo de argumento scripsit eruditissimus D. Matthæus Petitdidier T. II. Annotationum in Bibliothecam Auctorum Ecclesiasticorum p. 403. & seqq. edit. Paris. 1692.* Est tamen, qui in Germania ante quindecim annos Origenianum de fine pœnarum infernalium dogma novis rationibus ornatum Patrumque effatis defensum atque in systema redactum dedit Vir celeberrimus Johannes Gulielmus Peterseniius, confectis hanc in rem tribus in majore forma voluminibus, quem alii postea secuti sunt ejusdem opinionis asseclæ. Vide illustris Leibnitii tract. Gall. de bonitate divina & libertate hominis P. 1. §. 17. p. 125. Non verò iste animas damnatorum post datas pœnas in nihilum abituras ait, sed purificatum iri easdem atque restitutum ad primævam imaginem, quam in creatione acceperant. Quam opinionem, à plurimis Judæorum Doctoribus traditam & à quibusdam Patribus defensam, maximè ex Eph. I. 10. Coloss. I. 16. 17. 18. 19. 20. Rom. V. 12. seqq. I. Cor. XV. 22. seqq. pluribusque aliis locis probare annititur. Eruditè autem hæc omnia digerit, atque ita, ut necessarias cautelas ponat, ad impios ab [*p. 159.*] abusu doctrinæ hujus abstrahendos. Cæterum si ex Scriptura ista probari satis possent, utique ad plurimas difficultates, quibus Theologicæ quæstiones haud paucæ involvuntur, sterneretur via. Viderunt id inter Anglos Henricus Morus & Thomas Tillotsonius, qui æternitatem pœnarum negâsse aut in dubium vocasse dicuntur. Usus etiam est hac hypothesi contra Petrum Bælium Vir Clariss. Johannes Clericus in

Bibl. Sel. T. ita tamen, ut eandem haud suam fecerit.

ϗ εἰς τὸ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα ] Respicit noster sine dubio ad Coloss. I. 20. ubi: *Et per ipsum reconciliare in ipsum.* Etenim reconciliationem universalem per mortem Christi jam factam esse haud negat Irenæus. Conf. L. V. C. XIV. §. 3. Est autem universalis illa, per quam totus mundus cum Deo fuit reconciliatus, ita ut salus *acquisita* omnibus fuerit, particularis verò pœnitentiam fidemque hominis cum obedientia Evangelio præstita præviam habet, bonaque à Christo acquisita *applicat.* 2. Cor. V. 19. 20. De hac itaque loquitur in fragmento nostro Irenæus aut potius de ejus plenaria manifestatione ultimoque effectu, qui nonnisi in novissimo die apparebit. Cæterùm cum loco, qui exstat ad Coloss. C. I. comm. 21. 22. Vir Sanctus confert alterum παράλληλον Ephes. I. 10. ubi: ἀνακεφαλαιώσασθαι *omnia in Christo, tam quæ in Cœlis quam quæ in terra.* Hanc *recapitulationem*, quam vocat rerum cœlestium & terrestrium, ait Irenæus esse conjunctionem naturæ divinæ cum humana. Vide loc. cit. §. 2. Alibi hanc *recapitulationem* de anima hominis cum corpore conjuncta explicat l. c. C. XX. §. 2. Tàm obscura tamen atque intricata sunt hæc omnia, ut quæ mens Irenæi sit, liquidò vix dignosci possit.

# ORATIO
## IN NATIVITATEM SALVATORIS

*IN VIGILIIS*

*NATIVITATIS DOMINI,*

A. MDCCXVIII.

## AB AUTORE

TUBINGÆ RECITATA.

*MAGNIFICE*

# DOMINE RECTOR,

*REVERENDISSIME*

# DOMINE CANCELLARIE,

# VIRI

*SUMME REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI PLURIMUMQUE REVERENDI,*

Vosque reliqui Auditores, qui ad animos vestros penitiore Nativitatis Domini consideratione imbuendos atque ad instantem festum diem præparandos promti alacresque huc jam confluxistis,

APpropinquat jam, appropinquat auspicata illa dies & faustum sidus, quod tenebris lucem, quod miseris atque desperatâ rerum suarum calamitate languescentibus felicitatem consummatam atque sempiternam attulit, dies nempe nativitatis Dominicæ, quâ nobis, quibus compedes futurarum

ærumnarum jam injectæ erant, & quorum animos peccati summa miseria, æternarum pœnarum præambula jam occupaverat, lux nova de cœlo affulsit, quâ & gratia Divini Numinis nobiscum jam reconciliati significata pretiosissimumque ejusdem pignus, Unigenitus de cœlo Filius nobis datus amplissimusque divinæ virtutis, ad animos nostros à dominio peccati liberandos & sanctitate præstantissimâ imbuendos quæ necessaria est, thesaurus in sinum nostrum effusus fuit. Quî verò jam nos, ubi suavissimum hoc jucundissimumque divini favoris nuncium nobis adfertur, non in gaudia toti solvamur, &, qui sapimus malaque capitibus nostris humerisque sine Salvatore Dei Filio impendentia novimus, repetitis jam tripudiis ex intimis pectorum nostrorum recessibus manantibus in lætitiam maximam haud effundamur, ubi natum jam pro nobis DEI Filium animadvertimus, ubi novum abs DEO cum genere humano initum fœdus novumque bonitatis divinæ signum notis exhibitum esse cognoscimus, ubi divinam de cœlo vocem, solatii omnis plenissimam aureaque verba, quibus capita nostra Angelus demulcet, audimus: *Nolite timere* amplius. *Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod omni populo contigit. Natus quippe est Salvator, qui est Messias Dominus, in civitate David* *; ubi denique jubilantium in cœlis beatorum agminum cœtum istas fundentem voces, Dominumque, qui omnia sic bona fecit, ita laudantem conspicimus: *Gloria in excelsis DEO & in terra pax, in hominibus beneplacitum.* ** Quod cùm ita sit, nec est quoque, quod egomet, qui cœlestium horum & humanorum gaudiorum interpres in cathedram hanc jam conscendo, de eo, quod mihi dicendum agendumque sit, solicitus

* Luc. 2, 10. ** l. c. comm. 14.

citus ſim anxiuſque hæream. Ipſum, quod eloquor & quod tangere jam incipio, argumentum tàm auguſtum eſt, tàm amplum, tàm fœcundum & tùm nobilitate ſuâ atque præſtantiâ, tùm neceſſitate & utilitate, ſeſe tantopere commendat, ut, quid priore, quid poſteriore loco memorandum veniat, haud facile determines atque rerum proponendarum gravitate, amplitudine & ſublimitate penitus obruaris. Eligam autem in rerum præſentiâ id, quod videbitur optimum, hoc eſt, quod maximè ædificat. Qui enim vel vaticinia veteris Teſtamenti de nativitate Meſſiæ agentia, affusâ rebus eruditione ampliore intenſisque Theologiæ Propheticæ nervis enarrare, qui veritatem nativitatis Domini DEI noſtri ex virgine Mariâ contra incredulos & Judæos argumentis præſtantiſſimis demonſtrare, qui effata auguſtiſſima de myſterio incarnationis in libris novi fœderis exſtantia adjectâ penitiore rerum diductione exponere, qui hiſtoriam nativitatis Chriſti recenſere egomet, qui doctrinam de incarnatione Salvatoris ex veterum Conciliorum placitis excutere, qui denique veterum modernorumque hæreticorum, qui in tremendo hoc & ſublimi planè myſterio efferendo graviter hallucinati ſunt, errores in medium proferre & virgulâ cenſoriâ notare novamque forſan hæreſiolam in cerebro fanatici cujuſdam nuper natam, quæ hoc incarnationis afficit myſterium, ex ultima Thule advocare & iis qui κνηθόμενοι ſunt τὴν ἀκοὴν, hoc eſt, queis aures pruriunt, curioſulis nempe, qui nova adamant, auditoribus frigidam ſuffundere & jucunda quædam ſcitu enarrare poteram, jam, miſſis hiſce omnibus, quæ ad animos noſtros emendandos vel nihil vel parum

faciunt aut saltem necessaria jam nobis haud sunt, ea tantum, quæ ædificare vos possint, quæ cœlesti quâdam admiratione, doctrinâ & virtute animos vestros perfundere, quæ & sanctiora vobis cogitata ad rectas conversationis Christianæ vitæque melioris ineundæ rationes inspirare meique ipsius, cui per hosce dies, dum meditationibus hisce operam navo, in oscula suavissimi Redemtoris infantis ruere atque plenis poculis ipsius haurire gratiam favoresque contigit, animum plenius diffundere valeant, utilia ea & præstantissima hoc est πρακτικότατα vobis proponere aveo. Quin &, cum ministerii ecclesiastici functione nullâ hactenus ornatum me esse conspiciam sermonibusque adeò sacris ad populum vernaculo idiomate habendis haud vacem, nec vocem hanc meam ultra hæc subsellia ambulare limitesque migrare academicos hucusque siverim, haud sine ratione hanc subnatam jam mihi occasionem esse gaudeo, quâ meditationes asceticas & practicas datâ operâ in unum congerere atque heic pro pietatis meæ modulo in publicum proferre possim. Agite igitur, Auditores, & devotam sanctamque mentem rebus adferentes contemplamini mecum augustissimum incarnationis Dominicæ mysterium, atque, ubi tùm necessitatem ejus ad salvandum hominum lapsorum genus, tùm convenientiam & sublimitatem præstantiamque rei conspexeritis, bonitatem amoremque, quo vos in Filio suo complexus est misericordiæ omnis Pater, non sine dulcissimo quodam gratiæ divinæ intus vos tangentis sensu admiramini, ubi porrò, quæ bona per incarnationem Domini vobis parta fuerint, audiveritis, excitato ad divinas laudes pectore in jubila plaususque toti prorumpite, ubi denique, quæ vobis

jam

jam officia præstanda sint, quis vitæ melioris ordo ineundus sit, quo gratos vos DEO, gratos Salvatori exhibeatis dignosque vos reddatis, queis beneficia per incarnationem hanc acquisita adplicari queant, ex me intellexeritis, nova infanti Redemtori vota facite novaque ipsi obsequia sedulamque præceptorum sacrorum observationem haud vano cum rerum effectu conjungendam ipsi seriis animis spondete. Et hæc quidem jam sunt, de quibus disserere vobiscum & agere in rerum præsentiâ animus est. Antequam autem ad rem ipsam, quam paucis sic delineatam vobis exhibeo, progredior, atque in ipsum hunc tractationis campum, quem brevi cursu peragrabo, abeam, rogandus flexo animi poplite venit Dominus, ut amplissima gratiâ suâ hoc institutum nostrum, hos animos nostros adspergat. Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, perfunde tuâ gratiâ, quæ tu creâsti pectora. Fiat!

Columna & firmamentum veritatis & omnium confessione magnum est pietatis mysterium, *DEUS est manifestatus in carne.* Verba sunt Apostoli Pauli*, quibus Vir entheus divinoque circumfusus lumine præstantiam mysterii, quod enarrare jam avemus, graphico stylo adhibito nobis depingit, ut, quicunque vel primis saltem labris ejusdem rationes degustaverit, in ipsius sententiam pedibus statim iturus sit. Primum est, quod ait, tantum hoc tamque præcipuum esse mysterium, ut & ad salutem nobis, quibus illud & ab Angelis & ab hominibus prædicatum est, cognitu necessarium sit, reliquorum mysteriorum omnium doctrinæque sanctioris omnis caput atque fundamentum. Id quod sanè & ipse Salvator emphati-

* 1. Tim. 3, 16.

phaticâ planè dictione effert, ubi affirmat, * in hoc vitam hominum æternam consistere, ut TE Pater, solum verum Deum & quem misisti, Jesum Christum cognoscant, succedentibus Petro, ** qui in nullo alio salutem inveniri nullumque aliud nomen hominibus, in quo salvi evadere possint, datum esse quam Jesu incarnati nomen haud difficili sed perspicuo sermone declarat, & Johanne, *** qui antichristum eum esse dicit, qui Messiam hominem venisse neget. Nec minus id, quod posteriore loco Paulus dicit, propriâ ac nativâ luce suâ radiat. Quis enim unquam in dubium vocaverit, magnum id esse imò maximum, quod cogitari unquam possit & sublimitate suâ cæteris omninò omnibus præferendum sit, mysterium, quod Deum incarnatum esse dictitat. Id quod facile quivis pervidet, quicunque, quanta inter DEUM & creaturam sit, infinita scilicet distantia, secum consideraverit. Jam enim hîc, dum incarnatum DEI Filium conspicimus, & Creatorem servum & Deum in cunis vagientem, & eum, qui immensus est, fasciis involutum & omnipotentem ad summam paupertatem redactum & eum, qui sanctissimus est ipsaque sanctitas, in similitudine peccaminosæ carnis venisse animadvertimus & admiramur. At verò, qui, dum mysterium hoc divini amoris miraculumque summum, quod unquam orbis vidit, vel levi saltem penicillo adumbrare cupimus, eloquii nostri infantiam statim conspicimus, mentemque humanam ad tantarum rerum comprehensionem haud ascendere posse, facilè pervidemus, malumus, quod non intelligimus & quod non capimus, in silentio venerari, quàm con-

* Joh. 17, 3. ** Act. 4, 12.
*** 1. Joh. 4, 3.

conquiſitis undique verborum ſublimium ampullis inani ſonorum nihil ſignificantium deverberatione ineffabilia eloqui, & incarnationis divinæ modum, qui ſub mentis humanæ comprehenſionem haud cadit, ſcholaſticâ vel oratoriâ expreſſione determinare. Id quod vel eapropter quoque & arduum & periculoſum quis haud absque ratione exiſtimaverit, quod, ſi ſemel ab iis quæ Spiritus Sanctus docet & queis ille rerum optimus Magiſter myſterium hoc nobis delineat, verbis diſceſſeris atque in latiorem expreſſionum campum deſcenderis, facile in rerum periculum inaneſque diſputationum inutilium anfractus hîc incidas, ita ut, Leone M. Pontifice Romano judice, magni laboris res ſit magnique diſcriminis inter dubias imperitorum opiniones & veriſimiles falſitates per unam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare & cùm undique ſe laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere, id quod & Vigilius Tapſenſis, Africanæ Eccleſiæ Pater obſervat, cùm ait, lethalem & mortiferam pravi dogmatis peſtem inſidiarum ſuarum ancipites laqueos dextra lævaque tetendiſſe, anguſtumque admodum ſaltem & nimis arduum commeantibus itineris callem reliquiſſe, quem qui ſcandat, ſi paullulum in utramque partem nutantia intulerit veſtigia, illicò capiatur. Quippe, inquit idem, inter Neſtorii ſacrilegum dogma & Eutychis neceſſariam & deteſtabilem ſectam ita ſerpentinæ graſſationis calliditatem ſeſe temperâſſe, ut utrumque ſine utriuſque periculo plerique vitare non poſſint, dum, ſi quis Neſtorii perfidiam damnat, Eutychetis putetur errori ſuccumbere, rurſum, dum Eutychianæ hæreſeos impietatem deſtruat, Neſtorii arguatur dogma erigere.

Sed

Sed non opus est, Auditores, ut hisce veterum jurgiis jam nos immisceamur, qui simplicia sectamur, qui ex solis divinioribus rerum expressionibus hîc sapimus, unumque Christum Deum eundem atque hominem ex Maria natum, cùm tempus DEO præfixum advenisset, Christum, inquam, unum Jesum Dominum nostrum, ex utroque connexum, & utroque contextum & in eâdem utriusque substantiæ concordiâ mutui ad invicem fœderis confibulatione sociatum hominem & DEUM confitemur. Hinc non malè idem Leo: Salvâ proprietate utriusque naturæ & in unam coeunte personam suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas & ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus & mori posset ex uno & mori non posset ex altero. Et idem rursus: Ingreditur ergò hæc mundi infima Filius DEI, de cœlesti sede descendens & à paternâ gloriâ non recedens, novo ordine, novâ nativitate generatus. Quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse cœpit ex tempore, Universitatis Dominus servilem formam obumbratâ majestatis suæ immensitate suscepit, impassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, & immortalis mortis legibus subjacere. Qui enim verus est DEUS, idem verus est homo & nullum est in hâc unitate mendacium, dum invicem sunt & humilitas hominis & altitudo Deitatis. Sicut enim DEUS non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque natura cum alterius communione,

quod

quod ſuum eſt, verbo ſcilicet operante,quod verbi eſt, & carne exſequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam noſtri generis non relinquit. Unus enim idemque eſt, quod ſæpè dicendum eſt, verè DEI Filius & verè hominis Filius. DEUS per id, quod in principio erat verbum & verbum erat apud DEUM & DEUS erat verbum, homo per id, quod verbum caro factum eſt & habitavit in nobis. DEUS per id, quod omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil, homo per id, quod factus eſt ex muliere,factus ex lege. Nativitas carnis manifeſtatio eſt humanæ naturæ, partus virginis divinæ eſt virtutis indicium. Infantia parvuli oſtenditur humilitate cunarum, magnitudo altiſſimi declaratur vocibus Angelorum. Similis eſt rudimentis hominum, quem Herodes impiè molitur occidere, ſed Dominus eſt omnium, quem Magi gaudent ſuppliciter adorare. Jam cùm ad præcurſoris ſui Johannis baptiſmum venit, ne lateret, quòd carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit*: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Quem itaque ſicut hominem diabolica tentat aſtutia, eidem ſicut DEO angelica famulantur officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere atque dormire evidenter humanum eſt. Sed quinque panibus quinque hominum millia ſatiare & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus hauſtus bibenti præſtet, ne ultra jam ſitiat, ſupra dorſum maris plantis non deſidentibus ambulare & elationes fluctuum increpatâ tempeſtate conſternere, ſine ambiguitate divinum eſt. Sicut ergò, ut multa prætercam, non ejuſdem naturæ eſt, flere miſeratio-

* Matth, 3,17.

nis

nis affectu amicum mortuum & eundem remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere & in noctem luce converſa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum eſſe & paradiſi portas fidei latronis aperire, ita non ejuſdem naturæ eſt dicere: Ego & Pater unum ſumus, & dicere: Pater major me eſt. Quamvis enim in Domino Jeſu Chriſto DEI & hominis una perſona ſit, aliud tamen eſt, unde contumelia in utroque communis, aliud unde communis eſt gloria. De noſtro enim illi eſt minor Patre humanitas, de Patre illi eſt æqualis cum Patre divinitas. Hinc & recte omninò Chalcedonenſe Concilium, orthodoxiæ ſanioris antiquioriſque fulcimentum Chriſtum fatetur ex duabus & in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum, ita ut nuſquam naturarum differentia unione tollatur, ſed proprietas magis naturæ utriuſque ſervetur & in unam perſonam & hypoſtaſin concurrat, non in duas perſonas diviſum ſed unum & eundem Filium & unigenitum DEUM verbum Dominum Jeſum Chriſtum. Nec minus egregiè Ambroſius: Suſcepit quod meum eſt, ut impertiret, quod ſuum eſt. Suſcepit, non ut confunderet, ſed ut repleret. Et rurſus: Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, ſed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Et denuò Vigilius Tapſenſis: Regula eſt fidei Catholicæ unum eundemque Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut verum Deum, ita verum hominem confiteri, unum eſſe ex utroque, non duos in utrumque, ipſum ſine tempore natum de Patre, ipſum ex tempore natum de Virgine. Sed ſatis jam de ipſius incarnationis ratione dictum eſt. Ad neceſſitatem ejus tranſeamus. Ubi omninò

nò id ante omnia monendum eſt, ita comparatos fuiſſe poſt lapſum Adami homines, ut propriis viribus è miſeriâ peccati, cui ſe ſponte involverant, & quæ in unumquemque per nativitatem carnalem devolvebatur, reſurgere Deumque lapſu iſto iratum atque ad pœnarum æternarum inflictionem properaturum placare haud potuerint. Quid enim quæſo hîc exſpectes vitæ ab eo, mortuus qui eſt, quid expectes juſtitiæ bonorumque operum ab eo, omnes qui ad benè agendum vires miſer perdidit, quî credas, DEUM ab eo placari potuiſſe, qui peccato ſemper obnoxius eſt atque per corruptionis ſuæ miſeriæque rationes non peccare non poteſt. Nec eſt, quod ajas, vel aliam quandam creaturam, uti Angelum læſo Deo ſatisfacere, vel DEUM peccatum impunitum dimittere miſericordiæ ſuæ vi, cujus major quàm juſtitiæ menſura ſit, potuiſſe. Quod enim prius concernit, patet, conſtitutâ ſemel hâc per voluntatem DEI Oeconomiâ, ut infiniti pretii ſatisfactio præſtaretur, Angelum ſatisfacere haud potuiſſe, quòd & à finitâ naturâ infinitum redemtionis pretium, quod â DEO requirebatur, haud exſpectaveris, & Angelus ipſe impeccabilis non eſt, qualis tamen requiritur, ut ipſius beneficio à peccato homines ipſiusque reatu liberentur, & ab homine fieri debebat ad hominem liberandum ſatisfactio. Hinc non malè admodùm in ſecundo ad Thraſimundum libro Fulgentius: *Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus eſſet idonea, ſi cadendi mobilitate nunquàm naturaliter fuiſſet obſtricta. Cùm verò ſe juvaminis egenam conſubſtantialis ruinæ documento teſtetur, profectò cognoſcitur multò minùs ad humanæ poſſe redintegrationis efficaciam redundare, quæ propriæ nequeat*

ſtabilitati ſufficere. Ex quibus idem concludit, ſolam illam naturam Angelos cæteros à lapſu continere potuiſſe, quæ peccare nequeat. Profectò cognoſcitur, inquit enim, uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis virtus illa defendere, quæ ſola naturaliter mutari depravarive non poſſet. Unde universè ac de homine perinde ut de Angelo pronunciat ſic : Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria ; quia non alia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Accedit hiſce ea ratio, quam in libro ſecundo adverſus Apollinarem Athanaſius affert, qui ait, niſi in ea quæ peccaverat naturâ impeccabilitas viſa esſet, peccatum in carne damnari non potuiſſe clarumque oppido eſt, Goëlem & Redemtorem fratrem noſtrum eſſe debuiſſe, ut, quod primus homo perdidit, alter repararet, quod primus abſtulit, alter acquireret. At verò alterum illud, quod jam tangere cœpimus, majori difficultati obnoxium eſt, ubi quæritur, num ſola hæc ratio genus humanum ſalvandi DEO ſuperfuerit, quâ unigenitus de cœlo Filius carne humanâ indutus infinitum redemtionis pretium præſtitit. Heic verò in duas abire partes Patrum Eccleſiæ veterum chorum videmus. Sunt enim qui ajant, ſunt qui negent. Inter priores agmen ducit Irenæus, qui ita : Niſi homo, inquit, conjunctus fuiſſet DEO noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis, quod & ipſum ex Mediatoris conditione probat, ad quam neceſſe fuerit, ut & DEUS aſſumeret hominem & homo ſe dederet DEO. Ita & ſubinde Auguſtinus: Transgreſſio illius primi hominis totum deceperat mundum, ut nullum eſſet ſalutis

reme-

remedium, nisi Christus adveniret de cælo: & alibi: Non liberaretur humanum genus, nisi sermo DEI dignaretur esse humanus. Eandem tibiam inflat quoque vel maximè Fulgentius, &Leo quoque, quem supra jam in partes vocavimus, quî ita: (neque enim ubi Leonem memoramus, temperare nobis possumus, quò minus verba ipsius, magno semper acumine, magnâ gravitate tincta afferamus:) In totius igitur humani generis strage communi unum solum fuit remedium sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse, Dominus David factus est filius David. Nec abludunt & Athanasius & Cyrillus & Dorotheus & Vigilius & Honorius Augustodunensis, cujus hæc verba sunt: Quod autem Filius DEI est incarnatus seu pro homine immolatus, quantum ad ipsum, sola fuit voluntas, quantum ad hominem, summa necessitas. Nisi enim hic incarnaretur, ille nunquam salvaretur. Quin & nonnisi à Filio DEI incarnato reparari genus humanum potuisse ex eo concludunt veterum plurimi, quod Spiritum adoptionis nulla nobis creatura sed solus Filius DEI incarnatus dare potuerit. Ita profectò Irenæus, ita Athanasius, quos jam laudavimus, ita & maximè Rupertus Tuitiensis, qui cùm interrogâsset, cur DEUS ad salvandum genus humanum venerit per seipsum & homo factus sit, cùm hoc fieri potuerit per alium, cur non miserit aliquem legatum, cur non miserit Angelum vel Archangelum, aliam quoque adfert causam, quâ incarnationem Fi-

lii DEI neceſſariam fuiſſe probet, ita reſpondens: quia nulli alii niſi ſoli naturæ divinitatis hoc fuerit unquam poſſibile aſſumere quod non erat & manere quod erat. Nemo verò eſt, qui neceſſitatem incarnationis tantoperè urſerit inter Patres, quàm Anſelmus, qui duobus libris illud explicans, ex quo titulum operi fecit: Cur DEUS homo, adeò neceſſarium cenſet, hominem fieri Deum patique pro hominibus, ut ne aliter quidem res abire potuerit. Non itaque poſſibile fuiſſe DEO vel fieri ab eo ſalva ipſius natura ſalvis attributis potuiſſe, ut minus ſubveniret lapſo & ut alio modo quam incarnatione Domini ſubveniret. Non patitur autem horulæ nobis deſtinatæ ratio, ut ſubtiles argumentorum nervos, quos Anſelmus hîc intendit, vobis ſiſtamus, id quod eò minus neceſſarium eſt, quoniam ipſum ſepta hîc transſilire patet. Sufficit jam paucis notaſſe, in alia omnia alios Patres abire, qui nullo negotio ſtatuunt, DEUM ſolo voluntatis ſuæ nutu & peccata hominibus remittere & Spiritum ſanctificationis ad ſalutem uberrimum ipſis donare potuiſſe, ſi voluiſſet, etſi iſte hominem redimendi modus, quem adhibuit, ſit planè eximius & longe præſtantiſſimus. Et vide quæſo quid ajat hîc Auguſtinus, Patrum acutiſſimus idemque orthodoxus: Sunt autem ſtulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia DEI homines liberare, niſi ſuſciperet hominem & naſceretur ex fœminâ & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omninò ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret. Eâdem chordâ oberrat Gregor. Naz. qui ita infit: Hæc Salvator quidem fecit cùm ſolâ voluntate tanquàm DEUS ſalutem afferre poſſet, quemadmodum & univerſa ſolo

lo jussu procreavit. Adjici potest magnus sequacium cumulus Cyrillus Alex. Theodoretus, Jo. Damascen. Leo M. noster, qui misericordiam DEI, cùm ad reparandum humanùm genus ineffabiliter multa ei suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegisse ait, Gaudentius, Bernhardus, Guitmundus atque infiniti alii, quos adducere non vacat. Iidem verò nodum illum, qui ex justitiæ divinæ ejusdemque vindicatricis & punitricis rationibus nectitur, facile solvere se arbitrantur, cùm ajunt, justitiam illam tàm diu sese exerere, quamdiu peccator peccet, ast fasces suos deponere illicò, ubi peccator resipiscat, quod utique facere is, divinâ opitulante gratiâ novasque vires sine ullo præcedente cujusquam merito infundente possit. At verò demonstratâ jam vel evolutâ potius incarnationis Dominicæ necessitate paucis ut *ad ejusdem convenientiam*, transsiliamus, oportet. Quod dum facimus, hoc sub initium rerum statim patescere arbitramur, maximè conveniens fuisse DEOque congruum, ut lapsum hominum genus restauraret. Hoc enim est proprium DEI potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus & multiformi semper asperitate vallatis, ut scribit Arnobius. Itaque Deus omnipotens ac clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim, ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, ait Leo, qui & hoc præclarè: semper quidem ait diversis modis multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit & plurima providentiæ suæ munera omnibus retro seculis clementer

impertiit sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, ut verbum illud coæternum & coæquale genitori in unitate Deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret & DEUS de DEO natus idem etiam homo de homine nasceretur. Quod ipsum & exornat luculentâque oratione inprimis tractat Athanasius, qui inter alia fuisse ait indignum bonitate DEI, ut quæ ab ipso facta erant corrumperentur corruptaque manerent fraude ac calliditate Diaboli, quâ homines circumvenerat. Tùm minimè omnium decebat, divinum in hominibus beneficium obliterari, sive ipsorum socordia sive astu & illusione dæmonum. Quocirca revera maxime consentaneum erat bonitati DEI magnum illud opus. Nam si Rex aliquis ædificium vel urbem, cujus conditor fuisset ipse, incolarum negligentiâ ab latronibus oppugnatam neutiquam negligit sed tanquam opus suum tuetur ac liberat, non tàm ad habitatorum ignaviam quam ad id quod se dignum est, respectum habens, multò magis optimi Patris verbum DEUS in corruptelam prolabens hominum à se procreatum genus non contempsit. Quin si quidem temporis rationes id jam paterentur, facile nobis foret, ostendere, quî omnes affectiones divinæ opere incarnationis Dominicæ miris modis illustratæ fuerint. Ita acutè omnino Ivo Canotensis in sermone, quare DEUS natus & pássus sit? admirabiliter factum esse dicit hoc, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum DEUS quia justus est nec insanabile quia misericors est. At verò & reliqua attributa divina sic egregiè manifestata esse

facile

facile patet. De Sapientiâ DEI egregiè Gregor. Pont. Rom. qui illud Jobi de Leviathan hamo capto ad Christum ita accommodat. In hamo esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergò Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius incarnatum unigenitum misit, in quo & caro possibilis videri posset & divinitas impassibilis videri non posset. In hamo ergo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. In hamo ergo captus est, quia inde interiit, unde momordit. Et quos tenebat mortales jure perdidit, quia eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem præsumpsit. Sed citius me dies defecerit, si hæc omnia jam pro rei dignitate persequi velim. Ad convenientiam incarnationis Dominicæ demonstrandam & hoc pertinet, decuisse maximè ut non alia quàm secunda Trinitatis persona incarnaretur; cujus rei hæ præcipuæ rationes sunt, tùm ne filiorum DEI nomen in Trinitate multiplicaretur, tùm quia per Filium recreari lapsum hominem congruum fuit, per quem erat conditus & per imaginem veram ac naturalem quod est verbum deformatam imaginem refici. In universum verò, divina aliqua persona Redemtoris partes ut potius, quam creatura quædam simplex ageret, eam quoque ab rationem fuit convenientissimum, ne majore beneficio huic quàm DEO, quod utique, si hæc nos restauràsset, ita se haberet, obstricti essemus. Cæterum, si modum spectes, quem in homine redimendo DEUS adhibuit, conveniebat utique, ut sub externa specie nobis is appareret. Quomodo enim quæso nudam divinitatem ac vel supernis illis inaccessam virtutibus lutei nos & orti de terra sustinere po-

tuissemus? Conveniebat porrò, ut sub humanâ is specie nobiscum ageret, ut eidem, quæ peccaverat, mederetur, ut & de muliere nasceretur, quò auctor peccati auctor remedii fieret, ut & de virgine, quia virgo Eva peccarat. Transimus cætera silentio, quæ conventiam hujus sistunt mysterii ob horulæ spatium perbreve negligenda, atque ad ejus præstantiam jam enarrandam pergimus, quæ ex fine incarnationis bonisque per illam partis vel maximè elucescit. Hic verò, quæ prolixiore dictione efferri poterant, in breviorem ut coarctemus, temporis ratio requirit. En verò quid hanc in rem Augustinus ajat: Duplex principaliter causa est, ob quam DEI filius factus est filius hominis: Una est, ut secundum hominem omnia patiendo pro nobis à peccatorum nos vinculis liberaret, altera ut nos quos sanguine suo redemit à vitiis atque criminibus, non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet, ut nos non modò præcipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem majore alacritate sequeremur. Idem ait & in citato supra ad Thrasimundum libro Fulgentius: Inquirendus ergò fuit unus, cujus gens humana reformanda esset munere, informanda lumine, confirmanda virtute, ut æqualitas æterna justificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus formaret invalidam. Rem agedum adhuc curatiore stylo enarremus. Incarnatus est DEI Filius, ut quod Patres ajunt, cælum terramque velut ponte ita corpore suo jungeret, ut pro nobis patiendo & infinitum adeò pretium redemtionis nostræ justitiæ divinæ exhibendo peccata nostra deleret eorumque reatum tolleret, ut mundum creaturamque omnem renovaret, ut Diabo-

bo-

bolum, qui nos ſeduxerat, in carne noſtrâ vinceret armiſque ipſum exueret, ut egregiâ, & nunquam ſatis evehendâ à nobis συγκαταβάσει voluntatem Patris de noſtrâ ſalute Doctor divinus carne convelatus (divinitatem enim nudam qui lutei ſumus, uti jam diximus, ferre haud poteramus) nos doceret, ut virtutem diviniſſimam, quam nobis meruit & quâ ſolâ animi noſtri converti ſanctificarique poſſunt, nobis per donationem Spiritus ſui omnipotentis, qui & velle in nobis operatur & perficere, nobis applicaret donaretque, ut exemplum nobis ſanctitatis exhiberet, quod mediante donatâ illâ virtute graviter imitaremur, ut denique ſuâ morte mortem omnem debellaret, ut reſurrectione reſurrectionis beatæ nobis autor fieret, ut in cœlum adſcenſione cœleſtia nobis palatia reſeraret & faucibus inferorum nos extractos inque filios DEI adoptatos præſtantiſſimâ, quæ nunquam cogitari poteſt, quam nec oculus vidit, nec auris audivit & quæ in hominis naturalis mentem nunquam introvit, quam verò Spiritus DEI ab ipſo Salvatore nobis miſſus, nobis revelavit, perpetua eadem & in ſempiterna ſeculorum nunquam finiendorum ſecula duraturâ ſemperque adaugendâ felicitate capita noſtra demulceret. O verò egregium, o planè admirandum, o nunquam ſatis à nobis adamandum deoſculandumque Salvatorem, qui tanta nobis bona & tantam ſalutem incarnatione ſuâ peperit. Quanta quæſo hæc bonitas & potentia Medici, qui de ſanguine ſuo medicinam fecit? Quanta Salvatoris præſtantia, qui medicus ad ægrotos, redemtor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita venit? Mirabile inquit Ivo Carnotenſis & incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, &

ægrotos, quibus ſalutis remedium procurabat, ſuâ decrevit infirmitate ſanare. Hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari. Nihil addi ad iſtam benevolentiam poteſt. Quis eſt, qui dicat, ſanem te & do tibi mercedem. Optime fecit. Sciebat enim ſe divitem veniſſe ad pauperem. Et ſanat ægrotos & ſanatis donat & non aliud quàm ſe ipſum donat. Salvator eſt adjutorium languidi, ipſe Salvator eſt prœmium ſanati. Quare veniant ad hunc omnes qui ſanari volunt, accipiant medicamentum, quod & à Patre detulit & præparavit in cœlo ex illis confectum immortalibus ſuccis. Invenimus medicum, qui in cælo habitat & in terris medicamenta ſpargit. Hic ſolus poteſt vulnera noſtra ſanare qui ſua neſcit. Nec eſt, quod ajas, Chriſti adventu & incarnatione neque peccatum neque mortem neque infirmitatem ac cætera vitæ mortalis incommoda penitus & ex toto ſublata eſſe ſed adhuc perſeverare & infeſtare. Id quod velim nemini videatur mirum: Rationem hujus rei reddidit Gregorius Nyſſenus in Oratione de natali Chriſti & aptiſſima ſimilitudine eſt uſus: Ut qui ſerpentem occidere vult, eliſo & obtrito ejus capite reliquum corpus interdum relinquit & tractim repere convolvique & palpitare ſinit, ſic graſſantem ac ſævientem per omnes hominum ætates draconem Chriſtus ita confecit ut ejus capite hoc eſt nocendi vi acciſâ truncum velut reliquum negligeret ac moveri belluam ſineret, quò venturis poſtea certaminis occaſionem præberet. Id quod &, quod ad mortem ſpectat, firmat Auguſtinus eademque ratione diſſolvit in L. 13. de Civ. DEI C. 4. ubi etiam ablato criminis nexu relictam mortem nedum corporis immortalitatem ſecutam ait tùm ad robo-

ran-

randum fidem quæ tunc eſt fides quando exſpectatur in ſpe, quod in re nondum videtur, tùm quod ejuſdem fidei robore atque certamine etiam mortis fuerat ſuperandus timor. Nunc vero addit idem mirabiliore gratiâ Salvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. Tunc enim dictum eſt homini morieris ſi peccaveris, nunc dicitur Chriſtiano morere ne pecces. Sic per ineffabilem DEI miſericordiam & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis & fit juſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Ac denique tantam DEUS fidei præſtitit gratiam, ut mors quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam. Quin nec conveniebat Salvatori, ſolam vim rebus hîc adhibere, quod ſi factum fuiſſet, unico eodemque momento regnum Satanicum ſtatim corruiſſet, ſed ita infringere ſenſim ſenſimque dæmonis in hominem imperia, ut quæ voluntas ſponte ſe peccato ſubmiſit, eadem quoque non coacta regno diabolico ſe ſubduceret. Hinc rectè Irenæus: Quoniam injuſtè dominabatur nobis apoſtaſia & cùm naturâ eſſemus DEI omnipotentis, alienavit nos contra naturam, ſuos proprios faciens diſcipulos, potens in omnibus DEI verbum & non deficiens in ſuâ juſtitiâ juſtè etiam adverſus ipſam converſus eſt apoſtaſiam ea, quæ ſunt ſua, redimens ab eo, non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur noſtri, ea, quæ non erant ſua, irrationabiliter rapiens ſed ſecundùm ſuadelam, quemadmodum decebat DEUM ſuadentem & non vim inferentem accipere quæ vellet, ut neque, quod eſt juſtum, confringeretur neque antiqua plaſmatio DEI periret. At verò cùm jam de bonis per Chriſtum nobis acquiſitis quæ & numero & pretio ſunt prorſus infinita, diſſerimus, id unicum vel

maxi-

maximè nec ſine cauſa urgemus, præcipuum hic locum obtinere ea, quæ ad mutationem noſtram ſpiritualem, quæ ad animi noſtri ſanctificationem vergunt, & quibus divinæ conſortes naturæ efficimur. Hinc ex verò Athanaſius verbum idcirco factum eſſe hominem ait, ut carnem ſanctam efficeret. Atque id profectò eſt, quod Paulus Apoſtolus emphatico nobis ſermone ob oculos ponit, cùm ad Titum ſcribit: Apparuit gratia ſalutaris DEI omnibus hominibus & docet nos, ut abnegantes impietatem & mundanas voluptates ſobriè & juſtè & piè vivamus in hoc mundo expectantes beatam ſpem & revelationem gloriæ magni DEI & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret ab omni injuſtitia & mundaret ſibi populum proprium & æmulatorem bonorum operum. Nec tamen ſolum Chriſtus, dum carnem aſſumſit, divinam virtutem, quâ caro noſtra ad ſui ſanctificationem tenderet, nobis promeruit ſed & ſanctiſſimo converſationis ſuæ nullâ peccati labe adſperſæ exemplo virtutis iter nobis monſtravit. Ita dum qui cœli Dominus eſt & eâdem, quâ Pater, gaudet gloriâ jugiter circumfunditur, in terras haſce deſcendit pauper & in utero virginis conceptus, & natus poſtea, ubi in dias luminis auras prodiit, vix habuit, ubi caput reclinaret ſervique formam induit, perfectiſſimæ abnegationis ſpecimen nobis exhibuit, quod ſequeremur, ejus, inquam, virtutis, quam nos humilitatem vocamus, hoc eſt ſui & honoris humani ac gloriæ deſpicientiam, quæ principatum tenet Chriſtianæ diſciplinæ ac cœleſtis divinique magiſterii quam & mundi ſapientes ac Philoſophi penitus ignorârunt, ut ne nomen quidem ullum, quo eam ſignificarent, latino vel Græco nobis ſermone reliquerint, ita, ut ſi, quodnam

præci-

præcipuum Christianæ religionis dominicæquæ incarnationis præceptum sit[f], interrogatus fueris, jure humilitatem agmen omnium ducere hîc affirmare possis & sicut Rhetor ille nobilissimus cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronunciationem dicitur respondisse, cùm quæreretur quid secundò, eandem pronunciationem dixisse, si interrogares & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet & si forte alia dicere necessitas cogeret. Etenim propter hoc Filius DEI cùm DEUS esset, vel maximè homo factus est ut se homo hominem cognosceret. Magna medicina. Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet, nescio. DEUS est & fit homo. Seponit divinitatem id est, quodammodò sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, quod apparet, acceperat. Fit ille homo cum sit DEUS & non se agnoscit homo hominem id est non se mortalem agnoscit non se agnoscit fragilem, non se agnoscit ægrotum, ut quærat ægrotus medicum, sed quod est periculosius sanus sibi videtur. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii DEI non sanatur. Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii DEI non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii DEI non sanatur? Denique ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos, pius venit ad impios, ut nos faceret pios, humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles. Quemadmodum verò DEI Filius incarnatus perfectissimum humilitatis quod sequeremur exemplum nobis præbuit, ita & omnes

omnes reliquas nobis commendatas virtutes in conversatione suâ ita expressit, ut absolutâ quâdam & nullâ ratione adaugenda pulchritudinis luce in ipso resplenduerint nihilque reliquum heic nobis sit, quàm ut easdem alacri promtaque & sedulâ industriâ imitemur. Nec est quod ajas virtutem quâ ad tantam pietatis præstantiam adscendamus viresque nobis deesse. Jam enim is Redemtor noster, qui Caput nostrum est, qui nos Filios DEI reddidit nobisque dedit gratiæ suæ arrhabonem spiritum, quicquid divinæ est virtutis ad sanctitatem necessariæ, in membra sua diffundit & cœlesti planè robore animos nostros & præcordia ditat. Nec velim, tàm abjectè de te ut sentias homo, qui non jam hominis saltem & carnis amplius sed DEI Filius es, novâque dignatione ornatus in pulvere voluptatum vitiorumque luto si sapis si, quid sis, consideres amplius hærere nequis. O homines nolite desperare, vos, qui Filii DEI estis vel tales evadere, si rebus vestris consulere saltem velitis, potestis; nolite desperare vos peccatum vos mundum vos Satanam & quicquid est unquam malarum potestatum vincere & jugulare posse, quia ipse Filius DEI hoc est verbum DEI caro factum est & habitavit in nobis. Reddite vicem, efficimini Spiritus & habitate in illo, qui caro factus est & habitavit in vobis. Nec est, quod de rebus vestris dubitetis vel dignationem hanc vestram in dubium vocetis, qui ex ipsius rebus credenda ista haud vanâ fide vobis persuadere potestis. Etenim multo difficilius est, ut humano modo & sensu istud usurpem, Deum hominem fieri quàm hominem filium Dei.

Cùm

Cum igitur audieris filium Dei esse Davidis & Abrahami cave dubites quin & tu filius Adami filius Dei sis. Non enim temere ac frustra tantopere se ipsum abjecisset, nisi nos in altum vellet educere. Jam vero si filii Dei existitis, quî possibile est fieri, ut peccati ut diaboli ut voluptatum filii maneatis, ut qui spiritu adoptionis induti estis, spiritu vitiorum agamini & virtute, quâ ut filii Dei ambulare possitis, cassi torrentem affectuum pravorum sequamini. Rem in compendium redigamus & dignationem hanc vestram repetamus. Quid est magis egregium quod se dedit terris Deus aut quod vos dat cœlo? quod societatem carnis intrat ipse aut quod vos facit consortium divinitatis intrare? quod mortem sumit ipse aut quod vos resumit ex morte? quod ipse in vestram nascitur servitutem aut quod vos sibi gignit in liberos? quod suscipit paupertatem vestram aut quod vos sibi facit hæredes, sui unici cohæredes? Est utique terribile & admirandum, quod terra transfertur in cœlum, homo deitate donatur servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis tremendum sit, tamen quia non docentem hîc sed jubentem respicere fas est, accedamus Filioli quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio, Deum Patrem viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet, & totum quod est in nobis respondeat gratiæ, uratur voluptas, deleantur vitia, succumbat peccatum, & qui ob filium Dei incarnatum & nos filii Dei evasimus, filiorum Dei dignationem & operum sanctitate manifestam faciamus. Intelligitis O Academici (vel enim tandem ad sermonis finem nobis properandum est,) intelligitis inquam o mei my-

sterii

ſterii quod vobis propoſui incarnationis quippe Dominicæ ſublimitatem & neceſſitatem & convenientiam & præſtantiam ſummam & fines Deo digniſſimos nobisque utiliſſimos, & bona per eandem nobis parta quam præſtantiſſima & quicquid jam officiorum Redemtori infanti præſtandorum nobis qui ipſius beneficio Filii Dei cœlique hæredes evaſimus incumbat, converſationis nempe melioris ſanctiorisque ineunda ratio virtutumque tanto ſalutis Principi qui arridere dignusque hoc Salvatore eſſe poſſit, cumulus. Næ verô ingratiſſimus omnino mortalium æternaque digniſſimus abominatione is fuerit, qui in hanc meam ſententiam pedibus haud iverit, qui ubi tantum tamque amabilem Redemtorem infantem conſpiciat, non ſtatim ipſius in oſcula ruat, qui ubi ad cunas haſce aſpectu quidem humiles ſed re divinas ſed auguſtiſſimas ſed omni ratione ſalutares accedit pleniſſimum devotionis pietatisque animum non afferat, & mutata vivendi quam ſectarus fuerat, mundana ratione voluptatibus carnis inhiare non deſiſtat, ut incarnato Domino totum animum ſuum nec quicquam amplius mundi amori relinquens conſecret. At verò quis haud abs ratione exiſtimaverit operam me ludere qui Academicis hominibus ſermone hoc pietatem ingerere velim, quem haud lateat, quam exiguum ipſorum animis religionis ſedeat æſtimium, quàm puſillus apud ipſos ſit virtutis ſanctioris amor, quam qui commendare ipſis in omne genus voluptatum fuſis voluerit, fabulam narrare videntur Næ vero egomet injurius in vos ſim, ſi crediderim, vos præcepta ſanctiora ferre non poſſe aut indignabundos, quid Dominus à vobis fieri velit, jam ex me audituros. Non tam læva arbitror vobis mens eſt,

nec tam leves ſunt vobis rerum curæ, ut, qui ſapientiæ filii & exiſtere & videri vultis, ſapientiam divinam, qua & ipſi ſalvari cupitis, aſpernemini. Agite igitur, & ſi quidem diſcere vobis egregium eſt, diſcite jam jam ex me, quid vobis, qui jam incarnationi Dominicæ ponderandæ meditationes veſtras commodatis, agendum ſit. Primum itaque velim, ut ante omnia admirabundi atque venerabundi ad ſublimis hujus tremendique myſterii conſiderationem accedatis & quorum pectus divino ad ſalutem quærendam ardore atque amore Salvatoris recenſnati repletum ut ſit, pietas jubet, externus quoque cultus & converſatio externa, ea maximè, quæ in ſacrorum publicorum frequentatione conſpici debet, reprehenſioni ulli haud ſubjaceat. Neſcio enim, quî fiat aliquando, ut ipſo oratore ſacro verba faciente vel templo ſubinde exeat vel confabulationibus iisque ſatis ſonoris indulgeat gens academica, & quî, quod nuper factum fuiſſe doluimus, clamore ſubinde ſublato ſacra interpellet, ad quem totus ſanctior cœtus, qui à filio ſapientiæ talia patrari tantamque pietatis ſtragem edi haud poſſe facile comprehendit, attonitus obſtupeſcat. At vero, ut taceamus, iſta non homines ſed Deum ferire, in quem qui peccaverit, ſine ullo dubio male habiturus eſt, cum Numen quidem commiſſurum nunquam ſit, ut ſacra ſua impune polluantur, alia jam ratio nobis in mentem labitur, quæ ſanctius habendam eſſe publici cultus rationem dictitet. Quod ſi enim, memorante Seneca, gentilium is mos fuit, ut intrarent templa compoſiti, ut ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmitterent, togamque

adducerent & in omne argumentum modeſtiæ fingerentur, ſi tanta eſt & Mahumedanis ſacrorum veneratio, ut vix inveniant ſufficientia, queis devotionem ſuam, queis pietatem exprimant, ſigna, ſi falſarum quoque ſectarum cultus publicus reverentia populi omnis, etiam plebis ultimæ, quæ in omne genus libertatis aliâs prolabitur, floret, quanto magis nos modeſtiæ in ſacris publicis frequentandis oſtendendæ operam dare debemus, qui morum præſtantiâ, ſi quidem ſapere velimus, præſtare cæteris debemus, qui puriore cæteris religione gaudemus, queis Evangelii denique ſanâ prædicatione, quam ſuſque deque habuerit is tandem, qui eâ indigniſſimus eſt, quæque præſtantiſſima, quâ Deus nos donare poteſt, gratia eſt, nihil prius, nihil antiquius, nihil charius eſſe debet. Et dignus profecto puto eſt Deus, dignus profectò incarnatus Salvator noſter, quem majore devotionis cultu, quem pietate omni, quem denique amoris ardore ſummo & fidei obſequio maximo proſequamur. Nec verò is externis ſaltem cœrimoniis ſed vel maxime interno pietatis haud fucatæ fœnore multo coli amat. Audiviſtis Paulum ſupra docentem, eum in finem ſalutarem Chriſti gratiam nobis apparuiſſe, ut abnegatis voluptatibus ſobrie, pie & juſte in hoc mundo vivamus. Næ verò is, qui hanc Chriſti ſanctiorem diſciplinam haud inierit, à futuræ & beatæ vitæ conſortio ſe penitus excludit. Nec velim putetis, Academici, liberiora vobis ſtatuta Salvatorem dediſſe, queis laxior vitæ morumque ratio, academica illa, quam vocant, indulgenda ſit. Unus omnibus idemque ad ſalutem properaturis præſcriptus vivendi ordo eſt,

quem

quem nec mutare novit divina bonitas nec moderari justitia, carnalium, ut jam diximus, voluptatum abnegatio & continuus de pravis, quibus urimur & vexamur undique, affectibus triumphus, sapientiæ filiis idem dignissimus & ob virtutem à Christo partam, ob exemplum à Salvatore datum nobis, si saltem Spiritus Sanctioris ductui obsequi velimus, facillimus. Agite itaque, O mei, agite, o academici, & incarnato pro vobis Redemtori totos vos ad nutum ipsius fingendos & præstantissimis virtutibus donandos imbuendosque sine morâ tradite mecumque ( id enim ipsum jam est, in quo orationis meæ filum acquiescet ) ad cunas augustissimi hujus sed humilitate carnis convelati pueruli admirabundi & venerabundi accedite & votorum vestrorum interpretem me adjecto pietatis vestræ calculo ita comitamini : Salve millies milliesque salve, O præstantissime Redemtor, O frater noster, O divine puerule, qui, ut cœlestem nobis gloriam acquireres, relicta, quam apud Patrem habebas, gloriâ è cœlis descendisti humilitatemque nostræ carnis induisti, ut nos ad imaginem tuam, ad humilitatem tuam, ad paupertatem tuam, ad sanctitatem tuam prius formatos divina postmodum felicitate redimires, qui filius hominis eapropter evasisti, ut filii DEI nos evaderemus, qui carnem nostram eapropter assumsisti, ut redemtam, ut sanctificatam mortalitate exueres, immortalitate donares. Tibi jam advolvimur supplices, Te colimus, te veneramur, tibi genua flectimus, Tibi oscula figimus, Tibi animos nostros, Tibi corda, Tibi nos totos consecramus. Finge nos quæsumus, Salvator præstantissime, ad

lubitum tuum, & refinge Spiritu Tuo, omnimodam nobis ſanctitatem affuſuro, ure carnis laſciviam, ſeca voluptatum funem, & capita noſtra ſuavi adſpectu Tuo propitius demulce.

Salve cordis gaudium
Salve JESU,
Animæ præſidium,
Salve JESU,
Pectoris incendium,
Salve JESU,
Bone ſalve JESU.

Millies te cogito,
Veni ſponſe,
Millies te flagito,
Veni ſponſe,
Millies te quærito,
Veni ſponſe,
Chare veni ſponſe.

Paſce me uberibus,
Mens dulceſcet,
Lacta me uberibus,
Cor liqueſcet,
Merge me viſceribus
Spes vireſcet,
Vita repubeſcet.

Nihil

Nihil te eſt ſuavius,
Suavis amor,
Nihil te eſt dulcius,
Dulcis amor,
Nihil te eſt mitius,
Mitis amor,
JESU mitis amor.

Rigeo, accende me,
O amator,
Langueo, ſolare me,
O Creator,
Morior, defende me,
O Salvator,
JESU mi Salvator.

Et video profectò ſentioque Salvatorem optimum ſuo favore pectora noſtra ſuaviter perfundentem ampliſſimoque amoris dulciſſimi fœnore animis noſtris jugiter adfulgentem, ſi modò dignos nos tanto, quem in nos iſte effundit, favore, dignos tanto amore præſtare velimus. Quod dum à vobis rogito & quæſo, à cunis Redemtoris pueruli diſcedere nequeo, niſi repetitis votis & reſumta prece ſuaviſſimum infantem ita compellans: Et qui tantâ felicitate nos jam mactâſti atque noſter factus in conſortium divinitatis carnem noſtram intuliſti, immortali gratiarum laudumque nunquam finiendarum

rum actione à nobis jugiter proſequendus, fac quæſo, ut trajectâ olim præſentium miſeriarum valle æterno divinitatis Tuæ & gratiæ conſortio in cœlis conſummando omnes beemur.

O JESU parvule,
O Puer optime,
O Princeps Gloriæ,
Trahe nos poſt te,
Trahe nos poſt te.

Et in hoc ſuaviſſimo animi mei deſiderio jam hîc finio & totus adquieſco.

Dixi!